BEATI FULGENTII EPISCOPI RUSPENSIS IN APHRICA, ... OPERA, QUAE...

Fulgentius santo (santo), Heinrich Justus, ...



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google





III.5.30
14-16-A-23

Digitized by Google

14-16-A-23

BEATI FVLGENTII EPISCOPI RVSPENSIS IN APHRICA, PRISCORVM ECCLESIAE DOCTORUM nulli non conferendi, OPERA,

quæ extant, omnia: diligenter conquisita.

Quorum Catalogum post Præfationem reperies.



ACCESSERVNT HAC PRIMVM editione, libellus D. PETRI DIACONI de Incarnatione & Gratia Dn. nostri IESV CHRISTI · FVLGENTII uita: librorum Argumenta: Paragraphæ seu annotatiunculæ marginales, & alia nonnulla, de quibus PRAEFATIO monebit.

Cum INDICE *gemino.*

CVM GRAT. ET PRIVIL. CÆSAREO.



BASILEAE,
PER SEBASTIANVM
HENRICPETRI.

(14.16.A.23

Digitized by Google

INTEGERRIMO VIRO: PIETATE, PRVDENTIA ET ERVDITIONE PRAESTANTI DN. CHRISTIANO VRSTISIO, Basiliensis Reipub. Archigrammateo, Domino & Patrono suo multùm colendo.

S. P.



Q*VOD de similibus actionum humanarum euentis sapienter olim & verè pronunciauit Thucydides, Vir amplissime, mihiq; multis nominibus obseruande, id ego ad theoretica mortalium studia haud ineptè transferri posse semper existimaui. Quemadmodum enim cùm eadem est hominum natura, eadem sæpenumero fieri cõtingit: ita quoq; dum ingeniorum humanorum eadem est conditio, easdem de rebus opiniones in omni disciplinarũ genere nasci atq; subinde renasci necesse est. Quod cũ parens ille humanæ sapientiæ Aristoteles a-*

14.16.A.23

Digitized by Google

INTEGERRIMO VI-
RO: PIETATE, PRVDEN-
TIA ET ERVDITIONE PRAE-
STANTI DN. CHRISTIANO VRSTISIO,
Basiliensis Reipub. Archigramma-
teo, Domino & Patrono suo
multùm colendo.

S. P.



VOD de similibus actionum humanarum euentis sapienter olim & verè pronunciauit Thucydides, Vir amplissime, mihiq; multis nominibus obseruande, id ego ad theoretica mortalium studia haud ineptè transferri posse semper existimaui. Quemadmodum enim cùm eadem est hominum natura, eadem sæpenumero fieri cõtingit: ita quoq; dum ingeniorum humanorum eadem est conditio, easdem de rebus opiniones in omni disciplinarũ genere nasci atq; subinde renasci necesse est. Quod cũ parens ille humanæ sapientiæ Aristoteles a-

nimaduerteret, in Meteorologicis easdem mortalium opiniones nō semel vel iterum, vel secūdum paruum aliquem numerum, sed infinities ἀνακυκλεῖσθαι & in orbē quasi redire disertè testatus est. De Philosophia quidē & prophanis disciplinis hoc ab homine Ethnico prolatum esse nō diffiteor: verū vtinam ne idem quoq; in Sacrosancta nostra Theologia & iam olim experta esset & nostro seculo magno suo incommodo experiretur Ecclesia Christi. Nam, vt de nostris saltem temporibus quædam dicam, an non Anabaptistæ hodie Enthusiastarum, Nouatianorum, Catharorum, Donatistarum & similium insana deliria tuentur? Samosatenicos & Photinianos furores nonne Seruetus, Gentilis, Blandrata & similes renouarunt? an non Pelagiana dogmata, Libertini: Nestorij errorem, Stancarus: Eutychetis hæresim Hofmannus, Suencfeldius & bona ex parte nostri Vbiquitarij in theatrum reduxerunt? Antitrinitariorum deniq; & Arrianorum blasphemias à multis hodie apud Sarmatas & Pannonios in lucē reuocari quis ignorat? Hydræ infernalis capita

pita esse hæc impiarum opinionum portenta, earumque impuros authores, haud immeritò quispiam dixerit, quorum vno reciso multa alia repullulent, quod de Lernæa bestia Poëtæ olim fabulati sunt.

Hæc verò eum in finem à me dicuntur, vt ostendam priscorum Ecclesiæ doctorum, quos Patres appellare solemus, scripta, quibus contra sui temporis hæreses acriter, neque minore successu quam zelo, depugnarunt, meritò nobis quoque commendata esse debere. Non quod fundamenta religionis nostræ inde petenda, aut parem ijs cũ scripturis Canonicis authoritatem tribuendam censeam (placet enim summopere illud B. Augustini: Neque quorumlibet disputationes quamuis Canonicorum & laudatorum hominum veluti Canonicas scripturas habere debemus, vt nobis non liceat salua honorificẽtia, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scripturis improbare, si fortè inuenerimus quod aliter senserint, quã veritas habeat, diuino adiutorio vel ab alijs intellecta, vel à nobis) sed vt post scripturam Propheticam et Apostolicã

 perpe-

perpetuo quoq; eruditæ antiquitatis cõsensu in fide orthodoxa confirmemur & aduersus varios errores nunciamur. Quemadmodum enim in Philosophicis disputationibus antiquorum testimonia veritati non sunt præiudicio, &, vt apud Platonem & Aristotelẽ obseruare licet, non nisi solidis anticipatis rationibus adducuntur, veritatis illustrius stabiliendæ gratiâ: ita quoq; Theologis rationum loco esse debet Sacrosancta diuinitùs inspiratæ Scripturæ authoritas, quæ sola ad tuendam pietatem & confutandos errores vt necessaria est, ita sufficere quoq; potest: nihilominus tamen S. Patrum lucubrationes non repudiandæ, sed suo loco ad confirmationem sinceræ doctrinæ adhibendæ, ita tamen vt ex ijs honoraria magis, quàm necessaria veritatis testimonia peti meminerimus, & proinde tum demum ea audienda, cum S. literarum Canoni consentanea dixerint, sciamus.

Monstrat sanè nobis & suo exemplo approbat hanc de rebus sacris disserendi methodum B. Fulgentius, dum non raro ea quæ primùm S. Scripturæ authoritate sufficienter

ficienter demonstrauit, mox etiam Cypriani vel Augustini testimonijs confirmat: ipse quoq; inter præcipuos Ecclesiæ sui temporis φωστῆρας fulgẽs, eruditione, doctrinæ sinceritate, morum integritate, tolerantia sub cruce, constantia in confeßione et defensione orthodoxæ fidei nulli secundus. Cuius scripta ideo nostris temporibus vidẽtur esse accõmodatiora, quia eas quæ hodie grassantur hæreses, siue S. Triados mysterium, siue Christi personam, siue deniq; prædestinationis & liberi arbitrij doctrinam spectes, tũ quoq; Ecclesiam Christi exercuisse cõstat: vt proinde libri hi, quib. dictæ hæreses accuratè & solidè refutãtur, nostri quoque temporis Antitrinitarijs, Arrianis, Eutychianis, Nestorianis, Libertinis & Semipelagianis magno cũ fructu opponi poßint.

Hæc nimirum causa fuit quæ te quoque, Vir Clarißime, superiori anno mouit, vt pro singulari tuo antiquitatis studio de hoc potißimùm Authore illustrando cogitares. Atq; vtinam per occupationes tibi licuisset hocce tuum non minus vtile quàm laudabile institutum persequi: elegantiorẽ

sine dubio & multis modis ornatiorem haberemus Fulgẽtium. Quia verò postquam ante menses aliquot Dei prouidentiâ inclytæ huius Reipub. archiuo, magna bonorum omnium cum congratulatione & applausu, præfectus esses, vrgentibus grauioribus negocijs, quibus officij ratione nunc distineris, telam hanc à te præclarè inceptam mihi vtcũq; pertexendam reliquisti: æquũ iam esse arbitror, me tibi operæ hac in re pro virili positæ rationem reddere.

Tuis igitur vestigijs insistens primùm loca Scripturæ, quibus creberrimè vsus est noster Fulgentius, peculiaribus characteribus à reliquo contextu discerni, &, ne illorum inquisitio tædiosa studiosos in eius lectione remoraretur, librorum nomina & capitum numeros in margine apponi curaui. Postmodum vt lector fastidio, quod ex continua orationis textura oboriri potuisset, aliquo modo leuaretur, simulq; argumentorum ordo & rerum cõsequentia meliùs perspiceretur, suis locis præcipua librorum membra distinxi, ipsumq; contextum quasi in paragraphos diuisi. Insigniores gnomas

mas & ἐξηγήσεις virgulis ad marginem appositis notaui. Paragraphorum & argumẽtorum summas breues ad marginem ascripsi, quibus lectores non parum, vt spero, adiuuabuntur. Etsi verò hæc ipsa se iampridem præstitisse Ioannes Cochlæus in Præfatione quadam huic operi inserta testetur: exemplaria tamen illa non puto extare amplius: mihi sanè nullum licuit videre hactenus. De tuo quoq; consilio libellũ P. Diaconi, ad quem Fulgentius libro de Incarnatione & Gratia Domini nostri Iesu Christi respondet, suo loco inserui. Vitam authoris ex Ecclesiasticis scriptoribus collectam operi præposui, cui etiam vt studiosi haberẽt σκιαγραφίαν quandam totius Voluminis paucis paginis comprehensam, singulorum librorum periochas, quibus breuiter & rerum summa exponitur & argumentorum series monstratur, retentis quoad eius fieri potuit authoris verbis, adiunxi. Indicem deniq; geminum, vnum rerum & verborũ memorabilium, alterum locorũ Scripturæ à Fulgentio explicatorum adieci.

His laborib. qualibuscunq; perfunctus, cũ

cogitarem de Patrono, cui illos pro more cõsecrarem, tu mihi, Vrstisi præstantißime, statim in mentem venisti: vtpote cui multis nominibus eram obstrictus & obligatus. Primùm enim si Dimidium facti, qui benè cœpit, habet: *tibi sanè qui non tantùm initium præclarè feceras, sed & mihi eius quod adhuc reliquum erat absoluẽdi fuisti author & suasor, tibi inquam iurè acceptũ referri debet, si quid vtilitatis hinc ad alios redierit, aut si quid leuamenti ex hisce laborib. alij senserint. Deinde tot tãtaq; iam à multis annis tua in me merita, tamq; luculenta extitêre tuæ erga me beneuolentiæ specimina, ut occasionem meũ erga te studiũ & obseruantiam quoquo modo declarandi diu captatam, auidè arripuerim. Obuersatur enim adhuc animo meo grata memoria omnium eorum beneficiorum, quib. me discipulum tuum ante annos aliquot ornare & promouere quibuscunq; poteras rationibus studuisti. Postea cùm à Proceribus almæ nostræ Academiæ, inter quos & tu non postremo eras loco, in ordinem Professorum cooptatus essem, tum quoque me minimum*

nimum Collegarum tuorum mira humanitate complexus et ab eo tempore omni officiorum genere prosecutus es. Iam verò posteaquam tuo merito à prudentissimo Reipub. huius Senatu ad arduũ illud et illustre Archigrãmatei officium es vocatus, pro tuo candore, planè antiquũ obtines: vt omnino confidam me, quẽ primùm Præceptorẽ optimum, mox Collegã humanissimũ expertus sum, deinceps Patronũ benignissimũ habiturũ. Accipe igitur, Vir clarissime, sereno vultu, hoc quod candido tibi offertur animo mutui amoris & debitæ obseruãtiæ qualecunq; monumentũ, & hosce meos imò tuos labores aduersus Stygij illius Momi licentiã, quæ neq; Deorũ, neq; hominum operib. parcit, tuêre: eius enim obtrectationes facilè contemnã, si quod præstare conatus sum tibi vni, qui instar multorũ mihi es, placere intellexero. Deus Opt. Max. te ad Nestoreos vsque annos saluum atque incolumem conseruet, vt ea charismata quibus hactenus Gymnasio nostro docendo tàm sacra quàm prophana studia & mores iuuentutis gubernando, res Academicas admi-

administrando, & qualibet officia magna cum laude obeũdo plurimùm profuisti: imposterum vniuersæ Reipub. commodo & emolumento pari cum dexteritate & successu impendere poßis. Vale feliciter, Vir amplißime, & me Clientem tuum officiosißimum solita tua beneuolentia fouere perge. Perscriptum Basileæ, postridie Cal. Ianuarij, Anno vltimæ Dei patientiæ 1587. cuius felicem decursum tibi tuisq́ꝫ ex animo precor.

Tui nominis studiosissimus,

Henricus Iustus Basiliensis.

B. FVL-

B. FVLGENTII VITA, EX SCRIPTORIBVS ECCLESIASTICIS *collecta.*

BEATVS Fulgentius Afer ſub initium ſexti nouiſsimi temporis ſeculi claruiſſe ſcribitur, Anaſtaſio Dicoro hęretico Imp. qui ab anno Chriſti 494. uſq; ad annum 521. Orienti præfuit. Natus eſt Telleptæ Numidiæ oppido: uel, ut alij ſcribunt, in Toletana ciuitate, Fulgentio claro Carthaginenſium ſenatore & Martiana nobili fœmina parentibus: à quibus ſtatim in ipſa pueritia optimis traditus præceptoribus, literis tàm Gręcis quàm Latinis ſedulam nauauit operam, feliciſsimo cum ſucceſſu. Primùm autem à Fauſto Epiſcopo factus eſt Monachus. Relicto dein monaſterio, quod & uitæ inculpatæ teſtimonio & eruditionis laude multos alios ſuperaret Epiſcopus Ruſpenſis in Aphrica ſeu Numidia noua deſignatus eſt. Cùm uerò contra Arrianos quorum dogma tùm totam peruaſerat Aphricam, & alios hæreticos acerrimè pugnaret, multa ab aduerſarijs paſſus eſt pro fide orthodoxa tuenda:

tandem

tãdem cũ Vandali, qui per ea tempora rerũ ibi potiebantur, in gratiam Arrianorũ Orthodoxos persequerentur, cædibus & exilijs affligerẽt, templa illorũ ubiq; clauderẽt, ipse quoq; unà cũ alijs 220. Episcopis in Sardiniã insulã à Trasimũdo Vandalorum rege Arriano relegatus est. Factũ est hoc circa annum Christi 503. Anno 2. Symmachi Rom. Episcopi, qui illis quotidiana subsidia ministrare nõ destitit, Fulgẽtio suos assiduè docẽte, hortãte & in tanta calamitate cõsolante. Ab exilio hoc primo à Trasimũdo rege reuocatus, non multo post secũdò in exiliũ abire cogitur. Causa huius nõ ostẽditur, sed tamen historiæ Ecclesiasticę Scriptores suspicantur, illũ libro aduersus Pintam Arrianum edito Trasimundum offendisse. Ab hoc tamẽ quoq; exilio reuocatus, à Carthaginensib. qui ei redeũti magna frequentia obuiam processerunt, benignè exceptus, in summo postea honore habitus fuit, ita ut merebatur eximia eius eruditio, quam scriptis editis etiã posteris testatam fecit, maximè uerò uitę sanctimonia & morũ integritas. A' superbia enim & fastu erat alienissimus: modestiæ & humilitatis studiosissimus. Hypocrisim uehemẽter detestabat. In uictu & uestitu fugiebat delitias

&

& ſplendorem. Cibis adeò abſtinebat ut in ſyncopen aliquãdo incideret: carne nõ ueſcebatẽ, ſed olerib. & ouis. Vnica tantũ ueſte utebatur hyeme & ęſtate, etiã in ſacris peragẽdis: Corda, inquiẽs, potiꝰ quã ueſtimẽta mutãda eſſe. Vindictæ nõ fuit cupidus. Cũ enim aliquando unà cũ Fauſto Epiſcopo à Felice Arriano malè tractaretẽ, & ſuaderetur ei ut actionẽ iniuriarũ apud iudicẽ experiretẽ, reſpõdit: Chriſtiani eſſe nõ ulciſci ſeſe, Deũ enim ulturũ iniuriã ſuis illatam. Non igitur mirũ illũ (ut teſtatur Vincẽtius) in Synodo Vintẽſi omniũ aſſeſſorũ iudicio, Epiſcopo Quoduultdeo pręlatũ eſſę. Tandẽ uerò cura Eccleſiaſtica abiecta in Cercinnã inſulã ſeceſsit, & in ea legẽdo, ſcribẽdo & Deo inſeruiẽdo, reliquũ uitę tẽpus trãſegit. Cũq; in morbũ ex quo 70. dies grauiter decubuit incidiſſet, medicis ſuadentib. ut balneis uteretur: Putatiſne, inquit, balnea hominĩs mortalis fata impeditura: crebrò etiam has uoces ingeminaſſe ſcribitur: Domine, hîc da mihi pœnitentiã, poſtea indulgentiam. Obdormiuit aũt in Domino placidè annũ ętatis ſuę agẽs 65. ipſis Ianuarijs Calendis, cùm Eccleſiæ pręfuiſſet annos 25. Prænomina eius uariè ſcripta reperiuntur: interdũ hoc modo, F. P. Fulgentius: nonnunquã

ita,

ita, Fabius Fulgentius Placiades: aliquãdo, deniq; hoc pacto Publi9 Furius Fulgẽtius. Vixit & alius Fulgẽtius eodẽ seculo Ecclesiæ Vtriculanę apud Anchonitanos Episcopus, qui Totilã regẽ hostẽ habuit. Claruit item Fulgẽtius quidã cognomẽto Audax, natione Anglus, circa annũ Christi 211. qui scripsit Orationes de Romanorũ iniurijs: pro uindicãda libertate & alia quędã. Scripsit & hic noster Fulgentius multa præter ea quæ hodie extant, quorũ Catalogũ qui uidere cupit, adeat C. V. Conradi Gesneri Bibliothecam. Sensit piè & orthodoxè de pręcipuis Christianę religionis capitibus, utpote de Deo, de Trinitate, de Prędestinatione, de Creatione, de Lapsu hominum & angelorum, de Libero arbitrio, de Peccato, de Persona Christi, de Iustitia hominis corã Deo, &c. ùt pauca hæc eius sed præclara scripta, quæ patrũ memoria inter reliquias Bibliothecæ Ioãnis Trittenheimij reperta, à doctissimo uiro Bilibaldo Birckeimero primũ in lucẽ edita sunt, abundè testantur. Cuius rei ut gustum quendam percipiant atq; ita ad lectionem tã eximij Ecclesię Doctoris inuitentur studiosi, libet eius quandam σκιαγραφίαν & singulorum librorum periochas breuissimas subijcere.

TYPVS

TYPUS ORDINEM LIBRORUM HUIUS OPERIS INDICANS.

Distribuimus uniuersum Opus in sex quasi sectiones. Continet autem

- *Prima*
  - *ad Monimű libros tres, quorum*
    - Primus *est de Prædestinatione Dei bonorum ad gloriam, malorum ad pœnā, fol.* 1.
    - Secundus *de oblatione Sacrifi*[illegible] *missione Spiritu*[illegible] *& de supererogatione Apostoli Pauli, fol.* 73.
    - Tertius *de uera expositione illius dicti Euangelici :* Et Verbū erat apud Deum, *fol.* 119.
  - *Librum unum ad decem Arrianorum obiectiones totidem responsiones continentem, folio* 153.

Secunda libros tres ad Trasimūdum, quorum
- *Primus est de Persona Christi duas naturas in una hypostasi integrè retinentis,* fol. 210.
- *Secundus, de immensitate diuinitatis eius,* fol. 264.
- *Tertius, de eiusdem Passione,* folio 329.

Tertia, Epistolas septē, quarum
- Prima est de debito cōiugali & uoto continentiæ, fol. 424.
- Secunda, ad Gallā de consolatione super morte mariti et de statu uiduarū, fol. 444.
- Tertia, ad Probam de Virginitate & Humilitate, fol. 479.
- Quarta, ad eandem de Oratione & Cōpunctione cordis, fol. 521.
- Quinta, ad Eugyppiū de Charitate & eius dilectione, fol. 535.
- Sexta, ad Theodorum Senatorē de Conuersione à seculo, fo. 547.
- Septima, ad Venantiā, de recta pœnitentia, & futura retributione, fol. 558.

His adiūctus est de Trinitatis & Incarnationis mysterijs ad Donatū liber unus, fol. 583.

Quarta

Quarta sermones quinque, quorum
- Primus est de dispensatoribus Domini, fol. 610.
- Secundus, de duplici natiuitate Christi: una æterna ex Patre: altera temporali ex Virgine, fol. 625.
- Tertius, de laudibus Mariæ ex partu Saluatoris, fol. 635.
- Quartus, de S. Stephano protomartyre, ubi & de conuersione Pauli quædam, folio 639.
- Quintus, de Epiphania, ubi et de innocentũ nece & muneribus Magorum nonnulla, folio 648.

Quinta librum de Incarnatione & Gratia Domini nostri Iesu Christi, seu de Gratia & Libero arbitrio ad P. Diaconum &c. fol. 689. Cui præmissus est Petri Diaconi libellus de eodem argumento, fol. 663.

Sexta libros tres Mythologiarum, ad Catum Presbyterum Carthaginensem, fol. 809.

ARGVMENTA SIN-GVLORVM LI-BRORVM.

Libri tres ad Monimum.



ONIMVS *discipulus B. Fulgentij per literas obiecerat quasdā Praeceptori quaestiones, ad quas tribus hisce libris respondet.*

Primo *igitur* libro *toto Praedestinationem explicat. Status eius seu principalis quaestio est haec: Vtrum Deus ut sanctos ad iustitiam, quam coronet in ipsis praedestinauit, ita quoq; iniquos ad mala opera, pro quibus eos condemnet, praedestinasse credendus sit? Hanc quaestionē decisurus in utrisq;, tàm iustis, quàm iniustis consideranda esse haec tria docet: initium uoluntatis, progressum operis & finem retributionis, ut in his ea tantùm Deo tribuamus quae iusta sunt & bona, ea autē Deo indigna iudicemus, quae neq; Iustitiam neq; Misericordiam eius sapiunt. Praedestinationem Dei nihil aliud esse quàm misericordem & iustam futurorum operum eius sempiternam praeparationem seu dispositionem: ita ut in praedestinatione ex aeternitate dispositionis suae iam fecisse iudicetur, quae tempore congruo uel misericorditer, uel iustè facienda disposuerit: & proinde id quod nūquam fuerit in opere eius, seu quod nō faciat Deus, nunquam fuisse in eius praedestinatione.* Quod igitur *Sanctos concernit, quoniam* Gratiae *seu Misericordiae opus sit ex malis facere bonos, idcirco Praedestinationi diuinae rectè*

tribui

tribui (iuxta illud Rom. 8. Quos enim prædestinauit eos & uocauit, &c.) Vocationem, Iustificationem, & Glorificationem, h.e. bonæ uoluntatis initium, bonæ operationis incrementum & futuræ retributionis præmium, et idcirco nos neque in fide neq; in operibus debere tanquam nostrum aliquid nobis uendicare. Deum enim coronare in sanctis iustitiam, quam eis gratis ipse tribuerit, gratis seruauerit, gratisq; perfecerit, atq; ita opera sua glorificare. Quod uero ad Reprobos attinet, quoniam, neq; Misericordiæ, neq; Iustitiæ opus sit ex bonis malos facere, Iustitiæ uerò spontaneam iniquitatem punire: idcirco Prædestinationi tribuēdum non quidem malæ uoluntatis initium, aut operis mali progressum, sed retributionis iustæ pœnam. Nam etsi Deus & præsciuerit hominem peccaturum, & peccare, à se discedentem iustè deserendo, permiserit: non tamen prædestinasse eum quenquam ad peccandum, cùm sicut non omnia promisit quæ prædixit: ita non omnia prædestinauerit quæ præsciuit: neq; etiā potuerit hominē prædestinare ad hoc quod ipse disposuerat, & præcepto prohibere, & misericordia diluere, & iustitia punire. Iustitiam Dei non iustam fore, si puniendum reum non inuenisse, dicatur, sed fecisse: maiorē uerò iniustitiam futuram, si lapso Deus retribuerit pœnam, quem stantem prædestinasse dicatur ad ruinam. Quamuis uerò Deus non sit malus & iniustus peccati author, esse tamen eum mali & bonum seu misericordem Ordinatorem, dum malis hominum operibus benè utitur, & iustum Vltorem dum in reprobis iudicium suum desertione inchoat, cruciatione consummat. In reprobis igitur Deum impietatem uel iniustitiam, quam ipse non fecit, punire & opera non sua condemnare, & idcirco eum prædestinasse illos ad malum non culpæ, sed pœnæ: ad

 interitum

interitum nō delicti, sed supplicij: ad mortem animæ non primam, quæ est iniquitatis seu impietatis, sed secundam quæ est æternæ damnationis.

Secundus liber trium quæstionum explicationem continet. Primùm enim contra Arrianos, qui ex eo quod sacrificia Christianorum soli Patri immolentur, Filium Patri inæqualem esse nitebantur ostendere, testimonijs & exēplo Patriarcharū ac Prophetarū, etsi personæ Patris tantum offerantur sacrificia, à Christianis tamen totam Trinitatem eo ipso honorari, declarat. Deinde cur Ecclesia in S. Cœnæ administratione Spiritus S. missionem potissimùm à Patre postulet ostendit, & primùm προθεωρίας ἕνεκα missionē seu aduentum Spiritus S. quemadmodum eum non minorem faciat Patre, ita non localiter fieri: itemq́ Spiritus S. appellatione in scripturis non rarò dona eius intelligi monstrat. Postea docet quandocunque Ecclesia Spiritum S. sibi mitti postulet, petere eam donum Charitatis et Vnanimitatis (hoc enim ubicunque sit, ibi ipsum Spiritum S. esse, cùm cætera dona sint etiam ubi Spiritus S. nō est) sibi à Deo cōferri. Ideo uerò ritè dono Spiritus sanctus Charitatem peti, quia ipse sit communio Charitatis inter Patrem & Filium: & quia necessarium sit, ut sicut ex Spiritu S. conceptus est Christus, quādo Deus unigenitus in utero uirginis unitus Homini suo, tanquam sponsus processit de thalamo suo: sic Ecclesia dono Spiritus S. adhæreat Christo, tanquam mulier uiro suo et tanquam corpus capiti suo. Hoc autem ipsum nunquam opportunius fieri quàm eo tempore, quo corpus Christi Ecclesia mysticum illud Eucharistiæ sacrificium offert. Tum enim fideles quando ut unum corpus multi sunt, ita de uno pane participant & ex uno poculo bibunt, dignè petunt, ut qua

gratiā

gratiâ factum est quo Ecclesia Christi corpus fieret, eâdem fiat, ut omnia membra, Charitatis manente cõpage, in unitate corporis perseuerent. Tertia parte, ut excuset ea quæ contra sententiã D. Augustini ex Optati placitis de Pauli Apostoli supererogatione scripserat, ostendit: quædã in Scripturis multiplicẽ interpretationẽ, sine ueritatis dispendio, admittere.

Tertio libro *de Esse Filij apud Patrem contra Arrianos disputat. Crassi quidam Arriani id quod in principio Euangelij Ioannis legitur,* Verbum apud Deũ esse, *interpretabãtur extra Deum esse & hanc suam impiam sententiam exẽplo birri (pilei seu uestis genus fuisse arbitror) quod non in eo, sed extra eum existat, apud quem sit, confirmabant. Aduersus hanc ineptam interpretationem disputans Fulgentius,* Primùm *exemplo nimis crasso in disputatione de Deo ab Arrianis allato opponit aliud, etiam à creatura sed subtiliori, scil. Spiritu hominis, qui cùm apud hominem sit, nihilominus in eo esse rectè dicatur, petitum.* Deinde *absurda duo monstrat quæ ex Arriana interpretatione sequantur, quorum prius est nos, qui in Deo sumus, potiores esse Dei filio: posterius facturam, quæ in Deo esse dicitur, præponendam factori.* Tertiò *ostendit prolixè in S scripturis Apud aliquem esse, non significare Extra aliquem esse, adductis aliquot eius rei argumentis. 1. Cogitare apud se, non est cogitare extra, sed intra se. 2. Sapientia apud homines & Deum nota: non igitur exterius, sed interius est, aliâs nota non esset. 3. Pater & Filius apud dilectorem manent non exterius, sed interius, sicut & Spiritus sanctus apud fideles manet & tamen in ipsis est. 4. Apud Deum & in Deo esse æquipollere ex Paulo, Dauide & Mose eodem Spiritu afflatis liquet. 5. Apud Deum non esse trans-*

 mutatio-

mutationem: pro, In Deo nullam esse mutationem dici. 6. à minore. Si apud hominem dicitur esse, quod in eo est, multò magis apud Deum esse dicitur, quod in ipso est. 7. Prouerb. 2. Cogitatio mala, h.e. peccatũ apud mortem, h.e. in morte, apud inferos, h.e. in inferno esse dicitur. Concludit tandem simili modo intelligendum dictum Ioannis: Et Verbũ erat apud Deum, *præsertim cũ ipse Dei Filius alibi expressè testetur se in Patre esse.* Quartò *coronidis loco explicat quomodo Filij Esse apud Patrem sit intelligẽdum. 1. nõ ita quemadmodum homo dicitur apud hominem esse, sed sicut in mente uerbum aut in corde consilium. 2. non eo modo quo homo in Deo & apud Deum esse dicitur. De nobis enim cùm hoc dicatur non naturalem unitatem, sed uel potentiam Creatoris, uel pietatem Redemptoris intelligi. Multum igitur distare in re, quod unum sonat in nomine. Verbum enim est Deus, Filius, Vnigenitus naturaliter: Nos Dij, Filij, Geniti nõ naturâ, sed gratiâ.*

Responsiones ad Arrianorum Obiectiones.

Libros ad Monimum excipiunt decem Arrianorum obiectiones & totidem Fulgentij responsiones, in *quarum* prima *ostendit Patris & Filij appellationes cùm relatiuæ sint, non Essentiæ, cuius nomen unum est, sed personarum discrimina innuere.* In secunda *inenarrabilia esse multa, quæ tamen non sint ignota: ita quoq; Filij Dei generationem inenarrabilem quidem, quia una illi cum inenarrabili genitore substantia, non tamen ignotam, quia uerè facta sit.* In tertia *docet cùm in Christo duplex spectetur natiuitas, una quæ initium non habet sempiternæ diuinitatis: altera qua in seculo*

culo secundum carnem creatus est ex homine, fideliter esse distinguendum quid æternitati & quid temporalitati conueniat. In dicto igitur Prouerb. 8. Christum dici genitum & fundatum ante secula secundum diuinam naturam, creatum autem secundum humanam generationem. Ante enim *æternitatem diuinæ natiuitatis arguere, secundum quam dicatur genitus ex Patre cùm è diuerso secundum carnem creatus à Domino affirmetur. Primogenitum uerò creaturæ puta nō conditæ, sed reparatæ, h. e. eorum quos in fratres sibi per fidem dignatus est adoptare, eundem ab Apostolo Coloss. 1. dici secundum incarnationis mysterium, secundum quod euidentiùs primogenitus ex mortuis ab eodem nominetur. Vnigenitum uerò ex Patre Ioan. 1. secundum diuinitatem dici. Illud deniq; Ps. 2. Filius meus es tu, hodie te genui, secundum incarnationis mysterium intelligendum, partim ex ipso textu, partim ex loco Act. 13. probat.* In quarta 1. *Filiū Dei de substantia Patris natum atq; adeò Patri consubstantialē esse, primùm à cultu et adoratione, qui soli Deo Vni et Trino secundum Esaiæ, Mosis, Dauidis, Pauli testimonia debetur: deinde authoritate sacra probat. 2.* Opinionem *aduersariorum dilemmate confutat.* In quinta *Patrem & Filium nec duos ingenitos nec duos genitos esse, nec personaliter confundi, nec substantialiter separari: sed quia de Patre immutabili, æterno, perfecto filius immutabilis, coæternus & perfectus genitus sit, ideò Filium Patre non minorem, sed ei æqualem esse docet.* In sexta *eam esse Patris & Filij æqualitatem, ut quicquid uni derogetur alteri quoq; detrahatur. Ideo cùm Arriani Filium solùm Lumen appellent, ut eum à Patris æqualitate discernant, simul eos Patri nomen Luminis & proinde substantiam Deitatis denegare. Lumen autem*

esse & Patrem & Filium hunc in illo, illumq; in hoc & proinde utrumque æqualis Deitatis. In septima *uocem Alius in sacros. Trinitate personas discernere, non naturas diuidere. Gignentis enim æterni & geniti coæterni personam diuersam, substantiam unam esse. Si uerò uox Alius potiorem significet, sequi Spiritum S. Filio potiorem, quod cū falsum, neq; Patrem quia alius à Filio, hoc ipso potiorem dicendū. Patrem & Filium unum esse non tantùm uoluntate, sed & substantia, & hanc ob causam priscos ὁμοουσίου uocabulum usurpasse, quæ licet non secundum literam in S. literis repeтiatur, secundum sensum tamen, ut multa alia, in ijsdem contineri.* In octaua *fidem orthodoxam, quæ statuit propter Deitatis immutabilitatem Filium Patri, Spiritum S. utriq; æqualem, Deum non iniuria afficere, sed honorare: illos potius in Deum iniurios, qui cum creatore creaturam colant.* In nona *ut locum illum Psal. 110. Ex utero ante luciferum genui te, de æterna τοῦ λόγου generatione intelligendum doceat, quid uterus, Lucifer, splendor sanctorum significet explicat.* In decima *tres distinctas esse hypostases in una essentia diuina multis S. scripturæ locis & D. Cypriani testimonio confirmat, simulq; Filij diuinitatem asserit, & orthodoxos non unum Deum ex tribus partibus compositum, sed Filium de Patre genitum & ab utroq; procedentem Spiritum S. Deum unum nec diuisum essentia, nec confusum personis colere, ostendit.*

LIBRI

ARGVMENTA.

LIBRI TRES AD TRASIMVNDVM VANDALOrum regem.

Liber primus.

TRasimundus Vandalorum in Aphrica rex, Arrianorum partium, is qui, ut scribit Procopius, Christianos non supplicijs & corporis pœnis, sed beneficijs & præmijs ad deserendam fidem inuitauit, uolumen quoddam obtulerat Fulgentio, iubens eum illicò respondere. Cumq; hic spatium unius noctis ad librum ordine perlegendum obtinere nō posset, ad quæstionem tamen ex principio illius cognitam respondere tribus hisce libris decreuit. Initiò igitur huius primi libri solicitè captat beneuolentiam: partim à sua persona, se non arrogantia aut contumacia impulsum ostendens, sed necessitate perfessionis & officij ratione coactum ad respondendum: partim à persona regis, cuius rarum & singulare studium sapientiæ ita laudat, ut illud ipsum nisi recta uia ad ueritatem ingrediatur, hæresesq; uel Christi personam, uel Sacros. Trinitatem oppugnantes fugiat, utile non esse moneat. Postea proponit omnes ferè hæreses inde ortas esse, quod mysterium incarnationis uel non crediderint, uel non rectè cognouerint. Christum enim lapidem esse offensionis ad quem impegerint Iudæi, Manichæi, Photinus & alij, quorum dogmata Apollinaristis et Arrianis cōmunia recenset quidem, sed nomina consultò subticet. Postremos igitur hos, qui λόγον non naturâ sed nuncupatione Filium Dei, corpus sine anima assumpsisse statuebant, atque ita naturas confundebant & Deitatem passioni atq; mutationi subijciebāt, cū sibi refutandos proposuerit, primo hoc libro

libro firmissimis S. scripturæ testimonijs in persona Christi diuinæ humanæq; substantiæ seu naturæ perfectionem demonstrat, potissimùm uerò Christum perfectũ esse hominem, & non solùm corpus, sed & animam suscepisse humanam, refutatis aduersariorum argumentis, prolixè declarat.

Liber secundus.

In fine primi libri refert Fulgentius, quosdam carnaliter & nimis crassè de Christo cogitantes, eius diuinitatem localiter de cœlo uenisse & ad inferos descendisse, docuisse. Horum igitur errorem secundo hoc libro confutaturus plurimis ijsq; solidissimis argumentis ostendit, Filium Dei per quem solum nobis pateat accessus ad Deum Patrem, secundum diuinitatem Patri esse æqualem, coæternũ & coimmensum, ac proinde neque tempore circumscribi, neq; loco includi, refutatis etiam aduersariorum obiectionibus. Deinde cũ in scripturis S. ascẽsus & descensus Christo sæpissimè tribuatur, ne naturæ confundantur, docet, quomodo hæc ei secundum diuinitatem & quomodo secundum humanitatem conueniant. Ascensum & descensum tribui Christo etiam secundum diuinitatem asserit, sed tum non significari motum localem, sed manifestationis Dei & agnitionis nostræ modum. Deinde unum & eundem Christum secundum diuinam naturam esse quidem immensum & habitare in nobis, quemadmodum & tota Trinitas æqualiter immensa sit & nobis inhabitet, uerum secundum humanitatem illum non ubiq;, sed circumscriptum seu localem fuisse & esse, non tantùm olim cũ in his terris esset, sed etiam nunc in cœlo, quò corporaliter ascenderit, & unde corporaliter uenturus sit ad iudicium.

Liber

Liber tertius.

Restat illud Arrianorum dogma, quo in Christo, quem Patre minorem esse fingebant, naturas cõfundentes, Passionem diuinitati eius, quæ loco animæ fuerit, attribuerunt: quod ita confutat hoc libro Fulgentius, ut orthodoxam doctrinam de Vnione personali duarum naturarum in Christo plenè, dilucidè & accuratè satis exponat. Principio utriq; naturæ suas proprietates attributurus ne credatur cũ Nestorio duos Christos facere, aut quartam Trinitati personam inserere, fidem suam de persona Christi explicat & docet: λόγον esse Patri consubstantialem, eundem sine sui mutatione in unionem personæ assumpsisse integram humanam naturã, ita ut in uno Christo sit ueritas utriusque naturæ inconfusa, sed unita. Sicut enim Pater & Filius unus Deus sunt naturâ: ita humanitatem & diuinitatem unum esse Christum personâ: & quemadmodum personalis distinctio non faciat duas naturas in Patre & Filio, unitas autem naturalis non confundat personas: ita in Christo naturarum distinctionem nõ facere duos Christos, & unitatem personæ non confundere naturas. Deinde personalis unionis rationem explicat & docet eam non tollere naturarum discrimen & proinde alteri naturæ non reipsa inesse, quod cùm unius proprium sit, de altera tamen propter unionem personæ rectè prædicatur, atq; sic quoque Deum in carne passum, non tamen diuinitatẽ carni compassam esse. Communicatio idiomatum. *Tertiò mœrorem, tristitiam, gaudium, & similes passiones, quæ de tota persona dicuntur, non diuinitatis, sed animæ humanæ proprias esse, mortem & sepulturam ad solam carnem pertinere ostendit, & uniuersum redẽptionis opus ita exponit, ut quid de tota persona dicatur,*

quid

quid singulis naturis sit proprium indicet. Sub finem postquã uarios errores circa personã Christi enumerauit, Pneumatomachos refutat & Spiritũ S. Patri & Filio consubstantialẽ ex operibus, quæ cum ipsis communia habeat, demonstrat.

EPISTOLÆ.

PRima. Vxor cuiusdam cùm extremè laboraret, perpetuam uouit continentiam: postquã autem conualuisset carnis fragilitas & ætatis impotẽtia uoto obluctãtur. In triuio igitur cogitationũ cõstitutus maritus consiliũ petit à Fulgentio, qui ei hac Epistola responsurus, quædam de Coniugio & de Votis anticipat. Primùm igitur docet nõ in coniugio, sed in coniugum immoderatione uitium esse. Deinde cõiugium in se honestum & licitum esse probat S. literarum testimonio. Tum de finibus & recto usu cõiugij, itemq; de uitio quod ex accidente commixtioni carnali adhæreat, fidelibus tamen non ad peccatũ imputetur, disserit. Ad extremum fornicationis turpitudinem notat. Transit postea ad Vota & primùm ea licet in tribulatione promissa Deo reddenda esse ostendit, adeò ut etiam res per se licitæ interueniente uoto fiãt illicitæ, & idcirco continentiæ uoto obstrictis nuptias quoq; illicitas fieri. 2. Coniuges non posse uouere, nisi id fiat ex utriusq; consensu. 3. Tantùm abesse ut simulatio excuset, ut etiam magis damnabilem reddat uouentem. 4. Vnumquemq; qui res Deo deuotas uel reperat uel retineat non esse legitimum rei suæ possessorem, sed diuini iuris inuasorẽ. His præmissis respondet ad quæstionem sibi oblatam appellans eorũ quibus consulit conscientiam: siquidem pari consensu uouerint, omnino uotum seruandum & contra carnis infirmitatẽ diuinum auxilium implorandum: sin uerò unus sine altero

uouerit

nouerit temeritatem uoti agnoscendam & debitum coniugi reddendum. Sub finem aspergit praecepta quaedam coniugalia, & docet quomodo fideles coniuges in reddendo debito coniugali se gerere debeant: an fideli sit ducēda uxor? quod'nam sit fidelis mariti in gubernanda familia, educandis liberis officium? quod deniq; fideles coniuges ad uitam meliorem aspirare debeant.

Secunda. *Epistola haec ad Gallam foeminam Romanam loco ut apparet illustri natam scripta,* παραμυθικὴ καὶ παραινετικὴ *est. Primùm enim eam super morte mariti iuuenis consolatur, à propitiæ Dei prouidentiae consideratione, qua fiat ut omnia nobis in bonum cedant. Sic Deū quoq; maritū ipsius pium et iuuenē adhuc in cœlestē patriam transtulisse, ut & illi gaudia aeternae uitae conferret & Gallae facultatem melius uiuendi concederet. Deinde à spe futurae resurrectionis, quae nō permittat fideles ultra modū tristari. Neq; enim atrā diem auferre fideles, sed impios, qui in extremo die non habeant consolationem: neq; etiam Christianum hominem etsi adhuc iuuenis moriatur funere mergi acerbo, cùm non longa, sed bona uita homini prosit. Tertiò à donorum Dei comparatione & fidei natura. Dona enim Dei alia pijs esse propria, siue in hac tantùm uita necessaria sint, ut fides & opera misericordiae: siue in futura uita perficienda, ut caritas, ueritatis agnitio & similia: alia pijs cùm impijs communia quibus benè & malè uti possimus, quaeq; à Deo temporaliter ut tribuantur sic auferantur tàm bonis, quàm malis. Sic Iobū in utraq; fortuna beatum fuisse: Lazarum in Euāgelio beatiorem diuite. Et his annumerari etiam nuptias & proinde benè has & contemni & suscipi posse. Cū igitur fides nō temporalib. sed aeternis intēta sit, boni consulendā Christiano*

amis-

amißionem donorum Dei, quæ sunt temporalia & indifferentia. Postea Gallam in proposito suo confirmaturus, primũ statum uidualem laudat ex collatione coniugij: coniugia Christianorum sancta quidem esse asserens, sed tamen innuptas in altiori dignitatis gradu collocatas. Deinde eandem quoque instruit præceptis & exemplis. Præceptis, cùm eam uidualis officij admonet 1. in tota uita, iubẽs illam à mundanis curis liberam, sanctam esse corpore & spiritu, adhærere Deo & instare orationibus. 2. circa opes, quibus non debeat esse intenta, sed thesaurizare in cœlo non in terra. 3. in uictu, amictu & conuictu, in quibus omnibus delicias non carnis, sed cordis sectari debeat, & superuacanea sibi subtrahere, ut erga pauperes eò liberalior esse posit. Exempla ei proponit partim aliena, ex Testamento ueteri, Iuditham: ex nouo uerò Annam Prophetissam: partim domestica, sororem Probã. Sub finem eam monet ut fugiat iactantiam in bonis operibus & laudem hominum, quo Deus in ipsa laudetur, utq; nihil propriæ uirtuti, sed omnia gratiæ Dei accepta referat, neq; tamen de diuino auxilio in aliquo diffidat. Concludit Epistolam exhortatione ad uirtutem, studium S. literarum & humilitatem.

Tertia. *Scripta est hæc de humilitate & uirginitate Epistola ad Probam nobilem uirginem Romanam, idipsum studiosè petentem, antequam præcedentem ad sororẽ eius Gallam exarasset. Exordiũ satis est prolixũ. Duo enim cùm sint actionum humanarũ principia, Voluntas & Facultas, ostendit Fulgentius, se quod ad uolũtatem partim desiderio Probæ laudabili moueri, partim Charitate insita, per quam mẽbra Christi sibi inuicem seruire debeant, compelli: quod uerò ad facultatem, se quidem agnoscere uirium suarum imbecillitatem,*

cillitatem, cõfidere tamen in auxilio Dei, quod speret sibi adiuto precibus Probæ non defuturum, cùm Deus ex quo non saltem posse nostrum, sed & uelle, atque adeò omnis nostra sufficientia, gratis sua dona largiatur fidelibus. Quapropter ea quæ satisfactura sint, diuinæ sufficientiæ: quæ uerò minus placitura, suæ indigentiæ ascribi modestiè postulat. Rem postea aggreditur & primùm Virginitatem cõmendat 1. ab authore eius & spõso Christo. 2. ab Etymologia uocis: uirginẽ, inquiẽs, quasi uiraginem, uiraginẽ à uiro, uirum à uirtute dici. Sic Ecclesiam quoq; cuius typus sit Eua & uirginem & uirũ dici & à Christo Christianam denominari, cuius respectu non saltem uirgo, sed & mater & sponsa nominetur 3. à gratia donationis, quæ maior sit in uirginibus, quàm alijs membris, quoad gloriam, non quoad uitam. 4. ex comparatione cælibis & coniugalis uitæ. Sanctitatem uitæ non quidem ita ascribi uirginibus, asserens, ut coniugatis denegetur, cùm & nuptiæ non sint peccatum, sed opus donumq; Dei: uerum tamen inter dona Dei discernendum, nec eum qui potius donum magis laudat, inferiùs damnare. Vitam igitur cælibem à cõiugali distare nõ ut à malis bona, ab immundis munda, à prophanis sancta: sed ut à bonis meliora, à mundis mundiora, à sanctis sanctiora. Coniugij enim multa esse incommoda circa prolem corporalem, quæ mentem ad terrena deprimãt: cùm è contra multa bona sint uirginitatis circa prolem spiritalem, quibus etiã caro ad cœlestia subleuetur. Deinde *ad Humilitatem uirginitatis internam uirginitatem transiturus, Virgines medium uirtutis callem tenere & neque ad sinistram, quam carnalium obsideat turba uitiorũ, neq; ad dextram, quam spiritalium occupet iactantia superba uirtutum, declinare debere monet. Ad sinistram enim diabolum sub*

 speciẽ

specie blandarum uoluptatum mõstrare illis molliore cliuo latioris uiæ descensum & ideo fugiendas delicias carnis in uictu & amictu. Hostẽ uerò ex hac parte superatũ, ad dextrã quò occultius eò periculosius parare præcipitium, dum uirtutem qua se superari uidet laudat, ut uictus possit captiuare uincentem, per superbiam, quæ omnis peccati sit initium. Cũ enim superbia alia sit manifesta, eorum qui uel palam peccãt, uel peccare se callidè dissimulãt: alia occulta, eorum qui uel alios despiciunt, uel bona opera proprijs uiribus attribuunt, diabolum illâ animas in carne iacentes opprimere, hac uerò de carne uolantes deijcere. Proinde uirgines debere ut corporis integritatẽ, ita multo magis animæ humilitatem custodire, cùm utramq; Christus Spõsus & Dominus uirginũ exigat. Ad uitãdam uerò superbiam hominem debere se nõ alijs, sed sibiipsi comparare & exemplo Dauidis propriã considerare indigentiam & infirmitatem. Sanctos enim quoq; sentire peccati reliquias, à quibus tamen liberentur gratiã Dei quæ humilibus gratis detur. Concludit tandem Epistolam exhortatione ad humilitatem, in qua illud sedulò inculcat gratiam Dei in nobis præuenire omne bonum opus.

Quarta. *Exemplo Probæ cõmendat pijs omnib. iuge precum ex sancta cordis compunctione seu contritione & uera humilitate conceptarũ studium, causas aliquot huius rei grauissimas enumerãs, ut nimirũ mitigetur Deus, qui frequenter à nobis offenditur: ut à Deo, qui omnis boni operis in nobis est author, adiutor & custos, auxilium gratuitum impetremus, & ita in hac uita proficiamus, ne tamẽ quicquã proprijs uirib. assignemus, sed humili corde à Deo accepti muneris custodiam petamus, cùm homo sine Dei gratiâ nihil boni uelit uel operetur, sed & initium bonæ uoluntatis, & facultas boni ope-*

ui operis, & perseuerantia bonæ conuersationis à Deo sit: ut laqueos diaboli quos nunquam non nobis tendit effugiamus, non proprijs uiribus confidentes, sed securitatem fugientes, eoq; nomine lachrymis, orationibus & continua cordis humilitate pugnantes: ut semina bonorum operum rigantes flumine lachrymarum & terram carnalis concupiscentiæ in sudore uultus exercentes, fructum capiamus & ad esum panis nostri ueniamus, h.e. uictoriā de cupiditatib. nostris ex diuinæ uirtutis opitulatione obtineamus: ut deniq; quoniā in hac uita partim sumus Deo subditi per gratiā, partim adhuc non subditi per culpā, (sanctos enim quoq; mēte seruire legi Dei: carne legi peccati) & grati simus ipsi pro donis in nos collatis, & propriam infirmitatem agnoscētes gemamus atq; fleamus corā illo, donec nos à concupiscētia carnis penitus liberatos perducat ad perfectā subiectionē æternæ beatitudinis.

Quinta. De Charitatis dilectione, quā se ex lectione literarū Eugyppij cōcepisse initio testatur, hac Epistola quādā ad Abbatē scripturus, primū Charitatem spiritaliū donorū præcipuum esse docet: deinde ostēdit nō omnes qui eam mirātur & laudāt continuò illam quoq; diligere, neq; enim posse Charitatē diligi, nisi ab ijs qui illā habeāt, quod probat à dissimili. Nam 1. nō ita Charitatē diligi, ut uisibile oculis corporis uidetur, ubi aliud est quo uidemus, aliud itē quod uidemus. Charitatem.n. nō nisi à seipsa diligi. 2. Nō ita diligi Charitatem, quemadmodū pecunias aut alias res externas diligimus, quas etsi nō habeamus, tamē sæpe diligimus & desideramus. 3. Non etiā ita quemadmodū alia dona spiritalia prophetia, linguæ & similia, quæ & ipsa possunt diligi, nec haberi. Causam huius rei affert hanc quod cætera dona etiā sine bona uolūtate haberi possint, ita ut habentē onerent potius,

quã honorẽt, Charitas minimè. Ex quo colligit maleuolũ animum Charitatem neq; alteri impendere, neque sibi habere: sed beneuolum esse Charitatis domicilium. Voluntatem autem bonam uel malam non ex officio, sed ex fine esse æstimandam: non enim ex eo quod quis faciat, sed ex eo propter quod facit, qualitatem uoluntatis dijudicari. Infert tandem Charitatis dilectionem nihil aliud esse quàm Dei & proximi, in quibus Charitatem inueniamus, dilectionẽ, & idcirco irrationalibus, quæ ut ratione ita Charitate careant, nõ deberi. Sub finem hortatur Eugyppium ut ex mutuo Charitatis affectu pro se instanter orare dignetur.

SEXTA. Excusat se primùm quod scribat ad ignotum: postea gratulatur ei de conuersione, propter quam angelorum cœtus ei applaudat, diabolus uerò lugeat, eoq; magis quod exempla optimatum post se trahant multitudinem in utramque partem. Conuersionem autem docet Dei opus esse, qui secundum incommutabile consilium suum ordinem mutabilium rerum regat & dispenset. Deum enim esse immutabilem, & proinde eos, qui rerum mutabilium amore cõtempto, in illius dilectionem transeant, perpetuò fore beatos, licet huic uitæ mortui, licet hic pauperes atque humiles sint. Humilitatem uerò hanc non habere eos qui uel mundum diligunt, uel contemptũ mundi proprijs uiribus assignant. Proinde monet Theodorum ut cùm iam Deo dante didicerit ea quæ in mundo sunt contemnere, non proprijs uiribus attribuat hunc contemptum, quem non natura, sed gratia tribuat homini, ita à Deo facto, ut non semper sit, quod esse potest. Gratiam Dei operari in nobis omnia, ipsum etiam orationis affectum, ideoq; omnẽ quidem superbiam detestabilem esse, maximè tamen illam, qua sibi tribuit homo, quæ Deus homini do=

ni donat. Veram autem Christiani sublimitatem esse humilitatem, quam ita commendat Theodoro, ut simul eum ad S. literarum lectionem hortetur.

Septima. *Venantiam rebus aduersis debilitatam atque fractam, de remissione quoq; peccatorum atq; æterna salute dubitare cœpisse uerisimile est. Fulgentius igitur hac de ueræ conuersionis natura & futuræ retributionis uicissitudine Epistola eam erecturus & consolaturus, initiò sibi per salutationis Iunilli literis insertæ indicium Venantiæ Charitatem, arborem nimirum ex fructibus, innotuisse ostendit. Subinde Charitatis eam uim esse docet, ut non solùm præsentia, peccata uitari, sed & præterita relaxari efficiat: hanc tamen à superbis & contumacibus, qui cùm omnem propriæ salutis spem abiecerint, aliorum quoq; conentur perturbare conscientias, repudiari. Magnum uerò esse sacrilegium fingere, Deum omnipotentem & summè misericordem homini peccata etiam post baptismum commissa non remittere, cùm S. literæ testentur quoduis peccatum remitti conuerso, qui desperando indulgentiæ ostium sibi non præcludat. Salubrē autem eam esse conuersionem, quæ nesciat Spei & Pœnitentiæ diuortium. Iudæ pœnitentiam fuisse sine spe, aliorum spē sine pœnitentia, sed neque hanc ab illa, neque illam ab hac separandam esse. Omne uerò tempus uitæ præsentis esse pœnitentiæ aptum multis confirmat authoritatibus, atque rationibus, desumptis: à temperamento iustitiæ & misericordiæ Dei: ex parabolis Samaritani & Operariorū in uinea: ex eo quod duritia cordis grauiter in peccatoribus reprehendatur: ex eo deniq; quod Deus nunquam non nos per aduersa ad pœnitentiā inuitet. Exemplo autem Diuitis & Lazari docet, eos qui gaudijs temporalibus oblectantur æternis ignibus*

concremandos: eos uerò qui mala huius seculi cum timore Dei patienter tolerent æterna quiete potituros, atque sic futuræ retributionis uicissitudine neque bonos neque malos priuatū iri. Festinandum igitur ut ad Deum conuertamur, in conuersione autem de remissione peccatorum nō desperandum: aduersa non solùm patienter toleranda, uerum etiam in ijs Deo gratias agendas esse.

LIBER AD DONATVM.

DOnatū iuuenem, ab hæreticis tentatū, neque tamen uictū, in fide recta de Trinitatis & Incarnationis mysterio cōfirmaturus, primū ueram & orthodoxam sententiā de personarum in diuinis Trinitate & essentiæ unitate proponit & sacrarum literarum testimonijs probat. Postea contra hæreticos disputat, primùm quidē Patris & Filij æqualitatem contra Arrianos asserens: Deinde Spiritum S. Patri & Filio æqualem esse contra Macedonianos ostendens. Contra Arrianos quidē ratiocinatur ex dicto Deut. 6. Audi Israël, Dominus Deus tuus Deus unus est, in hunc modum: Pater et Filius aut unus sunt Deus, aut duo, Deus maior sc. & Deus minor. Atqui non sunt duo. Si enim duo essent tum aut Patrem solum Dominum Deum suum dicerent, aut Filium. At Patrem Dominum Deum suum non negant Arriani, cùm ei diuinitatem Filij subijciant. Filium uerò si Dominum Deum suum negauerint 1. reclamabit authoritas Prophetica & Apostolica. 2. Christianos se esse simul negabunt. Pater igitur & Filius unus sunt Deus, & proinde neque hic sine illo, neque ille sine hoc colendus. Secundò ex dicto Matth. 4 Dominum Deum unum adorabis & ei soli seruies. Quem adora-

re & cui seruire nos Scriptura iubet, is utique uerus est Deus. Creaturæ enim neq; adoratio neq; seruitus debetur. Atqui Filiũ Dei adorare eiq; seruire S. scriptura præcipit: Ergo, &c. Tertiò. Vera religio est unius ueri Dei cultus. Vt enim ueritas una est, ita & Deus unus. Atqui S. scriptura ut Patrem ita & Filium uerum Deum esse expressè docet: Fatendum igitur Patrem & Filium esse unum uerum Deũ naturaliter. Quartò respondet ad dictum Ioan. 14. Pater maior me est: Christum esse & dici Patre minorem secundum humanitatem, eidem tamẽ æqualem esse secundum diuinitatem, respectu cuius dicat Ioan. 10. Ego & Pater unum sumus. In Christo enim esse duas naturas & minorationẽ eius ad humanã pertinere. Cõtra Macedonianos uerò docet Spiritũ S. uerũ Deũ & proin Patri & Filio æqualem 1. quia sit creator. 2. quia immensus. 3. quia nos templum eius simus. Post hæc repetit breuiter orthodoxam sententiam de sacros. Triade, eiq; opponit tres hæreses Sabellianorum personarum trinitatem, Arrianorum essentiæ unitatem, & Macedonianorum Spiritus S. diuinitatem negantium. Sub finem Incarnationis mysterium paucissimis perstringit, ostendens Christum & uerum Deum esse & uerum hominem in una persona: eos uerò qui sic Christum uerum Deum esse fateantur, ut ueram eius carnem negent Manichæos: eos item qui sic in Christo humanæ naturæ ueritatem prædicent, ut eiusdem deitatem negent Photinianos esse hæreticos. Mediatorem utriusq; naturæ participem esse.

SERMONES.

PRimo sermone explicãtur duo loci ex 12. ca. Lucæ primũ parabola dispẽsatoris uersu 42. tradita deinde

 exhorta-

exhortatio Christi uersibus 33. 34. & 35. *comprehensa. Quod parabolam attinet ostendit Dominum esse Christum: familiam autem esse Ecclesiam: dispensatores non saltem Apostolos, sed & cæteros Episcopos: mensuram uerò tritici à Paulo appellari mensuram fidei, quam ministri Ecclesiæ dispensent, auditores accipiant. Ad hanc pertinere exhortationem illã Christi:* Vẽdite quæ possidetis, &c. *Docet igitur Christianis omnibus conuenire ut in melius proficiant, cũ sint arbores in agro dominico, quas Deus cœlitùs gratiâ spiritali compluat & colat: omnis autem arbor sterilis excidatur & comburatur. Ad perfectionem omnes aspirare debere, ita tamen ut qui summum gradum non possunt attingere, operam dent quò secundum locum obtineant. Qui igitur nõdum eousq; progressus sit, ut possit omnia sua uendere, eum tamen posse eleemosynam dare, atq; ita terrena paulatim cõtemnendo thesaurum in cœlo ponere, quod tum fiat, si lumbi nostri sint præcincti & lucernæ ardentes, h.e. ut regius Psaltes interpretatur, si declinemus à malo & faciamus bonum: si concupiscentiam malam cohibeamus & rectæ fidei regulam seruemus.*

Sequentes duo sermones *die natiuitatis Christi habiti fuêre.* Priore *duplicẽ Christi natiuitatem persequitur, alteram æternam & inenarrabilem, qua de Patre natus est alter in persona, non alius in natura: alteram temporalem, hominis prærogatiuam præ angelis & Dei dilectionem erga genus humanum manifesto iudicio prodentem, qua ex uirgine natus est uerus homo, ut quod primus Adam perdiderat, ipse secundus Adam restauraret.* Posteriore *laudes B. uirginis Mariæ ex incontaminato, mundo & salutifero partu Saluatoris.*

Quartus sermo est de S. Stephano protomartyre, in cuius principio pulchram instituit comparationem Christi nascentis & Stephani morientis. Deinde docet Stephanum inuictũ fuisse, munimine nimirũ regio septum, h.e. Charitate, quã ceu donatiuum Christus militibus suis distribuat. Illum enim inimicos dilexisse & cùm pro eis oraret & cùm eos corriperet, atq; ita exemplum posteris reliquisse, maximè uerò ministris Ecclesiæ, ut ipsi quoq; peccantes corrigant & pro ijs orent. Neminem igitur debere horum correptionibus offendi, aut existimare ideo Charitatem frigescere. Illos enim Charitate compulsos hortari & bonos ut perseuerantiam Stephani, & malos ut conuersionem Pauli, qui iam cum Stephano triumphet, imitentur. Concludit tandem homiliam exhortatione ad Charitatem.

Initio quinti sermonis ostendit Epiphaniæ festum nomen inde traxisse, quod eo die Christi natiuitas gentilibus Magis manifestata fuerit. Ideo uerò hanc non tantùm pastoribus Iudæorum, sed & sapientibus gentium fuisse reuelatam docet, ut significaretur in Christo discrimen Iudæorum & gentium sublatum esse. Magos igitur quæsiuisse regem Iudæorum adorandum, non Herodem aut eius filium Archelaum, sed Iesum paupereulæ filium cuius regnum non fuerit de hoc mundo. Vnde eleganti apostropha ad Herodem regem instituta uanum & præposterum eius timorem & furorem redarguit, qui neque infantibus occisis nocuerit, neque Christo fugiendi necessitatem imposuerit, cùm ideo mori noluerit cum paruulis, ut uoluntaria morte posset peccata Mũdi expiare. Deitatem uerò Christi à stella haud obscurè significatam fuisse, quemadmodũ etiã Magorũ munerib. & diuina eius maiestas, et regia potestas et humana mortalitas fue-

rũt indicata, cõtra Arrianos, Manichæos, Nestoriũ & Eutychetem.

LIBER DE INCARNATIONE ET GRATIA DOMINI NOSTRI Iesu Christi.

BEatus Fulgentius nomine cæterorum Aphricæ Episcoporum, symmystarũ suorũ, libro hoc P. Diacono & collegis ita respondet, ut suã de Incarnatione & Libero arbitrio seu Gratia saluatoris sententiam Græcorũ cõfessioni prorsus ὁμόψηφον esse ostendat.

Primũ igitur de Incarnatione docet in Christo esse quidẽ duas naturas, sed unam personam: λόγον enim cũ in forma Dei esset, h.e. naturâ Deus, semetipsum exinaniuisse, nõ Deitatem quæ sit immutabilis minuendo uel amittendo, sed formam serui, h.e. naturam humanam accipiendo, non solũ in, uerùm etiã ex B. Virgine Maria, quæ (cũ Christus sit etsi inconfusus naturis, tamen indiuisus personâ) Deũ conceperit & pepererit, ita ut Incarnatio Verbi & Virginis Conceptio eodem temporis momento peracta esse iudicentur. Eundem licet uerè sine tamen peccati labe conceptum et natum esse, in ea carne, in qua etiam uerè mori debuerit, pro peccatis hominum. Accepisse eum in Incarnatione non personam nouam, sed naturam, quam sine confusione in unionem personæ assumpserit. Neq; enim Verbũ ita assumpsisse carnem ut nõ fieret caro, aut ut in illo homine Deus saltem esset, quemadmodum in sanctis esse dicitur: sed eundem Deum, hominem esse, sibiq; mirabiliter humanitatem utriusq; naturæ ueritate seruata uniuisse. Mariam igitur Verbum Deum secundũ quod caro factum est ineffabiliter, sed tamen uerè concepisse,

creatorem uniuersorum, eundemq; incarnatum peperisse hominum redemptorem: sicq; Deum qui uenerit peccata tollere in similitudine carnis peccati, de carne peccati natum, ut de uirginis carne non traxerit peccati labem, sed naturæ acceperit integram ueritatem. Beatam uerò uirginem conceptionem hanc & partum non humanis meritis, sed Dei dignatione promeruisse. Deum enim natum ex homine ut homines ex Deo nascerentur & ideo Filium Dei factum esse filium hominis, ut filij hominum fierent filij Dei: Vitam ad mortem natam, ut nos post mortem renasceremur ad uitam. Mortem enim Christi utramque in nobis mortem destruxisse: eiusdem resurrectionem utramque nobis resurrectionem attulisse. Verbum igitur caro factum unum esse & plenum Christum, siquidem carnis nomine, sicut & animæ Scriptura S. sæpenumerò totam naturam humanam intelligi uelit. Ante Incarnationem Verbum fuisse Deum non Christum: in ipsa Incarnatione non λόγον à carne assumptum, sed potius hunc assumpsisse carnem: post Incarnationem uerò Verbum & Carnem unum esse Christum. Incarnatam denique esse non totam Trinitatem neq; Patris uel Spiritus sanctis personam, sed solum Dei filium, qui cùm in forma Dei esset, serui formam acceperit. Concludit tandem priorem libri partem, summam orthodoxæ doctrinæ de persona Christi Mediatoris, in qua sint naturæ inconfusæ & indiuisæ etiam post resurrectionem, breuiter repetens.

Capite 12. transit ad alteram dissertationis huius partē, quæ est de Gratia Dei, non ea qua homines nascimur, sed qua à uinculis peccati originalis & actualis liberamur. Hominem igitur ait ab initio creatum à Deo non saltem bonum,

bonum, sed & libero arbitrio præditum, eiq; optionem datam uitæ, si obediret, & mortis, si peccaret. Post lapsum autẽ eundem facultate bonæ cogitationis & uoluntatis amissa miserabiliter uulneratum & spoliatum, factum esse peccati seruum, simul quoq; uniuersam suam posteritatem ad hanc mortiferam seruitutem adstrinxisse. Vt igitur à peccato originali liberaremur datum nobis esse Mediatorem, qui simul Deus & homo esset, Christum Dominum, qui fuerit masculus adaperiens uuluam, de quo Exod. 13. Ex peccato autem primi hominis non tantùm pœnam, sed etiam culpam propagatam esse in posteros, & proinde infantes quoq; non sine peccato esse probat obliquè primùm. Sequeretur enim ni hoc ita esset 1. Deum iniustum qui infantes mori facit, cùm mors sit peccati stipendium. 2. carnem humanam non esse carnem peccati, & per consequens, Christum assumentem carnem peccati non assumpsisse humanam naturam. 3. paruulos nõ indigere ope Mediatoris, ut Pelagius docuit. 4. eosdẽ non baptizandos. Deinde directè testimonijs aliquot sacræ Scripturæ idem confirmat. Liberari autem nos à peccato sola fide Filij Dei, seu Gratiâ Dei per Christum: non autem lege, quæ peccatum etiam augeat: neq; libero nostro arbitrio. Hoc enim neque sanum potuisse seruare mandata Dei, nec uulneratum de lege sumere quantulumcunq; remedium. Deum uerò impium iustificare fidem non inueniendo, sed dando. Fidem enim nõ esse in nobis sine conuersione: conuersionem autem esse Dei donum gratuitum. Non igitur rectè dici: Meum est uelle credere, Dei autem gratiæ adiuuare: cùm potius dicẽdum sit: Gratiæ Dei est adiuuare ut sit meum uelle credere. Gratiam enim Dei in nobis non inuenire, sed facere bonam uoluntatẽ probat à gratiæ naturâ, authoritate sacra & exem

plo D.

plo D.Pauli. Liberum arbitrium in homine post lapsum ante regenerationem esse liberum, sed non bonum, esse liberum non sub Deo, sed sine Deo & proinde seruiliter liberum, uerè autem liberum reddi gratiâ seruatoris in ipsa regeneratione, in qua nemo habeat bonam uoluntatem motu proprio, cùm reformatio nostri non sit ex nobis. Fidem enim quæ sit initium nostræ renouationis esse donum Spiritus S. à quo Christus formetur in cordibus nostris secundum fidem, sicut ex eodem in utero uirginis secundum carnem fuerit conceptus: ita ut gratia donantis infundatur priusquam homo incipiat uelle credere: quemadmodum B. Maria gratiâ plena appellata fuerit, priusquam se concepturam agnosceret: imò Christum seipsum formare in cordibus nostris, fideiq; esse & authorem & consummatorem. Hominem igitur uiam suam neq; habere neque corrigere, sed utrumque à Gratia prouenire, quæ liberum arbitrium non tollat sed sanet. Obijcientibus autem Deum personas respicere cùm non omnes faciat uelle credere respondet 1. in Deo non esse personarum respectum, cùm in nemine inueniat bonam uoluntatem. 2. Non sequi, Deum: si nõ omnibus, idcirco nemini dare fidem. Figulũ habere potestatem ex eadem massa luti facere aliud uas in honorem, aliud in contumeliam. Ne autem quis existimet, hominem à creaturis ratione carentibus non differre, docet, humanam naturam ut infidelitatis ita & fidei capacem: posse ei inesse credendi possibilitatem, sed tamen & possit illam habere, à Deo petendum & sperandum. Hominem enim esse ouiculam errantem, quæ à pastore illo bono quæratur ut ipsa quærat! eiq; Gratiæ donum sanitatem restituere, quam etsi ex se non habeat, habere tamen possit. Sic enim naturam hominis uitiatam, ut à Deo sanari possit, cùm incredulitas sit

contra

contra naturam eius, & proinde illius remotio possibilis non homini, sed Deo. Hominem namque non omnia, quæ habere possit, ex se habere posse. Quemadmodum enim caro habere possit uitam, non ex se, sed ex anima: ita etiam nos habere posse fidem, non ex nobis, sed ex donantis gratia. Et de his qui gratis per fidem iustificati etiam ad benè operandum subsequentis gratiæ auxilium accipiunt, non de incredulis intelligendum locum Pauli Rom. 2. de gentibus naturaliter quæ legis sunt facientibus, in quorum cordibus scriptũ sit opus legis, legis nimirũ fidei, non factorum, ut cognoscant Deum perceptione fidei ad hoc ut sint inaccusabiles, non quemadmodum illi qui Deum sine fide cognitum non ut Deum glorificant, ita ut fiant inexcusabiles, de quibus Rom. 1. Legem enim factorum quæ etiam naturaliter possit esse in cordibus infidelium non iustificare: Legem autem fidei, quam Deus scribat in cordibus fidelium, non per naturæ conditionem, sed per gratiæ largitatem, solam iustificare. Quod autem Deus non faciat omnes uelle credere, hoc ad secreta eius iudicia pertinere, quæ non scrutari, sed adorare debeamus & in ijs qui saluantur misericordiam Dei, in ijs qui damnantur eiusdem iustitiam agnoscere & prædicare. Errare uerò eos qui Dei uolũtatem, qua uult omnes saluos fieri, æqualiter ad damnandos & saluandos referant, ita ut in hominibus absolutè situm sit salutem uel amplecti uel repudiare. Deum enim quæ uelit facere & proinde quos uelit saluos fieri, eorum uoluntates mutare, neque expectare donec incipiant uelle, sed tribuere ijs ut uelint, quod exemplo paruulorum, quorum alij damnentur, alij saluentur demonstrat. Proinde omnes eos, quos Deus uelit saluos fieri, saluari & uocem Omnis ad uniuersalitatem saluando-

cuandorum restringendam, ut denotet non omnia homi-num indiuidua, sed omnium ætatum, conditionum, se-xuum, prouinciarum, &c. homines, quæ loquendi forma Scripturæ sacræ admodum sit familiaris. Idcirco igitur dici, Deum omnes homines uelle saluos fieri, ut agno-scamus neminem, nisi ex gratuita e-ius bonitate, sal-uari.

INDEX

INDEX RERVM ET VERBORVM MEMORABILIVM.

A



Abnegationis species est ueritatē dissimulare 211

Abraham Deo à se uiso sacrificauit 81. non ex operibus, sed ex fide iustificatus 776

Achilles Thetidis filius 897

Achillis talus aquis Stygijs hon tinctus 898

Actæon 835. 886

Actiua uita 852

Adam uidens, nudum se non uidet 895

Adami creatio, lapsus, posteritas qualis 677

Adami primi & secundi comparatio 631. 633

Admeti & Alcestes fabula 848

Adonis & Myrrhæ fabula 899

Aduētus Dei est gratiæ manifestatio 297. non localiter fit 90

Aduentus Spiritus S. non est localis 93

Ægyptus Isidis nauigium colit 845

Æstas 862

Aëllo 833

Aër maritat in glebis, producit in folijs, & grauidat in folliculis 863

Agaue 873

Aglaurus 872

Alce 858

Alce, præsumptio 849

Alcestes & Admeti fabula 848

Alcmena 858

Alecto 832

Alius, discernit personas non diuidit essentiam Deitatis 188. 189

Alphei & Arethusæ fabula 908

Altiora

Altiora nobis non quærēda 788
Amor creatoris uera sapientia creaturæ rationalis 37. cum periculo 887. inordinatus initiū peccati 42. iuuenilis nō diu durat 887. mundi cur uitiosus 42. peregrinari facit mentes 898. potentibus non stabilis 891
Amoris illecebra tribus modis trahitur 867. tres ordines 884. tres uncias habent uiri, nouem fœminæ 861
Amphitrite 831
Anacreon 845
Anasimenes 886
Anaximander 838
Angeli nostris animabus potiores 369. sunt à peccatis & passionibus liberi 370. omnes potuissent labi 269
Angelorum lapsus 35
Angelica natura hominis reparationi non sufficit 268
Anima Christi, uide Christus
Anima interdū totum hominem significat 254. saluari non potuit, si defuit anima Saluatori 234. 236
Animæ uoce sæpe totus homo intelligitur in sacris 716
Animam ponere dilectionis proprium est 383
Animal irrationale nō habet Charitatem 545
Anna Prophetissa 468
Annæ Prophetissæ & Iudithæ comparatio 468
Antæi & Herculis fabula 860
Ante, cùm diuina natiuitas Christi demōstratur, initium omne præuénit 165
Ante luciferū genitus Christus 197
Anthedon 869
Anthropopathicæ locutiones 196
Antia 882
Antichristus 882
ἀφροδίτη 856

Apollinaristæ 225
Apollo Pater sine barba 842
Apollinis fabula 835
Apollinis & Marsiæ fabula 900
Apollophanes 829
Apud aliquem esse non est extra aliquem esse 128
Apud Deum esse & in Deo esse æquipollent 135. & seq.
Apud Deum esse, non est extra Deum esse 123. & seq. sed in Deo esse 135. & seq.
Apud hominem esse dicũtur quæ sunt in homine 140
Apud se cogitare, non est extra se cogitare 129. sed intra se 130
Apuleius Psyches & Cupidinis fabulam proposuit 891
Aquila in signis bellicis 845
Arbor ex fructibus cognoscitur 558, sterilis excidetur 615
Arbores succinum sudantes 841
Arcæ Noæ mysterium ab Augustino diuersimodè explicatum 114. & seq.
Arcus & sagittæ Apollinis 841
Arethusa ibid.
Arethusa & Alphei fabula 908
Argus 844
Aristæus 907
Aristophanes Athenæus 894
Arriana interpretatio initij Euangelij secundum Ioannem 120. eius refutatio 122. & seq. absurda quæ sequantur 125 & seq.
Arriani creaturam creatori non solùm æquant, sed & præferunt 127. refutantur 589.592
Arrianorum hæresis 605. obiectiones decem contra Orthodoxos 148 & seq.

Artes primæ & secundæ sunt in omnibus disciplinis 805
Aruspicina 906
Ἀθλών 854
Athenarum conditrix Minerua 854
Atropos 833
Attis & Berecynthiæ fabula 888
Auarus stultus est 870
Augustinus mysterium Arcæ Noæ diuersimodè explicat 114. & seq.
Augustinus in doctrina prædestinationis à Gallis oppugnatur, à Prospero defenditur 71
Augustini testimonium de dilectione Charitatis 543
Autonoë 873
Autumnus 862
de Auxilio Dei non diffidendum 477

B

Babylon confusio 532. paruuli eius eliduntur ad petram ibid.
Bacchæ 873
Baptizamur in nomine Trinitatis 603
Baptizantur in nomine & morte Christi, qui in nomine sacræ Triados abluuntur 727
Beati mortui, pauperes, humiles in hac uita 551
Beatitudo futuræ uitæ qualis 534
Beatitudo rationalis creaturæ 37
Beatinius augur 877
Bellerophontis fabula 881
Benedictio ex corde prodit 239
Beneuolus Charitatis domicilium 541
Berecynthiæ & Attis fabula 888
Bona cogitatio & uoluntas ex Deo 683
Bona in nobis licet nostra sint, Deo tamen auctori accepta referenda 30

Bona in uita sua recipere quid 574
in Bonis tēporalibus qui lætantur, his Scriptura minatur exitium 575

C

CAci & Herculis fabula 859
Calais 908
Calliope 839
Calliopes & Fulgentij colloquium 816
Calliopes comites Vrania & Philosophia 428
Caro humana, est caro peccati 741. in scripturis totum hominem sæpe significat 716. nonnunquam totum hominem significat 253. paruulorum, nō est qualitate diuersa à carne adultorum 742
Castitas Sapientiæ iuncta 872
Castor ex ouo natus 875. unde dicatur 877
Celæno 833
Centauri 875
Centhippi 878
Ceres 834
Charitas crescit in eo qui illam erogat, ab eo qui illam sibi habet discedit 541. dilectione diligitur 538. primus fructus spiritalium donorū 536. principale Spiritus sancti donum 97. non ita diligitur, ut uisibile oculis corporis cernitur 537. non diligitur sicut pecunia 538. non sicut alia dona spiritalia 539. sine bona uoluntate nō potest haberi, ut cætera dona 540
Charitatis augmentū 95. dilectio 537. domiciliū homo beneuolus 541. donum per Spiritum sanctum ritè petimus cœnam Domini celebraturi 104. & seq. multiplex commodū aduersus peccatum 559. mutuæ debitum 483, uirtus mirabilis 119

Charis

Charitatem neque impendit neq; habet animus maleuolus 540 non habet animal irrationale 545

Charitate armatus Stephanus uicit 642

Charites 857

Christus, uide filius Dei.

Christus adoratur ab angelis & hominibus 200. animam suam pro nobis posuit 381. cur animam non assumpserit causa nulla est 246. ante luciferum genitus 197. est fidei & consummator 762. caput Ecclesiæ 236. carnē ueram assumpsit, sed carnis inquinamenta non sensit 223

Cœpit contristari & mœstus esse 369. pauere tędereq; ibid. creatus initium uiarū Domini 163. non ut nouam creaturam conderet, sed ut uetustam innouaret 164. creatus à Domino, genitus ex Patre 167. cur Deus & homo 713. 725 cur descenderit ad infernum & sepulchrum 399. fructus huius rei 400. cur non cum infantibus occisus, & tamen postea mortuus 655. cur secundum carnem matrem, secundum deitatem patrem habeat 284 de Patris utero: id est, substantia genitus 198. despondit sibi non carnem solam, sed & animam 235. Deus & homo, una persona: ex duabus naturis inconfusus sed unitis 706. Deus, præter quem non est alius 205. dies de die: id est, Deus de Deo 628. & carnem & animam suscepit 377. etiā post resurrectionem utramq; naturam ostēdit 715. est Deus essentialiter, sempiternus, immensus, altissimus 271. Patri igitur æqualis 272.

est nostrum & alimentum & præmiũ 614. ex humanitate & diuinitate compositus 668. exinaniuit se & tamẽ plen9 gratiæ & ueritatis mãsit 340. ex Spiritu s. cõceptus 99. filius Dei & hominis 157. formatur in corde secundũ fidẽ eo Spiritu, quo secundũ carnẽ conceptus fuit in utero 760. habet animæ ponendæ ac resumendæ potestatem 378. homo dicitur Dei filius 353. homo est λόγος & naturâ Deus 673 hominis fili9 à Petro filius Dei uiui appellatur 361. illam naturam assumpsit, quã redemit 234. 244. in carne passus 349 inconfusus & indiuisus 701. in forma Dei æqualis est Patri 600. in forma Dei cũ esset, semetipsum exinaniuit 694. in similitudine carnis peccati, de carne peccati natus 709. ipse in se & carnẽ ostẽdit & animã 259. ipse se format in credentib 761. iubet tẽplum sui corporis soluere, &c. 364. masculus est adaperiẽs uuluã 737. mediator ideoq; θεάνθρωπος 247. 248. noluit se tãgi 303. & tamẽ pedes sibi teneri permisit 306. nõ cœleste corp9 suscepit 358 non mutabilis 306. nõ sola Christi humanitas tradita est 391. panis angelorum & hominũ 629. passus secũdũ animã & corpus 362. pastor nõster 240. idem quoq; ouis & agnus 241. Patri æqualis, secundũ diuinitatẽ: eodẽ minor secũdũ humanitatẽ 597. 600. peccatũ non fecit 238. non est magna laus si de diuinitate dicatur hoc ib. peccata propria nõ habuit, aliena portauit 396. plenus Deus & homo 385. plenus gratię & ueritatis 336. põtifex noster

noster 242. per omnia tē tatus 243. pro nobis pōtifex & hostia factus 401. puer & filius dicitur ab Esaia 258. quib. ascēderit ad Patrē, & quib. non 308. creaturę primogenitus 167. primogenitus ex mortuis 169 rex iustitię, pacis 282. sacerdos & uictima 241. saluauit quod perijt 245. sapiētia ante secula fūdata 165. secūd9 homo de cœlo cœlestis 358. semetipsum suscitauit 411. sine patre & matre 282. sine genealogia 285. sine peccato susceptus 169. solus & angelos stabilire & homines reparare potest 270. θεάνθρωπος 285. 228 & seq. totus fuit in inferno & sepulchro, ubi tota humanitas nō fuit 411. ueritas 358. uerus Deus 179. uer9 Deus & homo 607. uerā animā suscepit 369. 381. uerā carnē assumpsit 223. unus & idē est uerbū at caro 719. in cœlū ascendens nō deseruit 722. in forma Dei & serui ibid. uoluntarias & ueras habuit carnis infirmitates 385. quare 386. Deitati nō conueniunt 392.

Christi anima, caro, diuinitas in Lazari resuscitatione ostēditur 362. itē in passione eiusdē 363. caro & anima asseritur euidenter à Petro in Actis 261. caro corrūpi nō debuit nec anima derelinqui in inferno 399. 405. cōceptio & natiuitas sine labe 635. conceptio mirabilis 708. descēsus qualis 270. dies duplex 628. diuina natiuitas 343. diuinitas asseritur 334 diuinitas humanitati nec compassa nec cōtristata 367 diuinitas impassibilis 389. diuinitas neq; carnē in sepulcro, neq; animā in inferno deseruit 405. diuinitas nō est passa 348. immutabilis est 349.

diuinitas non localiter ad inferas descēdit 263. diuinitas ubiq; 324. diuinitatem non passam esse quædam appellationes eius demonstrāt 395. duplex natiuitas 599. minoratio ibi. fuga in Ægyptum 655. gaudium, desiderium ad animam pertinent 376. generatio de qua in Psal. 2. secundum carnē intelligenda 170. 171. humanitas animâ non fuit destituta 229. 230. & seq. humanitas loco circumscripta 322. humanitatem localem, diuinitatem immensam esse confirmatur S. scripturæ testimonijs 320. & seq.

de Christi humanitate orthodoxa sententia 412. nascentis & Stephani morientis comparatio 639. natiuitas æterna & maiestas immensa 286. natiuitas diuina sine initio 165. natiuitas humana ducit nos in cognitionem diuinæ 284 natiuitas ineffabilis, fide saltem cognoscitur 285. passio uoluntaria 380. personam quænam hæreses infestent 413. persona cur tot erroribus hæreticorum oppugnetur 219 persona una, absque naturarum confusione 359. 361

de Christi persona sententia uera 262. personam quę potissimùm hęreses adortæ sint 221. & seq.

de Christi persona rectè sentiendum 217. regnū non de hoc mundo 653. sponsa Ecclesia 236. tristitia ad animam pertinet 373. una persona, gemina tamē natura & natiuitas 283. unctio ad hominem referēda 354. non ad diuinam naturā 355.

Christo capiti; Ecclesia corpus adhæret per spiritalem

ritalẽ gratiã 101. & seq. nos quoq; compatimur 402. cõmorimur 403. cũ eo à doloribus inferni liberamur ibid. quod alijs tribuit, non est denegandum 392
quæ Christo respectu humanitatis tribuuntur, Deiati in se nõ conueniunt 366
Christum assumpsisse perfectam naturam hominis 228. 234. & seq. & Deum & hominem appellat scriptura 248. Patri æqualem qui non credit, à corpore eius quod est Ecclesia arcetur 309. tangere quid 308
de Christo contraria dicũtur propter unionem hypostaticam 341
in Christo diuinitatem animam & carnem ostendit Esaias 397. duæ naturæ inconfusæ & indiuisæ 723. duę naturę integræ 344. quomodo diuinitas humanitati unita 345. duæ naturæ nõ confusæ, sed unitæ 665. duæ naturæ una persona 693. 346. 258. genitum à creato distinguendum 166. Iudæi & gẽtes coaluêre 649. naturæ non confusæ, sed unitæ 342. naturas distinguit, personæ unitatem fatetur Ioannes 386. Paulus 388. naturas distinguit Paulus 372. non sunt duæ personæ 729. naturæ non diuidendæ 727. una non natura, sed persona 365. ut carnis ita & diuinitatis ueritas agnoscenda 224. utraque natura propria sua ita seruat, ut personæ unitas non diuidatur 333. utraque natura suas retinet proprietates 319. duplex natiuitas spectatur 162. duplex natura agnoscenda 172. non est alius & alius, sed aliud & aliud 365

Christianus, uide Fidelis.
Christiani uera sublimitas est humilitas 557
Christianus à Christo, ut uirgo à uiro 488
Christiani præcinctos lumbos & lucernas ardētes habeant 622
Christiani proficere debent in melius 614 sunt arbores in agro Domini ibid.
Chronos dicitur Saturnus 856
Chymæra 884
Circe 867. 869
Clio 838
Clotho 833
Clymene 840
Cœnam Domini celebraturi charitatis donum per Spiritum S. ritè petimus 104 & seq.
Cogitatio mala apud mortem & inferos 141. 142. solius animæ est 129
Cognitio Dei duplex, alia cum fide, alia sine fide 780
Compunctio cordis & oratio necessaria, sed à Deo infunduntur 522
Conceptio uirginis & incarnatio uerbi simul sunt tempore 702
Conceptio Christi, uide Christi conceptio.
Conceptio & natiuitas Christi uera, sed sine peccato 703. mirabilis 708
Concupiscentia mala non ex Deo 41. radix malorū 35
Coniuges fideles ad uitā meliorem aspirent 443. in redditione debiti cōiugalis quomodo se gerere debeant 439
Coniuges non possunt uouere 436. nisi id fiat ex consensu utriusq; 437
Coniugum excessus uitiosus 426
Coniugium donum Dei non tamen præcipuum 459. honestum est 426. illicitum uoto continē-
tiæ

tiæ obstrictis 434 licitũ esse 426. & seq.
Coniugium licitum & illicitum 433. medetur infirmitati carnis 429
Coniugij fides seruata maculam libidinis diluit 430. finis procreatio sobolis 428. incommoda circa prolem corporalẽ 497. accidit libido 428. quomodo eo rectè utendum ibid.
Coniugia Christianorum sancta sunt 452
Coniugale debitum 427
Coniugalis commixtio fidelibus non imputatur ad peccatum 429
Coniugalis potestas 427. pudicitia donum Dei 454
Consolatio uiduæ super morte mariti 445. 454
Contemplatiua uita 851
Continentia uidualis donum Dei 454
Conuersatio nostra in cœlis 238
Cõuersio, uide pœnitẽtia,
Conuersio Dei opus 550. salubris quæ 564
Cor nouum à Deo 15
Coruus in tutela Apollinis 836
Creatio interdum pro hominum innouatione accipitur 164
Creatum à genito distinguendum in Christo 166
Creatura non adoranda 592. omnis initium habet 281. reparata non condita 167. 169
Credere uelle non possumus nisi gratia Dei adiuuante 750
Cupidinis & Psyches fabula 891
Cupiditas, malum aureum 897
Cupiditatibus resistendo fatigamur 530
Curiositas periculorũ germana 886
Cybele 890
Cygno clamante reliquæ aues tacent 875
Cynthos 889

Cypriani

Cypriani testimonium de Trinitate 207. testimonia de immensitate filij Dei 316
Cythara quinq; habet symphoniarum gradus 902

D

DÆmones unde dicti 889
Danaê 845
Daphne 836
Dauid exemplum humilitatis 514
Debitum mutuæ Charitatis & orationis 483
Defectu à summo bono se perdit iniustus 40
Delectatio in sacris literis quærenda 478
Descensus Christi, uide Christi descensus
Descensus Christi ad infernum & sepulchrum 399. fructus eius 400
Desiderium Christi in anima 376
Desperatio res impia & sacrilega 560
Deus alios facit credere, alios deserit 680 benè utitur malis operibus reproborum 61, bonus & suauis 49. bonam hominis uoluntatem non expectet, sed tribuit 793. bonarum naturarum est conditor 36. cur gratis nobis largiatur sua beneficia 485. cur olim in forma uisibili apparuerit 80. dat cor nouũ 15. descendere quomodo dicatur 296. donis dona rependit 19. est agricola 615. est lux & ueritas 558. factus est homo, non homo factus est Deus 674. immensus 263. immutabilis 550. improbos ad peccatum non prædestinauit 34. iniquitatis ultor nõ author 41. inenarrabilis, non ignotus 159 in nobis habitat & inambulat 326. in saluandis misericordiã: in condẽnãdis iustitiam suam declarat

clarat 789. iuste deserit peccatorem 25. iustificat fidem inspirando 749. iustus & misericors 568. lux est 184. mala hominum uoluntate benè utitur 792. malum quomodo uideat & non uideat 292. non author sed ordinator mali 55. non corporeo modo uidet 293. non crudelis in infantibus, nec iniustus in adultis damnandis 796. non est προσωπολήπτης 765. nō ex tribus partibus compositus 206. non inuenitur nisi ipse nos excitet ut quæratur 3. non ita in Christo, quemadmodum in sanctis 707. non quantitatem facultatis, sed qualitatem uoluntatis spectat 473. nō omnia promisit quæ prædixit 52. cur 53. non reuelatur sine Spiritu S. 298. omnia implet 291. quid Deus operetur in sanctis & quid in impijs 26. passus & mortuus non Deitas 391. passus in carne, sed carni non compassus 352. passus rectè dicitur 347. per semetipsum iurat 202. præsciuit omnia opera hominū sola mala prædestinauit 51

quæ Deus promisit, iam facta dicimus 24. quædā uidet, quædam non uidet 292. ubiq; est & alicubi non est, ibid. quæ uult, potest 24. qui hominem fecit, potest eundem mutare 791. quomodo author boni operis in nobis 523. quomodo deserat peccantē 55. quomodo permittat peccatum ibid. quomodo dicatur requieuisse 302. quomodo hominibus apparuerit 351. quomodo operetur per reprobos 61. quomodo res uideat 291. quomodo ubiq; esse & descendere

dere ad nos dicatur 301. quos uult saluos fieri eorum uoluntates mutat 793. unus 594. semper delectatur conuersione nostra 570. 571. Trinus & unus 421
Dei aduentus est gratiæ manifestatio 297. aduentus nō fit loci mutatione 90. ascensus & descensus sunt ἀνθρωποπάθεια 301
de Dei auxilio non diffidendum 477
ad Dei cognitionem per humilitatem ascendendum 267
Dei dilectio erga genus humanum Dei 631
Dei donui de Dona Dei.
inter Dei dona discernendum 495
Dei dona sunt ἀμεταμέλητα 806. exaltatio 309. sanctificatio 310. iudicia incomprehensibilia 681.789. misericordia gratuita, ira iusta 58. oculi omnia uidēt 196. omnipotentia & Gratiæ 627
in Dei promissis nulla falsitas 24.25
Dei Verbi una natura incarnata 666. unitas scripturæ testimonijs confirmatur 588
Deo à se uiro sacrificarunt Abraham 81. Isaac 82 Iacob 83. deuota res non repetenda uel retinenda 438. gratiæ agendæ, idemq; inuocandus 533. partim subiecti sumus, partim nō subditi 531. quomodo uia mala ignota 63
ex Deo bona cogitatio & uoluntas 683
de Deo disputandum non secundum crassiora corpora huius mundi 122. 123
ex Deo est interitus pœnæ non culpæ 39
ex Deo non est concupiscentia mala 41. inordinatus amor 42
à Deo non saltem beneficium,

cium, sed & adiutorium petendum 515. præparata bona uoluntas bona opera & uita æterna 17. uelle & facere bonũ 15
apud Deum & in Deo esse homo quomodo dicatur 145
Deos singulos obtinuêre apud Ethnicos singulæ hominis patres 897
Diabolus quatuor superbiæ generib. animas uel opprimit uel deijcit 510
Diaboli laqueos proprijs uiribus euadere nõ possumus 527. uictum se simulantis ut uincat technæ 505
aduersus Diabolum oratione ex compunctione cordis pugnandum 528
Diapason 902
Diapente ibid.
Diatesseron ibid.
Dies Christi duplex, alter æternitatis, alter temporis 628. magnitudinis est dies extremi iudicij 448
Dilectio Dei erga genus humanum 631
Dilectio Dei & proximi est Charitatis dilectio 544
qui Diligit fratrem, diligit Charitatem 543
Diogenis apophtegma de ijs qui ad amphitheatrũ currebant 861
Dionysij fabula 873
Diplasion 901
Dirce 867
Dispensatores Dei qui sint 612
Dispensatores parabola, quæ Luc. xij. habetur, explicatur 611
Diuinitas Christi, uide Christi diuinitas.
Diuitis & Lazari comparatio 458
Diuitiæ prægnantes sunt 855
Donatus ab Arrianis tetatus 583
Donũ Charitatis per missionẽ Spiritus S. ritè petimus in S. cœna 104. & seq.

Spiritus S. præcipuū est Charitas 97
Dona Spiritus S. 95. augentur & minuuntur ib. Spiritus S. esse possunt, ubi ipse Spiritus S. non sit 98. Dei cur gratuita 485. dissimilia 495. indifferentia 457. exempla eorum ibid. & seq. non sunt æqualia 616. sunt ἀμεταμέλητα 806
Donorum Dei tria genera 455
Donatiuum Christus distribuit 641
Duritia cordis in peccatoribus grauiter reprehenditur 571. peccatorum 569
Dromocrides 878

E

EBrietatis quatuor genera 873
Ecclesia ab Apostolo & uirgo & uir dicitur 488. appellatur columba 421. Christi corpus 236. Christi corpus gratia S. Spiritus unū permanet 102. Christi sponsa 236. Christiana à Christo ut uirgo à uiro dicitur 488. corpus Christo capiti suo per spiritalem gratiam adhæret 101. & seq. est familia Domini 612. sponsa, mater & uirgo 489. toti Trinitati sacrificat 83
Ecclesiastę ad respōdendū parati esse debent 213
Ecclesiastici doctoris officium est corrigere peccantes & pro ijs orare 644
Endymion 880
Endymionis & Proserpinę fabula 879
Epicharmus 884. 889
Epicharmus comicus 839
Epiphaniæ festum 648
Episcopi sunt dispensatores Dei 613
Epitritos 902
Epogdous ibid.
Equi Solis 835

ἧρα 830
ἡρακλῆς 858
Erato 839
Erichthonius 871
Erythræus 835
Esaias mysterium mediatoris plenè explicat 228
Esse & posse in creaturis sunt seiuncta 554
Esse filij apud patrē quomodo intelligendum 143.
Esse in & apud aliquem 128 Deum 135. hominem 140
Eua Ecclesiæ typus 487
Euæ & Mariæ comparatio 632
Euæ tria mala, à tribus bonis Mariæ exclusa 637
Euryale 846.847
Eurydice 905
Europæ raptus 845
Euterpe 838
Euxemenes 838
Exaltare Dominum quid 310
Exempla optimatum trahunt post se multitudinem 549
Exinanitio Christi 340
Exinanitio Filij Dei quomodo intelligenda 695

F

Fama uolucris 848
Fatigamur concupiscentijs repugnando 530
Fausti Galliarum Episcopi libri contra prædestinationem 688
Fides Dei donum gratuitum 680.749. & seq. & operatio post hanc uitā desinent 456. iustificat 776. iustificans qualis sit 767. non temporalibus, sed æternis sit intenta 460. nostra eadem cū fide Patrum 77. sola uos liberat à peccato originis 746. Spiritus S. donū 759
Fidei Abrahæ sequaces benedictionis & gratię participes 78. augmentum 95. debet adhærere Charitas

titas 690. rationem reddere debent Ecclesiastæ 213.
Fidelis superuacanea sibi subtrahere debet ut eo liberalior esse possit erga pauperes 471
Fideles de Christo & de Trinitate rectè sentiant 217. de mortuis nō cōtristentur ut infideles 446. mente seruiunt legi Dei, carne legi peccati 532. templum sunt Dei & Spiritus S. 93. non aufert astra dies nec merguntur funere acerbo 449 447
Fidelibus uita non longa, sed bona prodest 450
Filius Dei, uide Christus.
Filius Dei adorandus 592. carnem immaculatā assumpsit 703. cordium scrutator 317. corpus terrenum assumpsit 414. cur principium & finis 279 cur unigenitus 336. plenus gratiæ & ueritatis ibid. 344. de substantia Patris natus 173. 176. 177. 178. dicitur crucifixus, interemptus 353. finem non habet 278. in principio & ipsum principium 276. lux est 186. mortuus & resurrexisse dicitur 406. Patri nihilominus est ὁμοούσιος 407. neq; tempore neq, loco capitur 287. non ex uoluntate, sed substātia patris nat9 178. uerus Deus 179. principium & finis non tamen cœptus, neq; finiendus 277. quanquā genitus, patri tamen æqualis 181. quomodo de cœlo descēderit 359. hominis filius appellatur ibid. quomodo in mundo fuisse & in mundum uenisse dicatur 313. sicut Pater inuisibilis 351. & immutabilis ib. solus incarnatus 720. unius naturæ cum Patre, sed alterius personæ 626
Filij Dei ascensio & descēsio immensitatem eius non

non euertunt 296. ascẽsus est nostræ fidei profectus 309 generatio inenarrabilis, non ignota 159
Filio Dei eadem opera tribuuntur quæ Patri 407. & seq.
Filium Dei Patri æqualem esse 81.82
Filij Dei adoptiui differũt non uita, sed gloria 337
Filius & pater apud dilectorem manent, & in ipso sunt 133. æquales 189. 191. uerus Deus 594. unus Deus 273
Filius non est præter Patrem 206. splendor Patris 294. Patri coæternus 274. Patri coimmensus 294. à Patre & Spiritu S. missus 89
Filij Esse apud Patrẽ quomodo intelligendũ 143. & seq.
Filio & Patri uel derogatio uel honorificentia communis 183
Filiũ & Patrẽ ingenitos dicere τερατολογία est 180
Filiũ esse unũ cũ Patre contra Arrianos 589. 592
Filius hominis, filius est Dei uiui 360
Fulgẽti9 spiritalis negociator 2. ueritatis studiosus 7.8 amouet à se arrogantiæ suspicionẽ 213. cõtumaciæ 214. ad Probã scribere disponit 469. de sui temporis miseria queritur 810
Fulgentij & Calliopes colloquium 816. modestia 485. carmen 815
Fulgẽtio liber à Trasimũdo cui respondeat oblatus 210
Furiæ 832
Furto pręest Mercurius 843
Furta usq; in cœlum peruenisse 864
Fornicatio graue crimen 431

G

GAlerus Mercurij 843
Gallæ uiduæ Romanæ nobilitas 471. mariti eius laudes 445

Gallus in tutela Mercurij 843
Ganymedes 845
Gaudium Christi in anima 376. impiorum luctus perennis excipiet 573
Generatio diuina patrem & filium nõ separat, sed distinguit 272
Genitum à creáto in Christo distinguendum 166
Geometria prior Arithmetica 905
Glaucus 868
Gloria uera unde 33
Glorificatio est gratiæ opus 33. & prædicta & promissa 53 54
Glorificationis & Iustificationis discrimen 22
Gorgones 846
Græca falsitas ornata 877
Græcia honestè mendax 844 quantum stupenda mendacio.tãtum est admiranda commento 862
Gratia Dei gratis donatur indigno in iustificatione, digno in glorificatione 13. homini infunditur antequam incipiat credere uelle 761 liberum arbitrium non aufert, sed sanat 764. non reperit in nobis bonam uoluntatem 752 & seq. in Paulo reperit nõ tantùm incredulitatem, sed & ignorãtiam eius 754. Dei nos liberat à peccati lege 517. humilibus datur ibid facit ut humiles esse incipiamus & non desinamus ibid operatur omnia in nobis 554. præuenit omne opus bonum in nobis 519. quid 20. misericordia appellatur ibid electos præuenit & subsequitur 21. una angelorum esca, hominũ medicina 269.
Gratiæ Dei exemplum in anima & carne nostra 773 operatio in homine 14. opus est glorificatio 33
Gratiam pro gratia accepimus 18.

absq; Gratia Dei nemo quicquam boni potest operari uel uelle 525
Gratiâ saluatoris liberamur à damnatione 678 sine qua humana quidē non autem diuina cogitamus & uolumus 679
Gratias Deo agere debemus 533

H

Habitatio S triados in nobis nō localis, sed immensa 325
Habitat in nobis Filius & Pater 324. & Spiritus S. 325
Hæreses Personam Christi oppugnantes 413
Hęretici in eo uincere uolunt, in quo facilimè uincuntur 75. seipsos damnant 86. Spiritus S gratiâ carent 107
Hæreticorum cæcitas 75
Harmonia 903, ueteris & noui testamenti 251
Harpyiæ 833
Hecate 834
Helene ex ouo nata 875
Hellanicus 830
Herculis & Omphales fabula 857
Hermes 839. 841. cur dicatur Mercurius 843
Herodes infantibus à se occisis profuit 654
Herodis uanus timor redarguitur 652
Herus & Leandri fabula 887
Hemiolius 902
Homo Christus, Dei filius 347
Homo cur non adiuuetur à Deo in ipso causa est 66 67 68 cur non ita creatus ut peccare non posset 733 de Deo sufficienter loqui non potest 627 est ouicula errās 768 in Deo & apud Deum esse quomodo dicatur 145, ne confidat in uirtute sua 553. non omnia quæ habere potest ex se habet 773. per hominem reparari non potuit

potuit 267. neque per angelos 268. post lapsum peccati seruus factus 734. se & posteritatem suam perdidit 735. proprijs uirib. laqueos Diaboli euadere nō potest 527. non tamen securus esse debet ibid. qualis creatus 732 quatenus ad fidem sit idoneus 774. quomodo à Deo erret 231. quomodo ueram fidē amiserit 768. ex se sanitatem nō habet, sed habere potest 769. seipsum perdit 40. se nō alijs, sed sibijpsi cō paret 512. sine gratia Dei nihil boni operari uel uelle potest 525. suā naturam nō plenè cognoscit 266. multò minus Dei 267. totus peccauerat & perierat 245. uiam suam non habet, neque corrigit 763

Hominis lapsus 36

Homini cur æternitas & ratio indulta 266. uitæ & mortis libera optio oblata 732

Hominem totū assumpsit Christus 247

Hominum prærogatiua ex incarnatione Verbi 630

Homousiani olim dicti sunt orthodoxi 193

Hostias spiritales offerunt fideles noui testamēti 84

Humanitas Christi, uide Christus

Humana natura capax est fidei & infidelitatis 766. ita uitiata ut possit sanari 770. nisi Deitati unita esset, non potuisset peccata mundi tollere 705

Humiles Deus facit dando gratiam 38

Humilitas uirginitatis interna uirginitas 518. eius præcepta pro uirginibus ibid.

Humilitatis exemplū Dauid 514

Hyems 863

I

Iacinthus 889

Iacob Deo à se uiso sacrificauit

ficauit 83
Iactantia fugienda in bonis operibus 472
Ianus bifrons 863
Idolum unde dicatur 827
Idolorum & cultus eorum origo ibid.
Ieiunijs adhibenda temperies 501
Immensitas Dei,uel Christi,uide, Dei uel Christi immensitas
Immensitas Dei Patris 91. Filij ibid. Spiritus S.92. Trinitatis totius ibid.
Immensum cum sempiterno conuertitur 289
Impiorum gaudiũ, luctus perennis excipiet 573
Incarnatio Christi, uide Christi incarnatio.
Incarnatio 100. Verbi & conceptio uirginis simul sunt tempore. 702
Incarnationis fructus 710. mysterium 693. typus 700.
In Deo & apud Deum esse æquipollent 136
In Deo quæ faciamus 16
Indigetes 889
Indi uino dediti 874
Indos uicit Bacchus 874
Inenarrabilia multa, quæ non sunt ignota 159
Infantes alij damnantur, alij saluantur 794. non sunt sine peccato 738. & seq. peccarunt & non peccarunt 745
Infidelitas nõ ex Dei prædestinatione 71
Infirmitates humanas Christus ueras habuit & uoluntarias 385. Deitati tribui non possunt 392
In homine & apud hominem esse æquipollent 140
Initium uiarum Domini creatus filius Dei 163. non ut creaturam nouam conderet, sed ut uetustam renouaret 164
Innupta in altiori gradu est quàm nupta 453
Ino 873

Interitus pœnæ non culpæ ex Deo 39
Interpretationem multiplicem admittunt quędam in ſcripturis 113
Inuocare in nomine Domini Dei quid 79 80
Iob in utraq; fortuna beatus 457
Ira Dei iuſta 58. non eſſe poteſt, niſi præceſſerit iniquitas 57
Ira, pro condemnatione 26. 27
Iris 855
Iſaac Deo à ſe uiſo ſacrificauit 82
Iuba 857
Iudæ pœnitentia ſine ſpe 564
Iudæi in Chriſtum impegerunt 221
Iudith, uidua ſancta 466
Iudithæ & Annæ Propheticſſæ comparatio 468
Iuno 830, 854. regnorum Dea 877
Iupiter 830
Iuſtificatio à Glorificatione quomodo differat 22
Iuſtitia alia legis, alia fidei 785
Iuſtitia Dei auerſos damnat, conuerſos ſaluat 569
Iuſtitia, pro opere iuſtitiæ 16
Iuſtitia uera ex Deo 34
Iuſtitiam Chriſti imitari non poſſumus ſi eius exemplum in anima non præceſsit 239
Ixionis fabula 877

L

Acheſis 833
Læda 875
Lampetuſa 841
Lampos 836
Lapſus Diaboli 35. hominis 36
Latina ueritas gratioſa 877
Laurus in tutela Apollinis 836
Laus hominum negligenda ut Deus laudetur in nobis 474
Lazari & Diuitis comparatio

tio 458
Lazari resuscitatio 362
Leandri & Herus fabula 887
Leophantes 838
Lex factorum potest esse in cordibus infidelium 784. non iustificat ibid. fidei quæ 787. in cordibus scribitur per gratiā 786 iustificat ibid peccatum nō adimit sed auget 747
Liber Pater 873
Liberi quomodo educandi 443
Liberum arbitrium non nos liberat à peccato 748. quale sit in homine ante regenerationem 756 post regeneratione 757. gratiâ non aufertur sed sanatur 764
Libido 857, 860. dulce nihilum 898. est maiestati contraria 875. honestatis nouerca, maiestati contraria 875. inuictam superat uirtutem 858, 859. uxor sordidi 883
Libidinis locus principalis 898
Licitæ res post uotum fiūt illicitæ 433
Λόγος, Vide Verbum
Λόγος carnem assumpsit non caro λόγον 718. cū carne unus ex Trinitate 672. passus, crucifixus carne 672
Λόγου gemina natiuitas 675
Loci & temporis creator neutro capitur 287
Loci Scripturæ pugnantes conciliantur 475
Lucernæ ardentes 620. 622
Lucifer 197
Lumbos præcingere 620. 621
Luna cur Proserpina dicatur 879
Lunæ detrimenta & augmenta sentiunt hæc inferiora 879
Lux & splendor eiusdem naturæ 295
Lycomedes 898

M

Macedonianorũ error 606
Magi regẽ Iudæorũ quærunt adorandũ 650. nõ Herodem sed Iesum 651
Magorum munera quid significent 658 ex ijs erroris conuincuntur Arriani, Manichæi, ib. Nestorius, Eutyches 659
Magistratui honor exhibẽdus 214
Malchio presbyter contra Samosatenum 669
Maleuolus quis 541
Maleuolus animus Charitatem nec impendit neque habet 540
Malum aureum 897
Mala recipere in uita sua 575
Malitia omnis fumum eructuat 859 triplici modo nocet ibid.
Manichæi nihil de Christo in ueteri testamento cõtineri asserunt 114
Manichæorum error 221. prius extinctus quàm genitus 222. hæresis 607
Maria concepit Verbum, quatenus caro factũ 708. Deum concepit & peperit 701.705. Deum genuit 693. fenestra cœli 636 scala cœlestis ibid. restauratio fœminarum 637. saluatorem concipere & parere non humanis meritis, sed Dei dignatione promeruit 710. θεοτόκος 667
Mariæ caro, caro fuit peccati 709
Mariæ & Euæ comparatio 632
Mariandes 902
Mariti fidelis officiũ 441
Marsiæ & Apollinis fabula 900
Mathesis prior Astronomia 905
Matrix 859
Medea 867
Mediator ad quid nobis datus 736
Mediatoris mysterium 262
Mediatoris mysterium pulchrè explicatũ 343 & seq.

Medi-

Medicinæ partes gnostice & mantice 905
Medusa 846.847
Megæra 832
Melchisedech Christi typus 280. initio nõ caruit 282
Melissus Euboicus 875
Melpomene 838
Membra Christi sibi inuicẽ seruire debent 482
Mens quomodo uerbum generet 144
Mens sperat Præsumptionis coniugium 849
Mensura tritici 613
Mercurij fabula 842
Meroitanum uinum 874
Misericordia Dei gratuita 58. gratuita causa prædestinationis sanctorũ 44. omnipotens 563
de Misericordia Dei non desperandum 560
Misericordiæ opera post hanc uitã desinent 456
Mimus uita 878
Minerua 853.871
Ministrorum Ecclesię officium 644. eorum correptionibus nemo offendi debet ibid.
Mintanor 828
Missio Dei non fit loci mutatione 90. Spiritus S. cur potissimũ petatur in sacrificijs Christianorũ 88. & seq. Spiritum S. nõ facit minorem 88
per Missionẽ Spiritus S. ritè petimus donũ Charitatis in S. cœna 104
Misso mittens non est potior 89
Mnaseas 880
Mors animæ duplex prima & secunda 62.63. est stipendium 18. impietatis non est à Deo 10. sed punitur à Deo morte duplici 11. peccati pœna 734. peccati stipendiũ 738
Mortis Christi fructus 714
Mortem primam animę Deus non uult 63
Mortẽ secundam qui patiantur 9
Mulieris illecebra, maior est mundo 858
Mundus pro hominib. 41

Mundi

Mundi amor cur uitiosus 42
Musæ 837
Musicæ partes 903
Musicorum tria genera. 901
Myda 904
Mydæ regis fabula 869
Myrrha arbor 899
Myrrhæ & Adonis fabula 899
Myrrhinum poculum 900

N

Natiuitas Christi, uide Christi natiuitas
Natiuitas Christi cur pastoribus Iudæis & gentibus Magis manifestata 650. diuina sine initio 165
Natiuitas duplex in Christo 162. filij personam non naturam à Patre distinguit 334 gemina uerbi Dei 675
Natiuitatis Christi dies 635 in eo decet nos meminisse diei resurrectionis 634
Natiuitatis Christi & nostræ pulchra antithesis 711
Neptunus 831
Nobis neque in fide neque in operibus debemus quicquam uendicare 31
Noctis periphrasis 823
Nuptiæ donum Dei indifferens 459
Nuptiæ sunt donum & opus Dei 495

O

Obedientia subleuatur creatura rationalis 37
Oculi Dei 196
Ocypire 833
Odium naturale, causale, accidentale 832
Officium Doctoris Ecclesiastici 644
Olei nomine Spiritus sanctus significatur 357
Olor unde dicatur 875
Omnes quos Deus uult saluos

uos fieri, saluantur 797

ὁμοούσιον uox unde nata 191 in scripturis S. non ad literam, sed secundum sensum continetur 192

Omphale 858

Omnipotentia Dei misericors 563

Omnis denotat non singula generum, sed genera singulorum 798

Opus bonum à Deo in nobis & in Deo à nobis 15. non propriæ uirtuti, sed gratiæ Dei acceptum referendum 476. omne coram Deo est oratio 464

Operis boni quomodo Deus author sit in nobis 523

Opera bona præparata à Deo 17

Opera misericordiæ quòd ualeant 430 post hanc uitam desinent 456

Opera sua qui ad finem fidei & Charitatis non referunt, iusti non sunt 781

Operum bonorum semina riganda flumine lachrymarum 529

in Operibus bonis fugienda iactantia 472 nemo sit segnis aut sterilis 618

Operariorum in uinea parabola 570

Oratio coram Deo est omne opus bonum 464

Oratio & compunctio cordis necessaria, sed à Deo donantur 522

Oratione & cordis compunctione aduersus Diabolum pugnandum 527

Orationis mutuæ debitum 483

Orphei fabula 905

Orthodoxa fides Deum non iniuriat sed honorat 194

Orthodoxi de Christo & de Trinitate rectè sentire debent 217 olim dicti Homousiani 193

Ouis perdita error qualis intel-

intelligendus 231
Ouis perditæ parabola. 231. totã humanam naturam à Christo assumptam testatur ib. & seq.

P

PActolus fluuius 870
Pandora 865. 872
Parcæ 833
Paridis iudicium 851
Pars pro toto interdũ ponitur in scripturis 253
Paruuli Babylonis eliduntur ad petram 532
Pasiphaë 866
Passiones tristitiæ, mœroris, tædij, &c. ad animæ substantiã pertinent 373
Pater & Filius æquales 189. 191. apud dilectorem manent non exterius sed interius 133. uerus Deus 594. unus Deus 273
Pater lux, Filius splendor dicitur 294. non minus lux, quàm Filius 184. 185. non est incarnatus 720
Patris persona quando inuocatur, tota Trinitas honoratur 87
Patri & Filio uel derogatio uel honorificentia communis 183
Patrem & Filium ingenitos dicere τερατολογία est 180
Paulus Apostolus eundem Spiritum habuit quẽ Dauid & Moses 136. nunc cum Stephano triũphat 646
Pauli Apostoli conuersio malis imitanda 645
D. Pauli supererogatio à diuersis diuersè interpretatur 111
Paulus Samosatenus cur damnatus 668
Pauo in tutela Iunonis 855
erga Pauperes ut simus liberaliores superuacanea nobis subtrahamus 471
Peccare est à Deo discedere 19
Peccatum aculeus mortis 739. in homine ex propria uoluntate 61. non est ex Deo 12. omne ex corde sumit initium 233.

quoduis cõuerſo remittitur 563
Peccati initium inordinatus amor 42. origo 35. reliquias ſentiũt etiam ſancti 516
à Peccato liberamur ſola fide 746. non lege 747. neq; libero arbitrio 748
in Peccato non opus Dei, ſed iudicium 70
Peccata etiam poſt baptiſmum commiſſa, ſunt remiſsibilia 562. præſcita non prædeſtinata 65. 74. quædam ſunt pœnæ peccatorum 69
Pegaſus 847. 883. Muſis fontem rupit 848
Pelei & Thetidis fabula 896
Πηλός, lutum 896
Peneus fl. 836
Perdicis fabula 885
Perfecti & imperfecti quatenus ſimus 31. 32
Perfecti qui non poſſunt eſſe, non tamen ſint peſſimi 616
Perfectio paucis donatur ibid.
Perfectionis primum gradum qui non aſſequuntur, ſecũdum locum obtineant 617
Perſeus 846
Perſona Chriſti, uide Chriſti perſona
Perſonam Chriſti quæ hæreſes adortæ ſint 221. & ſeq.
de Perſona Chriſti uera ſententia 262
Perſonæ tres in Trinitate ſed unus Deus 587. in una diuina eſſentia 199
Perſonarum Trinitatis nomina diuerſa ſi tollãtur, quod abſurdũ ſequatur 155
Petrus Apoſtolus Zachæo diuiti præponitur 473
Petri confeſsio 360
Petrus Diaconus quis fuerit 662
Phædra 867
Phaëtontis fabula 840 ſorores eius 841. eiuſdem Triphus & ſagittæ ibid.
Philogeus 836

Phinei

Phinei fabula 907
Phocinianorum error 607
Phorcus rex 846
Photini hæreſis 224
Piorum triſtitiam, lætitia æterna excipiet 573
Piſander 838
Pluto 831
Plenitudo Chriſti 341
Pneumatomachorum hæreſis 414
Pœna impiorum non promiſſa, ſed prædicta 53. 54
Pœnitentia, uide conuerſio
Pœnitentia à ſpe, neque hæc ab illa ſeparanda 565. Dei donum 751. Iudæ ſine ſpe 564. nulla ſera apud Deum 568
Pœnitentiæ omne tempus huius uitæ aptum 566
ad Pœnitẽtiam nos uocat Deus per aduerſa 572
Pollucibilitas, h. e. humanitas 829
Pollux unde 829. 876 ex ouo natus 875
Polycarpe 886
Polymnia 839
Polyxene 898
Pontifex iuxta legem perfectus homo eſſe debet 242
Poſidon 831
Poſſe & Eſſe in creaturis ſunt ſeiuncta 554
Potentia diuitum mater 890
Poteſtas plena eſt ſola diuinitas 381
Prædeſtinati ſunt quidam ad interitum 56 ſupplicij non delicti 89
Prædeſtinati ſunt reprobi non ad primam animæ mortem, ſed ad ſecundã 62
non Prædeſtinatum eſſe hominem ad opus malũ 43
prædeſtinatos eſſe reprobos propria malitia peccantes ad interitum 56 & ſeq.
non Prædeſtinata peccata ſed præſcita 74
Prædeſtinatio à Præſcientia differt 72. cum præſcientia

ſcientia Dei non reciprocatur 52
Prædeſtinatio Dei 807. in ſanctis ſe extendit ad initium uoluntatis 28. ad progreſſum operis 29. ad finem retributionis 29.31. quid 43.44.56.74. ſine præſcientia eſſe non poteſt 69
Prædeſtinationis ad peccatum cauſa nulla ad Dei gloriam faciens poteſt aſsignari 46
Prędeſtinationis in ſanctis cauſa miſericordia gratuita Dei 44.45
Prædeſtinationis nomine quid intelligendum 12
de Prædeſtinatione Auguſtini teſtimonia 66 & ſeq.
in Prædeſtinatione iam fecit, quæ tempore congruo facienda diſpoſuit 23
ex Prædeſtinatione ſi peccaſſet homo, iniuſtè puniretur 60
quid Prædeſtinauerit Deus & quid non 26
an Prædeſtinauerit Deus ut ſanctos ad opera bona, ita malos ad opera mala 27. deciſio Fulgentij 28 & ſeq.
Prædeſtinauit Deus neminem ad culpam 25. ſola bona, præſciuit etiã mala opera 51. uocationis initia, iuſtificationis augmenta & glorificationis præmia 21
non Prædeſtinauit Deus hominem ad malam uoluntatem 39.47. & ſeq. improbos ad peccatum 34.50
Præſcientia à Prædeſtinatione differt 72. Dei cũ Prædeſtinatione non eſt reciproca 52. ſine prædeſtinatione eſſe poteſt 69
Præſciuit Deus omnia opera hominum, ſed ſola bona prædeſtinauit 51
Præſumptio 849
Preces ad Deum fundendæ 533

Primogenitus creaturæ totius 167. ex mortuis 169
Primogeniti & Vnigeniti differentia 170
Principium uerum quod 276
in Principio esse quid 275
Probæ uirginis humilitas 521. Romanæ laudes 470
Prætus 882
Proficere debemus in hac uita 524
Promethei fabula 863
Promissio quid 53
Promisit Deus non omnia quæ prædixit 52. 53. 54
Prophetę futura sub forma præteriti narrant 163
Proserpina 834
Proserpinæ & Endymionis fabula 879
Prosper defendit Augustinum contra Gallos 71
Psalmi secundi locus de generatione Christi secundum incarnationis mysterium intelligẽdus 170
Psalmi 101. locus de æterna τοῦ λόγου generatione intelligendus 195
Psyches & Cupidinis fabula 891
Pugna cum uitijs rara 861
Pythagoras perfectissimus 907
Pytho sagittis Apollinis interemptus 841

Q

Quadrigæ solis 835

R

Regeneratio 758. in ea nemo habet bonam uoluntatem motu proprio ibid.
Regnum Christi, uide Christi regnum.
Relationis nomina à substantiæ nominibus discernenda 158
Relatiua nomina 155. nõ naturarũ, sed personarũ diuersitatem ostendunt 156
Reprobi uasa iræ non culpæ dicuntur 57. cur 60

Repro-

Reprobos propria malitia peccantes ad interitum destinatos esse 56, & seq.
Requies quomodo Deo tribuatur 302
Res Deo deuota non repetenda uel retinenda 438
Resurrectio Christi, uide Christi resurrectio.
Resurrectionis Christi fructus 714
Retributione futura nec boni nec mali priuabuntur 576
Rosæ in tutela Veneris 857

S

SAbellianorum hæresis 605
S. literarum studium in iuuene laudabile 583
cui Sacrificarunt Patriarchæ eidem & Christiani 79
Sacrificium Ecclesiæ spiritus contribulatus 110
Sacrificia spiritalia offerūt fideles noui testamenti tàm Filio quàm Patri 84. toti Trinitati offeruntur 83, 87
Salomonis locus de Messia explicatur 163
Saluationis, causa nō sunt merita nostra, sed Dei uoluntas 805
Salus uera est recta in Deū fides 690
Samaritani parabola 568
Sanctificare nomen Dei 310
Sancti quoq; sentiunt peccati reliquias 516
Sapientia æterna incoinquinabilis 223. apud homines nota 132. infinita 296
Sapientia bonæ consultationis fons 883. iuncta castitas 872. natura quæ 854
Saturitas creat libidinem 856
Saturnus dicitur Chronos ibid.
Saturni fabula 828. filij 830
Satyri caprinis cornibus pinguntur 884
Scientiæ uestibulum, scire quod nescias 821

Scriptura S. nostro intellectui se accõmodat 296. sibi non repugnat 291
Scripturæ loci pugnantes conciliantur 291. 300. 306
in scripturis multa sunt nõ ad literam, sed κατ' ἰσοδυναμίαν 192. quędam multiplicem interpretationem admittunt 113
Scyllæ fabula 868
Semele 873
Sempiternum cum immẽso conuertitur 289
Senectus libidinem extinguit 888
Seraptenum uinum 874
Serræ inuentor 885
Seruitus peccato noxia, Deo bona 480
Seruiunt sancti mente legi Dei, carne legi peccati 532
Simeon figuram gerit pręsentis æui 219
Sol maturat in granis 863
Sol Veneris adulterium cũ Marte Vulcano prodit 866
Sol unde dicatur 835
Solis equi ibid. filiæ 866
Sosicrates 870
Sosides 889
Spadonibus melior locus in domo Dei promittitur 491
Speculum Persei 847
Spes à pœnitentia neque hæc ab illa separanda 565. sine pœnitentia ibid.
Spiritus S. aduentus non est localis 93
Spiritus S. à Patre & Filio missus 89. 90. apud fideles manet & in ipsis est 134. creat 415. uiuificat ibid. regenerat 416. Charitas eius est in nobis 417. habitat in nobis ibid. dat gratiam ib. templũ eius sumus 418. ibi est, ubi Charitas est 98. in sanctis operatur unitatem 106. hoc qui carent faciles sunt ad diuisionẽ 107. nõ est incarnatus 720 nõ est pręter Patrem & Filium 206.

Pa

Patri & Filio ὁμοούσιος 415. & seq.
cùm Spiritus S. postulatur aduentus, quid postuletur ab Ecclesia 96. 99
cur Spiritus S. postulet aduentum Ecclesia 99. & seq.
Spiritus S. uerus Deus, quia creator 601. quia immensus, & quia templum eius sumus 602
Spiritus S. dona esse possunt ubi ipse Spiritus S. non sit 98 possunt augeri & minui 95. quomodo dicantur augeri & minui 96. donum præcipuum est Charitas 97. missio cur tantùm petatur in sacrificijs Christianorum 88 & seq.
per Spiritus S. missionem donũ charitatis ritè petimus in S. cœna 104. & seq.
Spiritus S. nomine nõnunquam dona eius intelliguntur 94. reuelatio 298. templum sunt fideles 93. uocabulo Charitas intelligitur 108
Spiritum duplicem sibi Heliseus poposcit 96
Ex Spiritu S. renatum est corpus, de quo caput est natum 100
Splendor & lux eiusdem naturæ 295
Splendor sanctorum 197
Sponsa Verbi Dei 234
Stella signum deitatis in Christo 657
Stephanus inimicos dilexit, & cùm pro eis orauit & cùm eos corripuit 643
Stephanus Protomartyr inuictus 640. quibus armis munitus 641
Stephani moriẽtis & Christi nascentis comparatio 639. perseuerantia bonis imitanda 645
Stheno 846. 847
Stilbos, stella Mercurij 844
Sufficientia nostra ex Deo 484
Superbi Charitatem repudiant

diant 559
Superbis Deus resistit 38
Superbia causa uitiorũ 68. detestabilis 556. initium peccati 35.506. manifesta duplex 507. occulta duplex 508. mẽtis insidiatur uirginibus 500
Superbiæ duo genera 552. quatuor generib. diabolus animas uel opprimit uel deijcit 510
Supererogatio D. Pauli 111
Synechdoche partis Scripturæ familiaris 252
Syrenes 868

T

TAlaria Mercurij 842
Tangere quid 307
Tangere Christũ quid 308
Tangi se Christus prohibet 303.306
Tantalus 878.890
Temporis & loci creator neutro capitur 287
Terra nostra profert spinas 530
Terroris tria genera 847
Thalia 839
Theologiæ studium commendatur 584
Theopaschitæ Christũ angelis subijciũt 371. eorum hæresis 331
Thesaurizandum in cœlis 473.619
Thetidis & Pelei fabula 896
Tibiam Minerua abijcit, Marsya assumit 904
Timor sapiẽtię initiũ 883
Tiresiæ fabula 861
Tisiphone 832
Tonus 902
Transmutatio nõ est apud Deum, h.e in Deo 138
Trasimũdus Fulgẽtio librũ, cui respõdeat, offert 210
Trasimundum Fulgentius honorat 215
Trasimũdi regis laus 216
Tridens Neptuni 831
Trinitas habitat in nobis, nõ localiter 325. honoratur cũ ad Patrẽ sermo dirigitur 87. immutabilis & incõprehẽsibilis 265. nõ est incarnata 720. patefecit se aliquo modo in creatione 266. quomodo ueniat & abeat 299

Trinitatis assertio ex Esaia 174. Mose ibid. Psalmis 175. Paulo ib. immensitas ex forma baptismi demonstratur 327
Trinitatis mysterium breuiter explicatum 199. 586. 605. personæ æqualiter immensæ 314. una ei9 est reuelatio 298. eius unitas, æqualitas, charitas 105
Trinitati offeruntur sacrificia 87
de Trinitate Cypriani testimonium 207
in Trinitate diuersitas nominum personarum non essentiæ diuersitatē innuit 154
in Trinitate nomina relationis, à substantiç nomine distinguenda 158
in Trinitate quam uim habeat uox: Alius 188. 189
Tristitia Christi ad animā pertinet 373
Tristitia duplex 446. est in anima 374
Tristitiam piorum, lætitia æterna excipiet 573
Triticum spirituale 613

V

VAsa iræ 57. cur non culpæ uasa dicantur 60
Vasa misericordiæ, cur nō dicātur uasa iustitię 58. 59
Velle & facere bonum, à Deo 15
Venæ quæ in talo sunt pertinent ad renes, femora & uirilia 898
Ven9 855. ei9 adulteriū 865
Verbum, apud Deum quomodo sit, Arriana interpretatio 120. eiusdē refutatio 122. antequā caro fieret nō fuit Christ9 718
Verbum caro factum, Christus est 715. 717
Verbū Dei quędā pastorib. solis, quędā & his & oui bus præcipit 610. omni ætati & conditioni hominum congruit 611
Verbū, habitat in nobis & specialiter in anima 256. humanitatē sibi mirabiliter uniuit 707. incarnatū, de Maria uirgine natū

est 613. quale sit Dei filius 625
Verbi Dei sponsa 234
Ver 862
Veritas de terra orta 359
pro opere ueritatis 16
ut Veritas una, ita Deus unus 594
Veritatis dissimulatio abnegationis species est 22. studioso errorū scopuli cautè uitandi 217
Veritatem Dei in mendacium commutare quid 595. ore qui defendere nequeunt, corde deuitent errorem 585
Vestes uiduarum quales esse debeant 463. uirginū quales esse deceat 502
Via Domini quę 232. mala quomodo Deo ignota 63
Vidua non sit cogitationibus mundanis implicita 461. quomodo in cibo & cōuiuijs se gerere debeat 465. sit sancta spiritu & corpore 451. cur innupta dicatur ib. non cogitat quæ huius mundi sunt 452
Viduæ consolatio 454. officium adhærere Deo & instare orationibus 464
Viduarum ornatus & habitus qualis esse debeat 462. sanctarum duo exēpla 466
Vinū Seraptenum uel Meroitanum 874
Virga Mercurij 843
Virgo unde dicatur 487. à uiro, sic Ecclesia Christiana à Christo 488. fugiat delicias carnis 500. in altiori gradu quàm nupta 453. neq; ad dextram, neq; ad sinistram declinet 499. ut integritatē ita multo magis humilitatem custodiat 511. hoc earum dominus & sponsus Christus exigit ibid.
Virginis filius uirginitatis author & sponsus 486
Virginū maior gloria 491. uestes 502
Virginibus nō ita ascribitur sanctitas, ut coniugatis

tis denegetur 493
Virginitas commendatur ab authore 486. ab etymo uocis ibid. à largiore gratia donationis 490. à comparatione cœlibis, coniugalisq; uitæ 492. cordis, uirginitati carnis præponderat 504. utramq; sed maximè priorem oppugnat Diabolus ib. quomodo & quantum nuptijs præstet 496
Virginitatis bona circa prolem spiritalem 498. ornatus 499
de Virginitate Paulus non præcepta, sed consilium erogauit 112.113
Virtus à Christo quomodo exierit 312. pro operę uirtutis 15
Virtutibus quomodo insidietur Diabolus 505
Vita æterna à Deo præparata 17. est gratia 18.19
Vita humana trium generũ 851. contemplatiua ib. Actiua 852. Voluptaria ib. nõ longa, sed bona prodest fidelibus 450
Vitę æternę desiderio, præsens contemnenda 551. gloria omnibus huius uitæ passionibus anteponitur 19
Vlyssis & Syrenum fabula 867
Vmbilicus libidinis sedes 858
Vna Dei uerbi natura incarnata 666
Vnctio Christi ad quam naturam referenda 354. & seq.
Vnigenitus Dei filius quis 339
Vnigeniti & primogeniti differentia 170
Vnio naturarum in Christo essentialis seu naturalis 667
Vnionis hypostaticæ in Christo quæ sit ratio 346
Vniuersalis interdum restringenda 799
de Vnitate Dei testimonia 588
Volũtas à Deo præparatur 14. bona

14. bona uel mala non ex officio, sed ex fine æstimanda 541. creaturæ rationalis sine amore non potest esse 37. Dei omnipotens 790. non æqualiter se habet erga saluandos & damnãdos ib. mala bonitatem ex se non potest gignere 791
Voluntatẽ Dei facere quid 16
Voluptas carnis uirginib. ad sinistrã insidiatur 499
Voluptaria uita 852
Voto continentiæ obstrictis coniugium fit illicitum 434
Vota non saltem uirginũ, sed & uiduarum & coniugum sunt seruãda 435. simulata dãnabilia 437. sunt reddẽda, etiã in tribulatione promissa 432
Vox quibus formetur instrumẽtis 837. uiua 901
Vrania 839
Vterus metaphoricè quid significet 196
Vulcani & Mineruæ fabula 870
Vultur Promethei quid significet 864
Vxor sit ne ducenda fideli 440
Vxoris bonæ & malæ comparatio 848

Y

Ὑπερηφανία 876

Z

Zachæo Petrus præponitur 473
Zetes 908
Ζεὺς 830

LOCORVM SCRIPTVRAE HOC OPERE EXPLICAtorum Elenchus.

Gen.12. Visus est Dominus Deus Abrahæ & dixit ei: Semini tuo dabo terram istam, &c. 78 *& seq.*
Exod. 3. Ego sum qui sum 350
Num.6. Benedicat te Dominus & custodiat te, &c. 174
Deut.6. Audi Israël Dominus

nus Deus tuus, Deus vnus est 589

Psal. 2. Dominus *dixit ad me*: Filius *meus es tu*, &c. 170

Ps. 38. *Tota die contristatus ingrediebar*, &c. 528

Ps. 44. *Vnxit te Deus Deus tuus oleo*, &c. 354. & *seq.*

Ps. 49. *Qui cõfidunt in virtute*, &c. 552

Ps. 109. *Qui propitius sit omnibus iniquitatibus tuis* &c. 561

Ps. 110. *Ex vtero ante luciferum genui te* 195

Prou. 8. *Dominus creauit me initium viarũ*, &c. 163

Sap. 3. Nec *in die magnitudinis alloquutionem* 448

Sap. 7. *Splendor est enim lucis aeternae & speculum sine macula*, &c. 290. 294

Ibid. Attingit *à fine vsque ad finem* 290

Eccles. 10. Initiũ *omnis peccati superbia* 35

Esa. 5. *Sanctus, Sanctus, Sanctus* Dominus Deus *Sabaoth* 174

Esa. 7. Ecce *virgo in vtero*, &c. 228

Esa. 9. Puer *natus est nobis*, &c. 258

Esa. 53. Domine *quis credidit auditui nostro*, &c. 397

Ierem. 10. *Scio Domine quod non est hominis via eius*, &c. 763

Ezech. 36. Et *faciam vt in iustificationibus meis ambuletis*, &c. 29

Matth. 4. *Dominum* Deũ *tuum adorabis*, &c. 592

Matth. 6. *Sanctificetur nomen tuum* 310

Matth. 6. *Vbi thesaurus vester est, ibi*, &c. 619

Matth. 13. *Tum iusti fulgebunt, sicut Sol*, &c. 197

Matth. 16. *Quem me dicunt homines esse*, &c. 359

Matth. 19. *Omnis qui reliquerit domum*, &c. 460

Luc. 8. Ego *noui virtutem de me exisse* 312

Luc. 12. *Vendite quae possidetis, date eleemosynam*, etc. *vers.* 33. 34. 35. *fol.* 617. 619

Luc. 12. *Parabola dispensatoris quem* Dominus *familiae suae praefecit* 611

Luc. 15. *Parabola ouis perditae* 231

Luc. 16. *Fili recordare quia recepisti bona*, &c. 574. *pulchra* Diuitis & *Lazari cõparatio* 458

Ioan. 1. *In principio erat verbum & verbũ*, &c. Interpretatio Arriana 120. *eius refutatio* 122. & *seq. vera interpretatio* 142

Ioan. 1. In principio erat, fol. 249. 275.

Ibid. Verbum caro factum est & habitauit in nobis 256

Ioan. 1. plenum gratiæ & veritatis 336

Ioan. 2. Soluite templum hoc & in tribus, &c. 364

Ioan. 5. Aequalem se faciēs Deo 181

Ioan. 10. Ego & Pater vnum sumus 190. 343

Ioan. 11. Iesus autē fremuit Spiritu, &c. 362

Ioan. 19. Post hæc autē rogauit Pilatum Ioseph, &c. 386

Ioan. 20. Noli me tangere, &c. 303. 307

Ioan. 21. Simon Ioannis diligis me, &c. 384

Rom. 1. Cognoscentes Deū non sicut Deum glorificauerunt 780

Rom. 1. Qui commutauerunt veritatem Dei in mendacium 593

Rom. 2. Cùm enim gentes quæ legem non habent, naturaliter, &c. 775

Rom. 5. Sicut per vnius delictum in omnes homines, etc. 801

Rom. 6. Cū enim serui essetis peccato, &c. 757

Ibid. Stipendium enim peccati mors est, &c. 18

Rom. 8. Quia misit Deus Filium suum in similitudine carnis peccati 709. explicatur etiam 741. 742

Rom. 9. Non est volētis neque currentis, sed, &c. 755

Ibid. Quod si volens Deus ostendere iram, &c. 57

Rom. 11. Conclusit Deus omnia in incredulitate 800

1. Cor. 7. De virginibus autē præceptum non habeo, &c. 111

Ibid. Mulier innupta & virgo solicita est, &c. 451

1. Cor. 13. peccatum aculeus mortis 739

Phil. 2. Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, &c. 694

Col. 2. Qui suscitauit illū à mortuis & vos, &c. 409

1. Tim. 2 Qui vult omnes homines saluos fieri, etc. 790

Heb. 7. Hic etenim Melchisedech, Rex Salem, &c. 281

Heb. 12. In authorem fidei & consummatorē Iesum 761

1. Ioan. 2. Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo, &c. 41.

FINIS.

BEA-

Beati Fulgentij

AD MONIMVM LIBRI III.

Primus, de Prædestinatione Dei, bonorum ad gloriam, malorum ad pœnam.

Secundus, de Oblatione Sacrificij, de mißione Spiritus S. & de supererogatione Apostoli Pauli.

EIVSDEM

Liber decem responsiones ad totidem obiectiones Arrianorum continens.

BEA-

BEATI FVLGENTII, IN TRES LIBROS AD MONIMVM, Præfatio.



RATIAS *ago Domino, quòd de bono thesauro cordis bona proferre non desinis, & lingua Eucharis, quæ in bono homine abundat, puritatem tui cordis insinuat: quæ licet diuinitùs concessis eloquentiæ fluentis exuberet, non tamen tantum credo sermonibus exprimi quantum scio cordis tui penetrálibus contineri. Diuino etenim igne succensus, sic nobis iugiter compateris, ut etiam illas tribulationes, quæ licet accesserint nobis, Domino tamen adiuuante fuerunt superatæ; tu sic eas pro nobis penè semper pateris, ut quotiens eas corde reuolueris, totiens eas pati quodammodo compellaris. Ecce quantum boni charitas habet? Ecce quãtum laudem coram Deo & hominibus possidet? Vt dum dolet quod accidit illi quem amat, frequentiùs recordando magis ipsa sustineat. Hoc ergo superest, ut quòd ipsa charitas facere consueuit, pro nobis iugiter faciatis. Quid autem est aliud, nisi ut illum, in quo nos purè diligitis, ipsum pro nobis oretis? Semper enim charitas pro his, quos diligit poscit, dum etiam illa, quæ tuta sunt, metuit. Metuit autem non eo timore, quem ipsa foras expellit: nam perfecta charitas foras mittit timorem: sed illo timore, quem non ad timorem, sed ad amorem habere consueuit. Timet ergo non timido amore, sed casto. Non enim timet formidine criminis, sed robore puritatis & firmitate uirtutis.*

Exi-

Exigis à me præterea debitum, quòd me celeriter, Domino adiuuante, spondeo redditurum. Non enim hoc debitum sic profiteor quemadmodũ de quodam tuus Maro memorat, quod ipse fatebatur, sed reddere posse negabat. Sed illo me debere fateor, in quo me reddere posse non nego, sed spondeo. Ipse enim mihi donat unde reddam, qui donauit ut debeam. Nisi enim ab illo acciperemus, non solùm reddere, sed nec ipsum debere possemus. Quid enim nobis inuicem nisi charitatem debemus? Quod utique beatus Paulus, hæc loquens fidelibus euidẽtiùs ostendit: Nemini quicquam debeatis, nisi ut inuicem diligatis. *Quis autem fateatur debitum, si neget acceptum? In eo igitur, quòd nos debere dicimus, profectò nos accepisse monstramus. Dicit quippè beatus Apostolus:* Quid enim habes, quod non accepisti? Quia gloriaris, quasi non acceperis? *Nam & alio loco testatur:* Quid charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum qui datus est nobis. *Qui ergo nobis dedit, quòd reddendo debeamus, ipse nobis donabit facultatem, qua possimus reddere quod debemus. Ille igitur author est debiti, qui author est doni. Nam & seipsum sua largitate dignatus est facere debitorẽ. Non quia indigens ab aliquo accepit, sed quoniam abundans largiter tribuit. Seminecem quippè suo iumento impositum, stabularioq; curandum tradens, duobus denarijs datis, ita se debitorem profitetur, ut diceret, si quid supererogaueris, cùm uenero, reddam tibi. Quid est autem, si quid supererogaueris, nisi, si quid à me magis acceperis? Nam & ipse, qui supererogabat, in eo quod non acceperat præceptum, sed dabat ex charitate cõsilium, misericordiam se profitebatur itaq; consecutum. Ait enim;* De uirginibus

Ad Ro. 14.
1 Cor. 4.
Rom. 5.

1.Cor.7. autem præceptum Domini non habeo, sed consiliū dō, tanquàm misericordiam consecutus à Domino, ut sim fidelis. *Misericordiam est igitur consecutus, non solùm ut erogãdum acciperet, uerumetiam ut ampliùs erogaret. Ecce qualis est Dominus noster, ut donando debeat, & quantò magis eum debitorem esse non pigeat. In quãtum enim gratis largitur, in tãtum debitor inuenitur. Nec enim potest aliquis debitorem habere, nisi in eo, quòd ipse dignatus fuerit gratuita largitate conferre.*

Ipsum igitur pro me iugiter posce, ut mihi largiatur reddendi debiti facultatē, qui donauit, ut in ipso Charitatis tibi liberam debeã seruitutem. Vt enim uerè tuo cordi, quod cor meum est, totũ fatear, quoniã, sicut cordi meo ita cordi tuo, aliquid cælare non possum, reddendi debiti tarditatē illa mihi ratio procurauit. Quoniam aduersus cuiusdam hæretici uaniloquia respondere compulsus sum, qui nō solùm meum nomen, sub Fotiani erroris nota, non dubitauit lacessere, quinetiam sanctorum Augustini & Hieronymi dicta, tanquam meæ professioni cōtraria, in me uoluit retorquere. Cuius nomen nunc literis insinuare distuli, sed potes ipse procul dubio recordari. Nam ibi te nobiscum apud Carthaginem posito, mihi dicta eius allata sunt, & (si benè recolo) etiam in tuam notitiã peruenerũt. Nihil enim te ibi posito legere possem, quòd tibi recensendum offerre nō possem. Eosdem igitur libellos, si Domin9 uoluerit uestræ charitati celeriter destinabo. Et non dubito quòd meam tarditatem in tuo debito digneris patienter ferre. Quoniam scio, quantum delecteris, uel quantum nos semper compellas, ut nos, Domino adiuuante, non pigeat hæreticis respondere.

BEATI FVLGENTII, AD MONIMVM, DE PRÆDESTINATIONE DEI, BONORVM *ad gloriam, malorum ad pænam,*

LIBER I.



ITERÆ tuæ, fili chariſſime *Monime*, quantum demonſtrant delectabilem tui animi ſyncerita- tem, laudabilemq́ ſtudij ſpiritalis ardorem, tãtum noſtræ reſponſionis, querula benignitate, uidentur arguere tarditatem: tanquam in eo, minus quàm debeo, te uidear diligere, quòd inquiſitionibus tuis non curauerim celeriter reſpõdere. Sed crede mihi, ſicut in charitate Chriſti perſonam tuam nequaquam in corde meo contemptam, ſic reſponſionem meam, non uolũtate, ſed occupationum uarietate dilatam. Veruntamẽ inter ipſas occupationes, quas inuitus tollerare cõpellor, tantum ſtudio tuo congratulor, *Excuſat reſpõſionis tardatem*

quantum tua charitate delector: eò magis amplectens sanctum auiditatis tuæ propositum, quòd (sicut uerè spiritalis negociator, interioris hominis lucra cōsectans, & cœlestium mercium quęstus, magis amplificare desiderans) primum quod à me flagitas debitum, subinde cumulas fœnore quæstionum: ut scilicet, tuorum commodorum militet incrementis, ipsa nostrę necessitas tarditatis. Proinde confido in misericordia Dei nostri: quia si quid mihi huius inquisitionis ac disputationis opere pro meo merito nō conceditur, pro tuo mihi desiderio concedetur. Neq; enim inquisitionē tuam Deus inuentionis effectu fraudari ullatenus sinet, qui te ad inquirendum spiritaliter inflammauit, dum ipsius fidele promissum, nulla ratione cassetur, dicētis: *Petite & accipietis, quærite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis.* Internus igitur Magister à quo subsidium doctrinæ cœlestis accipimus, non solùm inquirentibus nobis suorum aperit arcana sermonum: sed ut etiam quæramus, ipse gratis inspirat affectum. Quia nec esurire

Luc. 11.

49

rire panem illum, qui de cœlo descendit, possumus, nisi ab ipso fastidientibus esuries detur, qui se ad satiandos esurientes donare dignatur. Ab ipso etiam nobis est, quod ad fontem sitientes currimus, qui se nobis tribuit, ut bibamus. Ipse igitur laudandus est, in utriusque muneris gratia: siue cùm nos ad se quærendum dormientes exsuscitat, seu cùm se inueniendum nobis quęrentibus donat. Qui profectò nullatenus inuenitur, nisi ipse nos excitet, ut quæratur.

Reuoluens igitur scripta tua, tanquã chirographa mea, ut ex his instruerer, quot, uel quarũ tibi essem debitor quæstionum: duas ad præsens epistolas potui reperire. Vnam, continentem sancti Augustini uerba, quæ in libro de perfectione Iustitiæ hominis, *de his qui ad meritum prædestinati sunt*, inter alia posuisse cognoscitur. Cui alterã statim subiunctam quæstionem uideor inuenisse, hoc est, *de Sacrificio, quod solo patri quidam existimant immolari.* In altera uerò epi-

Quæstiones hocce libro pertractandæ.

ſtola poſitam inquiſitionẽ inueni: *Quid eſt quod Apoſtolus duobus denarijs quos accepit ſupererogare potuerit?* Cũ ergo has tãtummodò duas epiſtolas inuenirem, tertiæ quoq; ſum protinus recordatus, quæ mihi à Notario non fuit oblata. In qua memini unam contineri de Sancto ſpiritu quæſtionem: *Cur ſcilicet à patre mittendus ad conſecrandum ſacrificium corporis & ſanguinis Domini, poſtuletur.* Hæ ſunt interim quatuor quæſtiones, quarum tres ex duabus epiſtolis tuis, unam uerò memoria ſuggerente recolui. Quod ſi poſitę ſunt alię, quas nobis miſiſti ſoluendas, nec in hoc inuenis opere poſitas aut ſolutas: quæſo, non ad contemptum uel faſtidium redigas, ſed obliuioni patienter ignoſcas: Præſertim, cùm illam de Spiritu ſancto, quam ego etiam epiſtola non inuenta, recolui, ſilẽtio pręterire nequiui. Sed quia tu cunctarum (ſi quæ forſitan ſunt) ſine dubio meminiſti, non te pigeat, ut te ſcribente commemorer. Et ſpero, quia, in quantum Dominus adiuuerit, noſtra reſponſio

ſio ſubſequetur, ſi præcedentis ueſtræ orationis adiutorio fulciatur.

Primæ igitur quæſtionis intelligentiã, in illius nomine quæſiturus, de quo ſcriptum eſt: *Quia Dominus dat ſapientiam, & à faciẽ eius ſcientia & intellectus:* hoc conuenientius atq; commodius arbitratus ſum, ut tàm uerba tua, quàm beati Auguſtini, quæ in tua epiſtola poſuiſti, reuoluerem, ut his relectis, faciliùs agnoſcatur tàm intentio quàm ſolutio quæſtionis. Repetit Monimi obiectiones. Prou. 2.

Legenti me (inquis) librum de perfectione iuſtitiæ hominis, teſtimonium prophetæ, in ordinem relegens auditu cauto, pedetẽtim paululum retractaui, ubi ait: *Non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum.* Et ſine aliqua nebula, ſine aliqua dubitatione expreſsit, interpres ipſe ueriſsimus, genus tale eſſe hominum, quod non faciat bonum. Illud prædeſtinatum itaque ad interitum. Atque (ut tuus ſermo præfati ſancti uiri fulciretur eloquio) eadẽ uerba, quæ à beato Auguſtino ſunt dicta, ſubnectens: Prou. 3 Pſal. 14.

Ait enim (inquis) idem gloriosissimus Augustinus: De illo enim bono, dictũ id debemus accipere, quod ibi ait: *Deus de cælo respexit super filios hominũ, ut videret, si est intelligens, aut requirẽs Deum.* Hoc ergo bonum, quod est, *requirere Deum*, non erat qui faceret, nõ erat usque ad unũ, sed in eo genere hominũ, quod prædestinatum est ad interitum. Hic dicta sancti Augustini determinans, & ad me intentionem tuarum dirigens literarũ, dicis: sentire me iam, cur iterum hæc inculces, scilicet, quòd sępiùs reluctanti te mihi, prædestinationem non tantùm in bono dici, sed etiam in malo, dum in malo prædestinationem te relegisse diceres. Ipse docens aiebam, ad pœnã debitam, non ad malum faciendum posse dici aliam prædestinationem. Quod etiam tu, sicut scripsisti, confirmas. Scire te tamen asseris, quid & hîc respõdeam, ut tuear sententiam meam, hoc est interitum nõ dici, nisi mortem. Et adiungis, interim legisse te hoc, & adseuerasse etiam, prædestinatum populum ad interitum.

Psal. eodem.

ritum. Deinde admones, ut considerem ipsius loci sermonem: & ut doctor meorum discipulorum, non ut assertor mearum propositionum, faciam uos sequẽda cognoscere.

Ego quidẽ charissime, Domino gratuitam gratiam largiente, modulũ propriæ paruitatis agnoscens, sub illo uno Domino atque Magistro in eius schola positus, non fratrum meorũ uocari magister aut doctor affecto, quorũ in ueritate cõdiscipulus semper esse desidero. Quapropter hoc ab illo uero Domino ac Magistro nostro postulare nõ desino, ut ea me, siue per eloquia scripturarũ suarum, seu per sermocinationem fratrum condiscipulorumq́ meorum, sed etiam per inspirationis suæ internã suauioremq́ doctrinam (ubi sine sonis sermonum, & sine elemẽtis literarum, eò dulciùs, quò secretiùs, ueritas loquitur) ea me docere dignetur, quæ sic proponã, sic asseram, ut in propositionibus atq; assertionibus meis Veritati (quę nec fallit nec fallitur) semper inhęream, semper obediens cõsen-

Suũ cognoscendæ ueritatis studiũ explicat.

ſentiensq; reperiar. Quoniam ut ueritati obedire atque conſentire ualeam, ipſa ueritas illuminat, ipſa adiuuat, confirmat. Ab ipſa poſtulo doceri multò plura quæ neſcio, à qua accepi pauca quæ ſcio. Ipſam rogo, ut præueniente ac ſubſequente miſericordia, quæcunque ſalubriter ſcienda neſcio, doceat me: in his quæ uera noui, cuſtodiat me: in quibus ut homo fallor, corrigat me: in quibus ueris titubo, confirmet me, & à falſis ac noxijs eripiat me: ut in cogitationibus ac ſermonibus meis, quod ſalubriter donat, inueniat. Et ea faciat de ore meo procedere, quæ ſint coram ipſo principaliter grata, & ſic fiant fidelibus cunctis accepta.

Nũ prædeſtinatio ſit cauſa peccati, unde interitus impiorũ.

Quantum igitur ipſa ueritate (quę uerũ lumen eſt) illuminãte tenebras meas, in huius quęſtionis ſcrutatione, facultas mihi eſt hactenus intelligendi conceſſa, nihil aliud accipiẽdum exiſtimo, in illo S. Auguſtini ſermone, quo ad interitum quoſdã prædeſtinatos firmat, niſi ad interitũ ſupplicij, non delicti. Neq; ad malum,

lum, quod iniustè admittunt, sed ad cruciatum, quem iustissimè patientur. Nec ad peccatum, quo primæ resurrectionis beneficium, aut non accipiunt, aut amittunt: sed ad tormentum, quod illis propria iniquitas malè parit, & æquitas diuina benè retribuit. Nec ad mortem animæ primam, in qua nascuntur paruuli, uel in quam (sicut beatus Iacobus dicit) cõcupiscentia sua abstracti & inlecti recidunt criminosi: sed ad mortem secundam, quã necesse est patiantur, retribuẽte iustissimo iudice: seu qui ante perceptam gratiam baptismi discedunt de sęculo: siue qui in uacuũ gratiam Dei recipientes post acceptũ baptismum, usq; in finẽ præsentis uitę malunt serui esse peccati, nec uolũt dum tempus est acceptabile, & dies salutis, conuerti à uia sua mala, ut uiuãt: & ignorãtes, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiã eos adducat, ipsi secundùm duriciam suam, & impœnitens cor, thesaurizant sibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei. De illa ergo morte, quã sibi peccatores ma-

Iacob. 1.

Rom. 2.

Nec mors neque peccatũ Dei opus.

nibus & uerbis accersierunt, & æstimantes eam amicam defluxerunt, dicitur: *Nolite zælare mortẽ in errore vitæ vestræ, neque acquiratis perditionem animarum vestrarum, quoniam Deus mortem non fecit, neque lætatur in perditione viuorum.* Et alio loco de hac morte dicitur: *Inuidia autem diaboli mors introiuit in orbem terrarum.* Imitantur autem eum, qui sunt ex parte illius. Quam mortem, ut ab opere ac prædestinatione Dei agnosceremus alienam, Deus ipse sic loquitur per prophetam: *Conuertimini, & auertite vos ab omnibus impietatibus vestris, & nõ erunt vobis in pœnam iniquitatis. Proijcite à vobis omnes iniquitates vestras, quas impiè fecistis aduersus me, & facitę vobis cor nouum & spiritum nouum.* Et, *Vt quid morimini domus Israël? Quoniã nolo mortem morientis, sed vt auertatur ipse à sua via mala, & viuat anima eius.* Hæc est mors impietatis, quam non fecit Deus, quæ per diabolum introiuit in orbẽ terrarum. In hac eum imitãtur, qui sunt ex parte illius. Huic uni morti, quam peccator

Sap. 1.
Sap: 2.
Eze. 18.
Ibid. 33.

cator sibi per contemptum diuinæ iussionis iniustè concupiscendo arcessiuit, duplam Deus mortem iustè iudicando retribuit: hoc est primam, in separatione animæ & corporis: Secundam, in æterna cruciatione animæ & corporis. Ac per hoc primam, qua discedente anima, caro sola moritur: secundam uerò, quando rediens in carnem anima, in eadem cū eadē, in qua peccauit carne torquetur: ut cum qua cōmunicauit mortē peccati, quod Dei bonitas interdixit homini, cum ipsa communicet mortem supplicij, quod parauit diuina iustitia peccatori. De hac morte Saluator noster dicit: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem nō possunt occidere. Magis autem eum timete, qui potest & animam & corpus perdere in gehennā.* Quod ergo ante gehennā mali pereūt, non est diuini operis, sed humani: quod autē in gehenna perituri sunt, hoc facit Dei æquitas, cui nulla placet peccantis iniquitas. *Qui enim diligit iniquitatem, odit animam suam.* Et dicit Ioannes: *Quia omnis*

Matth. 10.
Psal. 10.
1. Ioan. 5.

nis qui facit peccatũ, & iniquitatem facit, Ezech. 18. *& peccatũ est iniquitas.* Et Deus per Prophetã dicit: *Quia anima quæ peccauerit, ipsa morietur.* Ioan. 3. De filio autẽ Dei Ioan. dicit: *Scimus quia ille apparuit, vt peccata tolleret, & peccatũ in eo nõ est.* Sicut ergo peccatum in eo non est, ita peccatum ex eo non est. Quod autem ex eo non est, opus eius itaq; non est. Quod autẽ nunquã est in opere eius, nunq; fuit in prædestinatione eius. NB. Non ergo prædestinati sunt mali ad hoc, quod malè operãtur, à concupiscentia sua abstracti & illecti, sed ad hoc, quod iustè patiuntur inuiti. Prędestinationis enim nomine, non aliqua uoluntatis humanæ coactitia necessitas, exprimitur: sed misericors & iusta futuri operis diuini sempiterna dispositio, prædicatur. Prædestinationis caussa Dei propositum. Deo autem *misericordiã & iudicium* cantat Ecclesia, cuius hoc opus est in homine, ut occulto uoluntatis suæ, non tamen iniusto consilio, aut gratuitam misericordiam pręroget misero: aut debitam iustitiam rependat iniusto. Imò, aut misericorditer debitori donet,

net, quod, si uellet, iustè posset exigere: aut iustè cum usuris, quod suum est exigat, & iniquo debitori, quod debetur iniquitatibus, reddat. Ac sic aut iustum, prorsus indignum misericordia, præueniat, aut illum ira dignum inueniat. Ipse enim donat gratis indigno gratiã, qua iustificatus impius, illuminetur munere bonæ uoluntatis, & facultate bonæ operationis: ut præueniente misericordia, bonum uelle incipiat, & subsequẽte misericordia, bonum quod uult, facere ualeat. Vtrunq; autem prędestinãdo Deus præparauit in illa incommutabili uoluntate, in qua sic futurum effectum hominis renouandi disposuit, ut eius uoluntas in opere nouo, noua esse non posit. Donat etiam gratiam digno, in retributione mercedis æternæ, ut scilicet, siue cùm impium piè iustificat, iustus: quia de ipso Apostolus dicit: *ut sit ipse iustus, & iustificans eum qui ex fide est IESV*: seu cũ iustum iustè glorificat, pius. Quia quos iustificauit, illos & glorificauit. Eadẽ sit operatio gratiæ, quæ meritum ho-

Rom. 3.

Omnes nostræ salutis partes soli Deo debentur.

hominis bonum, & initiat ad iustitiam, & cõsummat ad gloriã. Primò inchoãs in homine uoluntatem bonam, deinde eandem uoluntatem adiuuans inchoatam, ut eadem uolũtas, & diuino dono bona sit, & diuino adiutorio malam superare concupiscentiam possit, & Deo perficiente talis postmodum ipsa uolũtas sit, ut malam concupiscentiam habere non possit: ac sic in præsenti uita gratię adiutorio infirmitati non cedat, in futura autem, gratiæ beneficio infirmitatem non habeat: Et nunc recreetur continuo iuuamine medicaminis, tunc uerò fruatur æterna plenitudine sanitatis. Hæc aũt Deus, sicut in prædestinatione semper habuit, sic per gratiam, sicut prædestinauerat, facit. Prædestinationis itaque ipsius instituatur agnitio, cùm dicit Scriptura: *Et præparatur voluntas à Domino*. Non autem ob aliud præparata dicitur, nisi quia danda prædicitur. A' quo enim præparatur per bonitatem sempiternam, ab ipso datur per indebitam gratiam. Quod ipse Dominus Ezechielis

uati-

uaticinatione teſtatur, dicens: *Dabo vobis cor nouum, & ſpiritum nouum dabo in vobis, & auferetur cor lapideum de carne veſtra: Et dabo vobis cor carneum, & ſpiritum meum dabo in vobis. Et faciam, vt in iuſtificationibus meis ambuletis. Et iudicia mea obſeruetis & faciatis.* Dat ergo Deus cor nouum, ut in iuſtificationibus eius ambulemus, quod pertinet ad bonæ uoluntatis initium. Dat etiam ut iudicia eius obſeruemus & faciamus, quod pertinet ad bonæ operationis effectum. Vnde cognoſcimur Dei eſſe, ut bonum facere uelimus, & ut bonum facere ualeamus. Cui ſenſui Dauid omnino concordat, gratiam bene uolendi ſic oſtendẽs, diuinæ largitatis directione donari: *A Domino greſſus hominis dirigentur, et viam eius volet.* Opus quoq; bonum non niſi à Deo in nobis, & in Deo à nobis fieri proteſtatur, dicens: *Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.* Et alio loco: *In Deo faciemus virtutem*, id eſt, opus uirtutis. Sic autem hic pro opere uirtutis uirtutem dixit fieri, ſicut Ioannes pro opere iuſti-

Ezech.

Pſalm. 37.

Pſalm. 60.

1. Ioan. 3. tiæ iustitiam dixit fieri. Ait enim: *Qui facit iustitiam iustus est, sicut ille iustus est.* Paulus quoque optat à nobis Dei fieri uo-
Hebr. 13. luntatem, dicens: *Deus autem pacis qui eduxit è mortuis pastorem magnum ouiũ, in sanguine testamenti æterni, dominũ nostrum Iesum, aptet vos in omni bono, vt faciatis voluntatem eius.* Quid est autem facere uoluntatem eius, nisi facere opera quæ nobis inspirat, & in nobis operatur uoluntas eius? Tale aliquid & in ipsius redemptoris nostri sermonibus inuenimus dum ueritatem fieri dicit, pro opere ueritatis. Sic enim loquitur:
Ioan. 3. *Omnis qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem vt non arguantur opera eius. Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, vt manifestentur eius opera, quia in Deo sunt facta.* Hoc autem in Deo facimus, quod Deo in nobis faciente datur nobis ut faciamus. Quod euidenter in epistola ad Hebręos ostẽditur, ubi, cum
Hebr. 3. de Deo dictum esset: *Aptet vos in omni bono, vt faciatis voluntatẽ eius,* continuò sequitur: *Faciatis in vobis quod placeat coram se.* Omne igitur opus, quod à nobis

in

in Deo fit, Deus in nobis facit. Ex ipso enim, & p ipsum, & in ipso sunt omnia. Ex ipso ergo est, & uoluntas bona, & operatio bona. Quod doctor gentiũ his uerbis affirmat: *Deus est enim qui operatur in vobis, & velle & perficere pro bona voluntate.* Propterea, sicut Salomon dicit: *quia præparatur voluntas à Domino:* sic etiã bona opera nostra Paulus à Domino asserit prẹparata, hoc est, in prẹdestinatione disposita. Dicit itaq;: *Gratia salui facti estis per fidem, & hoc non ex vobis, sed Dei donum est, non ex operibus, vt ne quis glorietur. Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Iesu, in operibus bonis, quæ p̃parauit Deus, vt in illis ambulemus.* Sicut ergo præparata est per prædestinationem uolũtas à Domino, qua bonum uelimus: sic etiam opera bona præparauit Deus, ut in illis ambulemus. Attendamus etiam uitam ẹternam, regnumq; cœlorũ diuinitùs fide fidelibus præparatum. Ipse quippè Christus dicturum se dextris ostendit: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis pa-* Philip. 2. Eph. 2. Matth. 25.

ratum est ab initio mundi. Sed & hoc ipsum opus est gratiæ. Ex gratia enim datur non solùm iustificatis uita bona, sed etiā glorificatis uita æterna. Quod Pauli tenemus prædicatione compertum, dicentis: *Stipendium enim peccati mors. Gratia autem de vita æterna, in Christo Iesu Domino nostro.* Cur autem mors stipendium, uita uerò æterna gratia dicitur? Nisi quia illa redditur, hæc donatur. Sed ubi illam Deus reddit, opus malum peccatoris hominis punit, quòd nullatenus fecisset homo, nisi discessisset à Deo. Cùm uerò Deus uitam æternam donat, opus suū quod inchoauit, iustificans impium, perficit, glorificans iustum. Hæc autem utraq; gratia, id est, & uita bona, & uita æterna, in Christo Iesu Domino nostro est. De plenitudine quippè eius nos omnes accepimus, & gratiā pro gratia, scilicet, gratiam glorificationis æternæ pro gratia iustificationis indebitæ, ut gratia iustificationis omne meritum malum deleat indebito beneficio, & meritum bonum iugi con-

Rom. 6.

firmet

firmet auxilio, cui gratia glorificationis iustæ reddatur in pręmio. Gratia autem etiam ipsa ideò non iniustè dicitur: quia nō solùm donis suis Deus dona sua reddit, sed quia tantùm etiam ibi gratia diuinæ retributionis exuberat, ut incomparabiliter atque ineffabiliter omne meritum, quamuis bonę & ex Deo datę humanę uoluntatis atque operationis, excedat. Quamuis enim non solùm credendi in Christum lumen, sed etiam pro illo patiendi uirtutem à Deo nobis donari beatus Paulus Apostolus ostendit, dicens: *Vobis enim donatum est, pro Christo, non solùm vt in eum credatis, sed vt etiam pro illo patiamini*, quod utrūque pertinet ad gratiā præsentis bonæ uitæ: Illam tamen futuræ uitæ gratiam omnibus pręsentis temporis passionib. anteponit, dicens: *Non sunt cōdignæ passiones huius tēporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis*. Et alio loco: *Id enim quòd in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modū in sublimitate æternum gloriæ pōdus operatur in nobis*. Hanc

Philip. 1.
Rom. 8.
2. Cor. 4.

gratiam non solùm in prçsentis uitæ iustificatione, sed etiam in futuri sæculi remuneratione, dicit gratiam permanere, & super nos, hoc est, super omnia bona cuiuslibet hominis merita in Dei bonitate asserit abundare, dicens: *Vt ostendat in sæculis superuenientibus abundantes diuitias gratiæ suæ, in bonitate super nos in Christo Iesu.* Gratia est igitur retributio pia, qua Deus in præsenti tēpore malis bona retribuit, illis uidelicet, quos iustificat impios, ut deputetur fides ad iustitiam. De qua retributione Dauid dicit: *Quid retribuā Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Gratia est & illa iusta retributio, qua bonis suis meliora retribuens Deus, glorificaturus est iustos: & hoc enim gratiç opus erit. Quia ut hoc mereantur, ipsa prçueniendo, misericorditer incipit, ipsa subsequendo custodit. Ista gratia in scripturis etiā *misericordia* nominatur. De qua dicit Dauid: *Deus meus, misericordia eius præueniat me.* Et alio loco: *Misericordia tua subsequitur me, per omnes dies uitæ meæ.* Prçuenit igitur

Eph. 2.

Gratia Dei.


Psal. 115.

Psal. 59.

Psal. 23.

tur impium, ut fiat iustus: subsequitur iustum, ne fiat impius. Prçuenit cçcum, ut lumē quod nō inuenit, donet: subsequitur uidentem, ut lumen, quod contulit, seruet. Prçuenit elisum, ut surgat: subsequitur eleuatum, ne cadat. Prçuenit donans homini bonam uoluntatem: subsequitur beneuolentem, operando in illo boni operis facultatē. Hoc igitur ista misericordia Dei in homine subsequitur, quod prçueniens ipsa largitur. Et ideò non solùm errantem iustificando ad uiā reuocat, sed etiam benè ambulātem custodit & adiuuat, ut ad donum glorificationis æternæ perducat. Hæc autem omnia, id est, & uocationis nostræ initia, & iustificationis augmenta, & glorificationis præmia, in prædestinatione semper Deus habuit, quia & in uocatione, & in iustificatione, & in glorificatione sanctorum, gratiæ suę opera futura prçsciuit. Ob hoc totum Deo assignat Apostolus dicens: *Nam quos præsciuit, & prædestinauit cōformes fieri imaginis Filij eius, ut sit ipse primogenitus in multis fra-* Rom. 8.

Gratia Dei electos & præuenit & subsequitur.


BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMAN.

tribus. Quos autẽ prædestinauit, hos et vocauit: & quos vocauit, hos & iustificauit: quos autẽ iustificauit, illos & glorificauit.

Veruntamen, cũ simul iustificatos & glorificatos audimus, nõ simul & iustificationis & glorificationis opus pſenti tẽpori deputemus. Iustificationis enim gratia in præsenti datur, glorificationis aũt futura seruatur. Ista est fidei, illa spei.
2. Cor. 5. Dicit aũt Paulus: *Quia nũc per fidem ambulamus, non per spem.* Quod enim nunc sancti credunt, tunc uidebunt. Propter quod Ecclesię dicitur: *Audi filia & vide.* Quia fides ex auditu. Vnde iustus ex fide uiuẽs, fiducialiter dicit: Credo uidere bona Domini in terra uiuentiũ. Iste igitur est in homine ordo diuinę redẽptionis ac remunerationis, ut nunc iustificatus credat, quòd tunc glorificatus accipiat. Propter quod Paulus ait: *Non quod*
Philip. 3. *iam acceperim, aut iam perfectus sim.* In hac ergo iustificatione sancti euntes eunt & flent, mittentes semina sua: in illa uerò glorificatione uenientes uenient, in exultatione portantes manipulos suos,

os. In hac operarij patrisfamilias in uinea operantur: in illa autem denarij mercede sine dubio potientur. Istam Deus nunc donat, ut initium meriti boni gratis indignus accipiat, illam uerò in futurum repositã seruat, qua boni meriti prę mium accipere dignus posit, qui boni meriti principiũ, cùm esset indignus, accepit. Dicens igitur Paulus: *Quia quos Deus iustificauit, illos & glorificauit*: non utrunq; praesenti uitae deputat, sed ea fide quod futurum est, uelut factũ firmat: quia fide propheta de Deo dicit: *Qui fecit quae futura sunt*. In illa quippè immobilitate consilij sui, secundùm bonum placitum eius, quod proposuit in eo, in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo, quę in coelis, & quae in terra sunt: in ipso ex aeternitate dispositionis suae, in praedestinatione iam fecit, quęcunque effectu operis sui, tempore congruo facienda dispo suit. Sicut enim omne creatoris opus sine initio non potuit nec potest fieri: sic illa sempiterna uoluntas eius, nunquam Ad Rom. 8.

mutabilitati subiacet: quia initium existendi non habet. Quod autem semper sic est, ut esse non cœperit, proculdubio sic est, ut id quod est, nõ esse non posit. Vera igitur immutabilitas, dignè uera uocatur æternitas, in qua æternitate incõmutabilis uoluntatis suæ Creator ille iam fecisse dicitur, quod in creatura mutabili, prout opportunè faciendũ disposuit, sic ritè dispositũ facit. Et ideò quæcunq; promisit, iam facta dicimus: quia de faciendis dubitare non debemus.
Rom.4. *Abraham enim pater noster* (sicut ait Apostolus) *in repromissione Dei non hæsitauit diffidẽtia, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo, plenissimè sciens: quia quæcunq; promisit, potens est & facere.* Ideò ergo in Dei ꝓmissis nulla est falsitas: quia in faciẽdis nulla omnipotenti est difficultas. Et propterea ibi nunꝗ deest uoluntatis effectus: quia uolũtas ipsa non aliud inuenitur esse quàm uirtus. Quicquid autem uult, potest, qui quantum uult, tantum potest. Propterea de solo dignè dicitur:
Psal.115. *Omnia quæcunque voluit fecit.* Et iterum:

iterum: *Subest enim tibi, cùm voles posse.* Ideò diximus, tantam ibi esse uirtutem uoluntatis, quanta est uoluntas ipsa uirtutis. Quia cui semper subest cùm uolet, posse, nõ aliud est in illo uelle quàm posse. Quia ergo Deus nulla necessitate compellitur, ut aliquid nolẽs promittat, nullius utiq; aduersitatis impeditur obstaculo, quo id quod promisit, aut minus quàm uult, aut tardiùs faciat. Proinde potuit, sicut uoluit, prædestinare quosdam ad gloriam, quosdam ad pœnã. Sed quos prædestinauit ad gloriam, prędestinauit ad iustitiam. Quos autem prædestinauit ad pœnam, non prędestinauit ad culpam. Posset enim peccatum aliquod ex prædestinatione Dei esse, si posset aliquis hominum iustè peccare. Nullus autem hominum iustè peccat, quamuis eum iustè Deus peccare permittat. Iustè enim deseritur à Deo, q deserit Deum. Et quia homo deserens Deum, peccat, deserens peccatorem Deus, iustitiam seruat. Quid autem magis iustum, quàm ut ille, qui desiderio peccã- Sap. 12.

di iã peccat, pro eo quod desiderans peccare, ipse sibi noxius efficit, semetipsum peccato suo lædere permittat? In sanctis igitur coronat Deus iustitiam, quam eis gratis ipse tribuit, gratis seruauit, gratisque perfecit. Iniquos autem cõdemnabit pro impietate uel iniustitia, quam in eis ipse non fecit. In illis enim opera sua glorificat, in istis autẽ opera non sua cõ-
NB. demnat. Hoc itaq; prędestinauit Deus, quòd erat ipse facturus, aut quod fuerat largiturus. Illud uerò nullatenus prędestinauit, quòd siue per gratiam, seu per iustitiam facturus ipse non fuit. Proinde diligentissimè requirẽdum uidetur, quid in his Deus operetur, quos gratis iustificat: quid etiam in illis, quos iustè condemnat. Dicit enim eximius gentiũ
Rom. 3. Doctor: *Si autem iniquitas nostra iustitiam Dei commendat, quid dicemus? Nunquid iniquus Deus, qui infert iram? Secundùm hominem dico. Absit.* Hic autem irã pro condemnatione posuit, sicut alibi Ioannes Baptista dicit: *Qui incredulus est*
Ioan. 3. *Filio non videbit vitam, sed ira Dei manet*
super

super eum. Hanc iram Pharisæis & Sadu-
cęis cũ obiurgatione denunciat, dicens:
Genimina viperarum, quis vobis ostendit Math. 3.
fugere à futura ira? Ab hac ira nos domi-
nus Christus eripuit, quòd Paulus ueri-
dica prædicatione firmauit, dicẽs Thes- 1. Thess. 1.
salonicẽsibus: *Quomodo conuersi estis ad
Deũ à simulachris, seruire Deo viuo & ve-
ro, & expectare filium eius de cœlis, quem
suscitauit à mortuis, Iesum qui eripuit nos
ab ira ventura.* Hãc iram, id est, punitio-
nem, quæ parata est malis, alio loco in-
teritum uocat dicens: *Cùm enim dixerint* 1 Thess. 5.
*pax & securitas, tunc repentinus eis super-
ueniet interitus, sicut dolor in vtero haben-
ti, & non effugient.*

Quęramus itaque, utrum credendus
sit Deus iniquorũ opera prædestinare,
pro quibus eos condemnet, sicut in san-
ctis prædestinasse dicit͂, quod coronet?
Cùm uerò causam cõdemnationis ini- NB.
quorũ &, glorificationis sanctorũ quæ- Status præ-
rimus, non prædestinatos negamus, uel sẽtis quæstio-
illos ad pœnam, uel illos ad gloriã. Sed nis in nego-
utrum, sicut creduntur prædestinata di- tio prædesti-
nationis.

uinitùs

uinitùs opera bona, pro quibus glorificabũtur iusti, sic credenda sint prædestinata diuinitùs opera mala, pro quibus in æternũ punientur iniusti? Dicitur enim in libro Psalmorũ: *Iniusti punientur, et semen impiorũ peribit, salus autẽ iustorũ à Domino.* De utrisq; & Saluator noster dicit: *Tũc illi ibunt in cõbustionem æternã.* In utrisque ergo, id est, iustis & iniustis, tria quędã consideranda existimo, initiũ uoluntatis, progressum operis, finẽ retributionis. Vt in his quęcunq; iusta & bona uidemus, iusto & bono Deo demus: Illa autem Deo indigna nouerimus, in quibus nec bonitatem nec iustitiam inuenimus. Et considerata operum qualitate, illa credamus Deo prædestinata, quæ misericordiæ uel æquitati diuinæ condigna reperiuntur, & congrua. Misericors enim & miserator & iustus Dominus. Ac primò totius bonæ uoluntatis initiũ ab illa sempiterna trinitate (quę unus, solus, & uerus est Deus) & prędestinatum confitemur & datum. Hoc enim homini gratuita iustificatione tribuit

Psal. 37.

Matth. 25.

D. Fulgentij sententiæ.

Prædestinationẽ Dei ad bona tantũ referendam.

buit præparatum, quod in æterna prædestinatione præparauerat tribuēdum. Hanc uoluntatis præparationem superiùs sanctę Scripturę testimonio demōstraui, quo dictum est, *Præparatur voluntas à Domino*. Ab ipso ergo uoluntas pręparatur, qui in nobis, & uelle & perficere misericorditer operatur. Dicit enim Apostolus: *Deus est enim qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona volūtate*. Loquēs etiam Deus per Prophetam, se ipsum facere cōfirmat, quod fidelibus donat ut faciant, secundum illud oraculū, quod est à nobis supra iam positū, quo dicit: *Et faciam, vt in iustifica tionibus meis ambuletis, et iudicia mea obseruetis & faciatis*. Quid est autem, *faciā vt faciatis*, nisi mei erit operis omne bonū, quod operati fueritis? Ipse ergo facit, ut faciamus, quo in nobis operāte, fit omne bonū quod facimus. De quo dicitur ad Hebr. *Aptet vos in omni bono, faciens in vobis quod placeat corā se*. Demōstrat itaq; Dei gratia in bona uolūtate & operatione hominis, futurę quoq; retributionis

Philip. 2.

Ezech. 36.

Hebr. 13.

butionis gloriam, quæ donabitur sanctis. Quis diuinæ gratiæ non esse contendat? Cùm siue credentes, siue operantes, licet nostra sit fides, & nostra sint opera (sicut ipse Dominus dicit: *Secundùm fidem tuam fiat tibi.* Et beatus Ioannes prædicat: *Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra.* Paulus quoque ita scribit: *Gratias ago Deo meo per Iesum Christum pro omnibus vobis: quia fides vestra annunciatur in vniuerso mundo.* Opera quoque nostra Dominus ipse testatur dicens: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videntes vestra bona opera, glorificẽt Patrem vestrum qui in cœlis est*) tamen quia ista cùm habemus, non habemus ex nobis nata, sed à Deo donata, sicut Apostolus dicit: *Nos autem non spiritum mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, vt sciamus quæ à Deo donata sint nobis.* Et quia quæcunque nobis facienda donat, sicut habere non possumus, nisi ipse nobis largiatur: sic facere non possumus, nisi ipse, nobis quæ largitus est, operetur, Propterea nullatenus

Bona in nobis omnia Deo auctori accepta ferenda sunt.

Matth. 15.

1. Iohan. 5.

Ephes. 1.

Matth. 5.

1. Cor. 2.

nus sinimus, immò salubriter prohibe- "
mus, tàm in nostra fide, quàm in nostro "
opere, tanquam nostrum nobis aliquid "
uendicare. Dicit enim uas electionis: "
Quid autem habes quod non accepisti? si accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Et in sancto Euangelio Præcursoris dominici uox est: *Non potest homo accipere quicquam, nisi datum ei fuerit de cœlo*. Iacobus quoq; Apostolus protestatur: *Quia omne datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est descendēs à patre luminum*. Quod est autē magis donū perfectum, quàm glorificatio futura sanctorū? Nunc enim diuinorum munerū (ut ita dicam) nondum est perfecta perfectio, utpote, ubi omnis perfectus perfectionis est indignus. Nanque ille, qui dixit: *Quotquot ergo perfecti sumus, hoc sentiamus*. Idem dicit: *Non quod iam acceperim, aut iam perfectus sim*. Fuit ergo perfectus spe futuræ glorificationis: fuit autem imperfectus onere corruptionis & mortalitatis. Corpus enim quod corrumpitur aggrauat animam, & de-

1. Cor. 4. Ioan. 3. Iac. 1. Phil. 3.

& deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Fuit perfectus expectatione muneris, fuit imperfectus fatigatione certaminis. Fuit pfectus quòd mente seruiebat legi Dei, fuit imperfectus quod carne seruiebat legi peccati. Fuit perfectus desiderium habens dissolui & esse cum Christo: fuit autem imperfectus, quia quamdiu fuit in corpore, peregrinabatur à Domino. Fuit perfectus, plenissimè sciens: quia Deus, quæcunque promisit, potens est facere: fuit autē imperfectus, quia Deus in sanctis suis quædam nondum fecit ex omnibus quæ promisit. Propter quod e-
Hebr. 11. tiam omnes antiqui iusti (sicut idem Apostolus dicit) testimonio fidei comprobati, non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis melius prouidente: ne sine nobis perficerentur. Sicut ergò præcedentes sancti, testimonio fidei comprobati, non sunt sine subsequentium perfectione perfecti, sic subsequentes sancti non possunt sine præcedentibus perfici. Donum itaq; perfectum tūc omni-

omnibus dabitur, quando ſanctis æterna glorificatio tribuetur. Tunc ſicut Veritas dicit: *Iuſti fulgebũt ſicut ſol in regno Patris ſui.* Matth. 13. Illius eſt igitur etiam hoc donum perfectum, à quo eſt doni totius initium: Quod utiq; donum non diceretur, ſi non etiam hoc ex gratia donaretur. Vnus autem Deus eſt, qui gratis, & uocat prædeſtinatos, & iuſtificat uocatos, & glorificat iuſtificatos. Sicut autem non eſt aliud iuſtificare, niſi iuſtos facere, ſic non eſt aliud glorificare, niſi glorioſos facere. Proinde, quia Deus ſuos & iuſtificat & glorificat, ſicut gratiæ ipſius opus eſt, cùm facit iuſtos, ſic gratiæ ipſius opus erit, cùm faciet glorioſos. Quia ſicut nemo poteſt habere ueram iuſtitiam, niſi fuerit iuſtificatus, ſic nemo poteſt habere ueram gloriam, niſi fuerit glorificatus. Vnde autem ſit uera gloria, Saluator noſter, cùm Iudæos increparet, oſtendit, dicens: *Quomodo poteſtis uos credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam, quæ à ſolo Deo eſt, nõ quæritis?* Ioan. 5.

Hunc sensum habens Paulus (& ueraciter dicẽs: *Nos autem sensum Christi habemus*) sicut gloriam ueram à Deo esse nouerat, ita iustitiam ueram ex Deo esse confirmat, dicens: *Vt inueniar in illo, non habens meam iustitiam, quæ ex lege est, sed illam, quæ ex fide est Christi, quæ ex Deo est iustitia in fide.* Et quamuis abundent plurima documenta, quibus clareat, non solùm bonæ uoluntatis, bonæq; operationis gratiam, sed etiam ipsam sanctorum glorificationem diuinitùs & inchoari prorsus & perfici, tamen arbitror etiam hæc, quę à nobis posita sunt, utcunq; sufficere. Et ideò iam, (ut libelli series tẽperetur) malorũ quoq; uolũtatem, operationem, ac retributionem considerare debemus.

1. Cor. 2.

Philip. 3.

Deum improbos ad peccandum neutiquam prædestinasse.

Vt agnoscamus, utrum malos Deus iustus ad hoc prædestinauerit faciendũ, quod in eis puniturus est factum: an idcirco iniquos ad supplicium iustè prædestinauerit: quia eorum mala opera, licet futura, præsciret, nõ tamen ipse prædestinauit ut futura essent: quia non ipse

fecit

fecit ut fierent. Itaque si initium peccati requiritur, nihil aliud, nisi superbia, inuenitur. Dicit enim Scriptura: *Initium omnis peccati superbia*. Quæ itaq; tūc initium sumpsit, cùm angelus aduersus Deum elatus, & ipsa elatione prostratus, per concupiscentiam (quæ radix est omnium malorum) uolens usurpare, quod illi datum à Deo non fuit, à Deo discessit, & cecidit, in quo si stetisset, nō cecidisset: sed per concupiscentiam malam, qua concupiuit plus extra se, minus factus est in se. Quam concupiscentiam, licet explere nequiuerit, opere tamen retinuit uoluntatem. Sic ipse sibi iam factus est pœna, ut supplicium semper esset malo uoluntas mala, tanquam cæco ipsa cæcitas sua. Et concupiscentia peccandi tormentum fieret peccatori, & rebellis ac refuga, qui illam imperturbabilem requiem fugeret, deinceps perturbationi seruiret, atq; à bono Domino relinqueretur iustè, quem ipse reliquit iniustè. Ita factum est, ut perseuerans inordinatus ex se ordinaretur in

Eccles. 10.

ſe: & in eo, qui in ſe ordinem perderet, diuini ordinis ratio non periret. Hoc & in homine contigit, quem ipſe diabolus ſerpentina calliditate deiecit. A Domino quippe bono diſſentiẽs, & ſeruo malo conſentiens, malæ uoluntatis effectũ plenum adipiſci nõ potuit: quia ipſa malicia uoluntatis à Deo non fuit. Hanc enim, ſi à Deo non diſcederet, non haberet. Bonus ergo Deus bonarum eſt conditor naturarum. *Vidit enim Deus* (ſicut
Gen. 1. ſcriptum eſt) *omnia quæ fecit, & ecce bona valde.* In quibus omnibus quæ fecit, rationalem creaturam meliorem cæteris fecit. Sic tamen potiori creaturæ magis uoluit ineſſe bonũ, ut etiam infimę creaturæ nullum ineſſet ſubſtantialiter malum. Ac per hoc, ſuperius eſſe infimo bono melius creatum bonum, cui ſummum bonum (quod creatum non eſt, & à quo omne mutabile bonum creatum eſt) iuſtè dominaretur. Cuius etiã participatione beatum eſſet, ſi ſummo bono humili dilectione ſeruiret. Creaturæ quippe rationali alia beatitudo nec

potuit,

potuit, nec poteſt eſſe, nec poterit, niſi ut agnoſcens, à quo non ſolùm facta, ſed etiam à quo rationalis eſt facta, maiorem dilectionem exhibeat bono creatori, quàm ſibi. Neque enim ei ineſſe poſſet ullatenus ratio, niſi ei poſſet creatoris ineſſe dilectio. Quia nec eſt alia, quæ uera ſit ſapientia uel intelligentia creaturæ rationalis, niſi dilectio creatoris: in qua tantò magis minusúe eſt dilectio ſui, quātò magis minusúe dilectionem ſuo exhibet creatori. Voluntas porrò creaturę rationalis, ſine qualicunque amore non poteſt eſſe. Nec ſic poteſt diligere, ut amorem ſuum non uelit ad aliquid religare, quæ inter ſummum bonum, à quo creata eſt, & infimum bonū cui prælata eſt, medio quodam loco poſita, profectò aut in infimo bono neceſſe eſt miſerabiliter iaceat, aut in ſummo bono ueraciter fœliciterq́ requieſcat. Quodam etenim amore rapitur, ſeu cū obedientia ſubleuatur, & creatori bono benè ſubijcitur: ſiue cum ſuperbia deprimitur, ut creaturæ bonæ malè domine-

tur. Sicut enim fit elatione humilis, sic fit humilitate sublimis. Dicit enim Dominus & Magister noster: *Omnis qui se exaltauerit, humiliabitur, & qui se humiliauerit, exaltabitur.* Propter quod item scriptum est: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiã.* Neq; uerò Deus humiles, quibus dat gratiam, ante datã, humiles inuenit, sed dando gratiam humiles facit. Hoc ipsum enim, *gratiam,* Deus per gratiã donat, ut quisquis eam acceperit, humilis fiat. Propter quod ipse unigenitus sanctæ humilitatis doctor atq; largitor dicit: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris.* Hanc requiẽ perdiderunt, qui humilitate reiecta, aduersus uitam suam tumuerũt, & in mortem per superbiam reciderunt. De talibus enim dictum est: *Deiecisti eos, cùm extollerentur.* Talibus autem propterea Deus resistit, quia in eis superbiam ipse non fecit, per quam iniustè malũt in peccatum cadere, & per quam iustè meretur in peccato remanere.

Luc. 14. 1. Pet. 5. Matth. 11. Psalm. 72.

Proin-

Proinde, quia initium malæ uoluntatis ſuperbia eſt, quæ ex Deo non eſt, perſpicuè claret, non ex Deo eſſe hominibus interitum malæ operationis, ſed à iuſto iudice retribui malis interitum ultionis. Mala quippe uoluntas non pertinet ad optimum creatorem: iuſta uerò iniuſti angeli hominiſq; damnatio, pertinet ad æquiſsimum cognitorē. Ad uolūtatem igitur malam Deus hominem non prædeſtinauit: quia homini eam daturus ipſe non fuit. Quomodo enim Deus hominē, quem ad imaginem ſuā fecit prædeſtinaret ad malam uoluntatem, quam ipſe non fecit? Itaque peccare in hoc homo cœpit, in quo à Deo diſceſsit. Scriptum eſt enim: *Quia initium ſuperbiæ apoſtatare à Deo.* Et alio loco: *Ecce omnes, qui ſe elongant à te, peribunt, perdidiſti omnes qui fornicantur abs te.* Iſti ergo, qui ſe elongant & fornicantur à Deo, utiq; peccando pereunt, per ſuam malam uoluntatem, quæ non eſt ex Deo. Perdet autem illos Deus iuſtè iudicando, quod competit Deo. Non

Eccleſ. 10.
Pſal. 73.

enim eos Deus iudicio perderet, nisi per suas iniquitates ipsi perissent. Scriptum est enim: *Defecerunt, perierunt propter iniquitatem SVAM.* Defectus ergo à summo bono ad infimum bonum, hoc est peccatoris proprium & uoluntarium malum, quo malo seipsum perdit iniustus. Et quia huic malo author non est Deus, sed homo peruersus: dignè itaque homini, qui se perdidit peccato, redditur in tormentis æterna perditio: ut pereat quidem, qui perire uoluit, non tamen sic pereat, quẽadmodum uoluit. Qui enim si peribit, delectatione peccatorum illectus, ut si posset fieri, maneret in opere peccati perpetuus, iustè quidem est in perditione peccati dimissus, quo propria cecidit uoluntate: sed non ibi fuit impunè dimittendus, ne Deus fidelis, in quo nõ est iniquitas, qui est iustus & sanctus, si peccatorem semper in peccato relinqueret impunitũ, putaretur illi placere peccatum. Quam sentẽtiam in quibusdam Deus arguit, per Malachiam prophetam,

tam, qui dicunt: *Omnis qui facit malum, bonus est coram Domino, & ipse in eo placuit, & vbi est Deus iustitiæ?* Iustè igitur est subsequuta seueritas iudicis, ubi precessit iniquitas peccatoris: quia illius rei Deus ultor est, cuius author non est, id est, iniquitatis quam potest Deus punire, non facere. Scriptum est enim: *Omnis qui facit peccatum, & iniquitatem facit, & peccatum est iniquitas.* Et: *Scitis, quia ille apparuit, vt peccata tolleret, & peccatum in eo non est. Omnis qui in eo manet, non peccat.* Et iterum: *Deus fidelis, in quo non est iniquitas, iustus & sanctus Dominus.* Iniquitas igitur, quia in Deo non est, utiq; ex Deo non est. Quæ est autem iniquitas, nisi mala concupiscentia? quã ex Deo non esse Ioannes Apostolus manifestat, dicens: *Si quis diligit mundum, nõ est charitas patris in eo: quia omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ, quæ non est ex patre, sed ex mundo est.* Hîc autem mundi nomine homines significat, mũdi istius dilectores, qui non

Mal. 2.

1. Ioan. 3.

Deut. 32.

1. Ioan. 2.

Amor mundi quare vitiosus.

ideò pro dilectione mũdi puniẽdi ſunt, quia aliquam ſubſtantiam malam diligũt, cùm ſubſtantia naturaliter nulla ſit mala: ſed quia dilectionis ordinem non tenentes, dum plus iuſtò diligunt mundum, minùs Deum diligunt, quàm diligere debuerunt. Non autem aliquid inordinatum Deus fecit, nec aliquid inordinatum fieri prædeſtinauit, qui per Apoſtolum ſuum imperat, ut omnia honeſtè & ſecundum ordinem fiant. Propter quod & in ſanctis eloquijs, ut peccatum uitetur, charitas præcipitur. Scriptũ eſt enim: *Ordinauit in me charitatẽ.*

Cant. 2. Huic ordini congratulatur Apoſtolus

Col. 2. dicens: *Nam etſi corpore abſens ſum, ſed ſpiritu vobiſcum ſum, gaudens & videns ordinem veſtrum.* Peccati uerò initium, ſi attendatur, puto, quòd nihil eſt aliud, quàm inordinatarum rerum inordinata rationalis creaturę dilectio, quæ ſponte perdendo dilectionis ordinem, perdidit & ſalutem. Ad hoc non eſt à Deo

Prædeſtinatio. prædeſtinata rationalis creatura. Neque enim alia eſt eius prædeſtinatio, niſi

futu-

futurorum operum eius æterna præparatio. In qua nullius causa mali poterit inueniri, quia ex uoluntate Dei nunquã processit origo peccati. Misericors etenim Dominus & iustus, de quo alio loco scriptum est: *Misericordiam & veritatem diligit Dominus Deus.* In omnibus ergo operibus eius, aut iusta ueritas custoditur, aut pia misericordia prærogatur. *Psal. 84.*

Porrò autem, cùm negare non possimus, à Deo bono factum hominem bonum, si dixerimus eum à Deo prædestinatum ad opus aliquod malũ, nos Deo misericordi & iusto tale opus (quod absit) adscribimus, ubi nec misericors possit inueniri, nec iustus. Si enim, cũ à Deo fieret homo, sic erat in præsenti opere Dei bonus, in prędestinatione eius esset malus, proculdubio Dei opere malus futurus erat, à quo ad peccandum prædestinatus fiebat. Vbi statim illa consequetur absurditas, ut dicat̃, quid Deus (de quo Propheta dicit) *qui fecit quæ futura sunt*, in se habuerit (quod absit) ini- *Argumentũ ab absurdo.* *Iesa. 9.*

quita-

quitatis originem, si hominē à se factū ipse prædestinauerat peccatorem. Prædestinatio enim eius, præparatio est operum eius. Et sicut competit Deo bono, ut causa sit totius operis boni, sic incongruum est, ut imputetur causa cuiuslibet operis mali.

Nullam esse rationem cur quidam à Deo ad peccata prædestinati dicātur.

Deinde attendamus, quia nulla ratio redditur, qua homo ad peccatum prædestinatus à Deo credatur. Si enim in his, quos Deus & pater Domini nostri Iesu Christi benedixit in omni benedictione spirituali in cœlestib. in Christo Iesu, sicut elegit eos in ipso ante mundi cōstitutionem, ut essent sancti & immaculati in conspectu eius in charitate, qui prædestinauit eos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum: Si ergo in his causa prædestinationis queratur, non utiq; alia, sed sola gratuita Dei misericordia reperitur. Ipse est enim de quo dicit Psalmus: *Misericors & miserator Dominus, longanimis & multæ misericordiæ, non in finem irascetur, neq; in æternum indignabitur. Non secundùm peccata*

Psal. 103.

cata nostra fecit nobis, neq; secundùm iniquitates nostras retribuit nobis. Quia secundùm altitudinem cæli à terra elongauit iniquitates nostras à nobis. Sicut miseretur pater filijs, ita misertus est Dominus timentibus eum. In his omnibus tot ac talibus bonis, quæ Dominus retribuit malis, quid aliud quàm indebita misericordia canitur? quidúe aliud quàm gratuita pietas prædicatur? Nam & in eo, quod non secundùm peccata nostra fecit nobis, neq; secundùm iniquitates nostras retribuit nobis, gratuita manifestatur iustificatio impiorũ. Et in eo, quòd sicut miseretur pater filijs, ita misertus est Dominus timentibus eum, gratuita claret per eandem fidei iustificationem adoptio filiorum. Neq; enim, sicut pater filijs, misereretur, nisi nobis gratia pater factus, nos sibi filios facere dignaretur. *Quotquot enim receperunt eum, dedit* Ioan. 1.
eis potestatem filios Dei fieri. Hæc est in sanctis causa prædestinationis diuinæ, preparatio scilicet iustificationis & adoptionis indebitę, quam quia non merebatur

batur uoluntas hominis mala, non est eius causa, nisi sola Dei uoluntas bona. In his autem, qui putantur prędestinati, non ad luenda supplicia, sed ad perpetranda peccata, cùm causa prædestinationis quæritur, non inuenio, quid respondere posset, quisquis hanc asserere meditatur. Nunquid enim, sicut rectè dicimus, ad hoc prædestinatos sanctos, ut Deo in eis misericorditer operāte, ex malis fierent boni, & ex impijs iusti, qđ cùm dicimus, ad Dei gloriam dicimus: Nunquid sic, rectè dicere poterimus, ad hoc prædestinatos iniquos, ut Deo in eis, etsi non misericorditer, saltem iustè operante, ex bonis fierent mali, aut ex iustis fierent impij? Absit hoc à nobis atq; ab omnibus Christianis, ut causam cuiuslibet peccati quisquam deputare diuinæ audeat æquitati: cũ nec malitiæ nec impietatis cuiusquā causa esse posśit, nisi in eo, qui malus atq; impius fuerit. Vt ergo ex malis fiant homines boni, & ex impijs iusti, laudāda est Dei misericordia: ut autem ex bonis fiant homines

mines mali, aut ex iustis iniqui, si diuinę prædestinationis asseritur causa, erit (qđ absit) uituperāda iustitia. Quinimo nec iustitia iusta dicetur, si puniēdum reum non inuenisse, sed fecisse dicatur. Maior uerò erit iniustitia, si lapso Deus retribuit pœnā, quem stantem prædestinasse dicitur ad ruinam.

Quęro autem, cur primum hominem quem (sicut scriptum est) fecit Dominus rectū, prædestinare potuerit ad peccandum, id est, ad uoluntatem malam, quæ est totius origo peccati, quam utiq; aut retribuisse Deum nondum peccanti homini, aut retribuisse credendum est peccatori? Hanc itaq; si nondum peccanti homini tribuit, ipse (quod absit) author iniquitatis extitit, qui malam uoluntatē dedit homini bono, per quam peccans, æterno meretur puniri supplicio. Et ubi est, *quia Deus mortem non fecit?* Et, *quia non est iniquitas apud Deum?* Et, *quia iustus Dominus, & iustitiam dilexit, æquitatem vidit vultus eius?* Si autem malæ uoluntatis initium peccatori homini non tribuit,

Dilemma.

Sap. 1.
2. Par. 19.
Psal. 10.

tribuit, ſed retribuit Deus, ut ab homine credatur cœpiſſe peccatum: à Deo autẽ tanquam à iuſto iudice redditum malæ uoluntatis initium dicatur: quod peccatum homo facere potuit, in quo uoluntas mala non fuit? cùm nullus fructus iniquitatis exoriri poſsit, niſi quem radix uoluntatis malæ protulerit. *De corde enim* (ſicut Veritas ait) *exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemiæ.*
Matth. 15.
Hæc ſunt quæ coinquinant hominem. Propter quod Deus ipſe per Hieremiã ſic humanæ maliciam uoluntatis obiurgat, ut eam à ſe alienam eſſe perdoceat. Dicit enim: *Ego te plantaui vineam fructiferam quomodo conuerſa es in amaritudinem vitis alienæ?* Alienam utique à ſe uitem dicit, non uitio diuinæ conditionis, ſed auerſione propriæ uoluntatis, quæ iuſtè culpatur, pro eo quòd amaritudinem protulit, quã in ea Deus ipſo non fecit. Quoniam ipſam amaritudinem nec ex Dei prædeſtinatione, nec ex Dei opere, ſed ex malicia ſuæ uoluntatis
Ier. 2.

luntatis habuit. Pro qua amaritudine sic eam Deus per supra memoratū Prophetam denuò increpat: *Scito, quàm malum est tibi & amarum, reliquisse Dominum Deum tuū, & non esse timorem meū apud te.* (Ibid.) Cùm ergo hoc sit homini malum & amarum, reliquisse Dominū, & timorem Dei apud eum non esse: quis ita sit contrarius ueritati, ut putet à bono ac suaui Deo (de quo scriptum est: *Quàm bonus Deus Israël rectis corde*: Et, (Psal. 73.) *qa nemo bonus nisi solus Deus*: &, de quo (Matth. 19.) Apostolus dicit: *Vt ostendat in sæculis superuenientibus abundantes diuitias gratiæ suæ in bonitate super nos*: Et, de cuius (Eph. 2.) suauitate canitur: *Gustate et videte quàm suauis est Dominus* Et, de cuius eloquijs (Psal. 34.) denuo prædicatur: *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel & fauum ori meo.* Et rursus: *Iudicia Dei vera, iustificata in semetipsis, desiderabilia super aurum & lapidem preciosum multum, & dulciora super mel & fauum.*) Quis ergo putet, à bono ac suaui Deo, prędestinatum hominem aut ad malitiam uoluntatis, (Psal. 118.)

qua bonum Deum relinqueret, aut ad amaritudinem cõtumaciæ, qua suauem dominum non timeret?

Connectio sententiæ Prædestinatiorum.

Proinde fidelibus congruit credere & fateri, Deum bonum & iustum, præscisse quidẽ peccaturos homines: quia nihil eum latere potuit futurorum, (neque enim uel futura essent, si in eius pręscientia non fuissent) non tamen prædestinasse quemlibet hominem ad peccatum: quia si ad peccatum aliquod hominem Deus prædestinaret, pro peccatis hominem non puniret: Dei enim prædestinatione aut peccatorum præparata est pia remissio, aut peccatorum iusta punitio. Nunquam igitur Deus ad hoc hominem potuit prædestinare, quod ipse disposuerat & præcepto prohibere, & misericordia diluere, & iustitia punire. Iniquos itaque quos præsciuit Deus hanc uitã in peccato terminaturos, prædestinauit supplicio interminabili puniendos, in quo sicut culpanda non est præscientia humanę iniquitatis: ita prędestinatio iustissimę laudanda est ultionis,

nis,ut agnoſceret non ab eo prędeſtinatum hominem ad qualecunq; peccatũ, quem prædeſtinauit peccati meritò puniendum. Deus itaq; omnia hominum opera,ſiue bona ſeu mala pręſciuit:quia eum latere nihil potuit. Sed ſola bona prædeſtinauit, quæ ſe in filijs gratiæ facturum eſſe præſciuit: mala uerò futura opera illorum,quos non prædeſtinauit ad regnum, ſed ad interitum præſciuit, potentiſsima deitate, & ordinauit prouida bonitate. Et qa præſcius fuit,quòd eadem mala, nõ ſolùm ipſe facturus nõ eſſet,ſed nec homo, in quãtum ei humiliter adhæſiſſet: in eo nobis inſuperabilem potentiam præſcientiæ ſuæ magis oſtendit: quia nec in malis prædeſtinationem iuſtitiæ ſuæ uacare permiſit. Oſtenſurus itaq; Deus, quid reddendum præſciuerit & quid donãdum,prędeſtinauit illos ad ſupplicium,quos à ſe præſciuit uoluntatis malę uitio diſceſſuros: & prædeſtinauit ad regnum, quos ad ſe præſciuit miſericordiæ præuenientis auxilio redituros,et in ſe,miſericordię ſub- *Concluſiò.*

ſequentis auxilio, eſſe manſuros. In iſtis miſericordiã cuſtodiens, in illis iuſtitiã tenens. Iſtis quod promiſit piè tribuẽs: illis nihilominus quod prædixit iuſtè tribuens. Sic autẽ Deus nõ omnia promiſit quæ prædixit, quamuis prædixerit omnia quæ promiſit: ſicut nõ omnia prædeſtinauit quæ præſciuit, quamuis omnia prædeſtinauit quæ præſciuerit. Præſciuit enim uoluntates hominũ bonas & malas, prædeſtinauit autem non malas, ſed ſolas bonas. Et licet in eius prædeſtinatione non fuerit, ut malitiam uoluntati humanæ dediſſet: fuit tamen in eius prædeſtinatione, quod humanæ uoluntatis malitiæ reddidiſſet. Propter hoc quia ſicut Pſalmiſta teſtatur, miſericors eſt Dominus & iuſtus, prędeſtinauit iuſtos ad gloriam, iniquos ad pœnã. Iuſtificandis ergo atq; glorificãdis prædeſtinatum miſericordiæ ſuæ opus prędixit pariter & promiſit. Iniquis aũt prędeſtinatum iuſtitiæ ſuæ opus prædixit tantummodo, non promiſit.

Præſcientiã Dei cũ prædeſtinatione non eſſe reciprocam.

Quod ſi quis quærat, cur Deus omnia

Obiectionis diſcuſsio.

nia quidem prædestinata prędixerit, nõ tamen omnia prædestinata promiserit? Respondemus, promissionem dici non posse, nisi cùm aliquid ad hoc prædicitur faciendum, ut posit ei, cui promittitur, prodesse iam factum. Et promissum semper esse doni, non semper esse iudicij: cùm promissi largitas semper lætificet, iudicij uerò seueritas aliquãdo contristet. Quod Propheta metuens, huiuscemodi ad Deum orationem effundit: *Ne intres in iudicio cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens.* Psal. 142. Sciebat enim cunctos pari retinendos punitionis uinculo, nisi Deus, in quibus uellet misericordiam fecisse, superexaltaret iudicio. Iustificatio igitur & glorificatio, quæ non est homini ex homine, sed ex Deo: quia multùm sanctis fuerat profutura, ideò prædicta est & promissa. Punitio uerò, quæ in æternum fuit impijs obfutura, prædicta est tantummodo, non promissa. Quod etiam diuinis testimonijs faciliùs ostenditur. In illo quippe Prophetæ loco u-

trunque pariter inuenitur expressum, ubi Deus per Esaiam eos qui sibi non seruiunt his arguit uerbis: *Ecce qui seruiunt mihi manducabunt, vos verò esurietis. Ecce qui seruiunt mihi bibent, vos verò sitietis. Ecce qui seruiunt mihi lætabuntur, vos verò confundemini. Ecce qui seruiunt mihi exultabunt in lætitia: vos autem clamabitis propter dolorem cordis vestri, & à contritione spiritus vlulabitis.* In his omnibus, quęcunque ad iniquorum personam pertinent, prædicta sunt tantummodo, non promissa. Neque enim dicendum est, bonitatis largitate promissum, quod intendat iniquitatis merito seueritas inferendum. Si qua uerò ad personam seruientium Deo pertinent, & prædicta sunt & promissa. Tale aliquid etiam in illo Saluatoris nostri sermone, quo ait: *Tunc illi ibunt in combustionem æternam, iusti autem in vitam æternam.* Prædixit & promisit præmium, quo fruentur iusti, nō autem promisit, sed prædixit supplicium, quo punientur iniusti.

Iesa. 65.

Matth. 24.

Neque uerò, sicut prędestinauit sanctos

ad

ad iustitiam accipiendam, sic prædestinauit iniquos ad eandem iustitiã amittendam: quia misericors Dominus & iustus, potuit gratis à prauitate liberare quem uoluit, prauitatis autem operator nunquam fuit: quia prauus nunquam aliquis fuit, nisi in quantũ à Deo discessit. Nec discessurum Deus prædestinauit, quamuis discessurũ cognitio diuina præsciuerit. Deus itaq; licet author non sit malarum cogitationum, ordinator tamen est malarum uoluntatum, & de malo opere cuiuslibet mali non desinit ipse bonum operari. Nec in ipsis iniustę uoluntatis operibus deserit operum suorũ iustum ordinem: quia & hoc in ipso ordine habet, quòd malã iustè deserit uoluntatem. Quam tamen sic in suis malis operibus, à se discedentem deserit, ut ibi permittentis Dei operatio bona nõ desit, dum & in peccantis uoluntate iniusta implet ipse iustitiam, & de malo, quo peccantem iudicat, quibus ipse uult beneficium prętogat. In sanctis igitur perfectus est Dominus, quod, ut essent bo-

Non auctor, sed ordinator mali Deus.

ni, gratis dedit. Quod autem daturum se præsciuit, in æterna bonitatis dispositione prædestinauit. Ipsa est enim prædestinatio Dei, sempiterna scilicet dispositio futuri operis Dei.

NB. *Reprobos propria malitia peccantes, ad interitum destinatos esse.*

Porrò autem in iniquis puniturus est, quod ut essent mali non dedit, nec eos ad iniquitatem aliquam prædestinauit: quia ut iniquè uellent, hoc eis daturus ipse non fuit. Et quia malæ uoluntatis perseuerans iniquitas inulta remanere non debuit: tales ad interitum prædestinauit: quia talibus iustę punitionis supplicium præparauit. Quod utique manifesto Dominus ipse sermone perdocuit, in eo, quòd à se ostendit paratum, non solùm regnum, ubi lætentur boni, sed & ignem æternum, ubi crucientur mali. Bonis etenim dicturus est: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratũ est à constitutione mundi.* Malis autem dicturus est: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius.* Ecce ad quod Dominus iniquos & impios prædestinauit, id

Matth. 25.

est,

est, ad supplicium iustũ, non ad aliquod opus iniustum: ad pœnam, non ad culpam: ad punitionem, non ad transgressionem: ad interitum, quem ira iusti iudicis peccantibus reddidit, non ad interitum, quo in se iram Dei peccantiũ iniquitas prouocauit. Quod beati Apostoli prædicatio manifestat, qui malos, quos in ęternum damnaturus est Deus, uasa uocat iræ, non culpæ. Ait enim: *Quod si volens Deus ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ, aptata in interitum, vt ostẽderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriã.* Quęso Monime charissime, ut hunc Apostoli locum diligenter attendas. Notum nanque est, iram Dei dici non posse, nisi ubi creditur hominis iniquitas præcessisse. Neque enim Deus aut ignarus esse potuit, aut iniustus, q posset aut peccantis hominis culpam non agnoscere, aut non peccanti iudiciũ punitionis inferre. Nam & ipse beatus Paulus in iniquitate hominis, iustitiam Dei prędicat

Reprobi vasa iræ non culpæ dicuntur.

Rom. 9.

commendari, ut ostendat, non iniustè i-
Rom. 3. ram omnipotentis inferri. Ait nanque: *Si autem iniquitas nostra iustitiam Dei commendat, quid dicemus, nunquid iniquus Deus, qui infert iram? Secundùm hominẽ dico: Absit. Alioquin, quomodo iudicauit Deus mundum?* Non itaque frustra talis est ab eo facta inter puniendos glorificandosque discretio, ut illos uocaret uasa iræ, istos autem uasa misericordiæ, nisi ut ostenderet, tàm in uasis irę, quàm in uasis misericordiæ, iniquitatem propriã præcessisse. Talis est Dominus uerus, cui, ut gratuita sit misericordia, & ira non sit iniusta. Ac per hoc, & illos indignos pręueniat bonitate, quos iustificat: & illos dignos inueniat punitione, quos damnat. Ac sic appareat, & in uasi misericordiæ, non ex ipsis, sed ex Deo esse, quòd boni sunt, & in uasis iræ, non ex Deo, sed ex ipsis esse, quòd mali sunt. Posset enim Apostolus quos dixit uasa misericordiæ, potiùs uasa iustitiæ nũcupare. Sed si uasa iustitię uocarentur, forsitan ex seipsis habere iustitiã putarent.

Nunc

Nunc autem cùm uasa misericordiæ dicit, proculdubio quid ipsi fuerint nõ tacuit: quia quid eis à Deo collatum sit, euidẽter ostendit. Si enim per seipsos essent iusti, mercedẽ eis Dominus pro operibus suis redderet, nõ misericordiam prærogaret: Sicut idem Apostolus alio loco dicit: *Ei autem qui operatur, merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum.* Vasa itaq; misericordiæ ad indebitam sunt gloriam præparata: quia gratis sunt misericordiam consecuta. De quibus etiã ipse beatus Apostolus se esse testatur, dicens: *Qui priùs fui blasphemus & persecutor, & contumeliosus, sed misericordiam consecutus sum: quia ignorans feci in incredulitate.* Hoc est opus Dei in uasis misericordiæ, ut blasphemis & persecutoribus & contumeliosis, non debitus redderetur interitus, sed misericordiæ donaretur gratuitum munus. Vasis uerò iræ nunquam Deus redderet interitum, si non spontaneum inueniretur homo habere peccatum: quia nec Deus peccãti homini iu-

Rom. 4.

1. Tim. 1.

ſtè inferret iram,ſi homo ex prædeſtinatione Dei cecidiſſet in culpam.Sed quia cauſam iniquitatis ſuæ ex propria homo habuit uoluntate, propterea beatus Paulus ſuſtinuiſſe aſſerit Deum in multa patientia uaſa iræ aptata interitum. *Rom.9.* Hæc igitur ira,ideò talibus uaſis interitum reddidit: quia in eis meritum uoluntariæ iniquitatis inuenit. Quando autem peccanti ſeruo iram iuſtus Dominus intuliſſet, ſi ſeruus ex Domini prædeſtinatione peccaſſet? In hoc itaq; iſta uaſa Deus aptauit,in quod prædeſtinauit, hoc eſt, in interitum: illum utiq; interitum,quem Paulus malis repente superuenturum denunciat,dicens: *Cùm enim dixerint pax & ſecuritas, tunc repentinus eis ſuperueniet interitus.* *1.Theſſ.5.* Quòd ſi Deus tales in peccatum prædeſtinaret, nõ eos Apoſtolus uaſa iræ mallet nominare,ſed culpę:nec in interitum talia uaſa,ſed in peccatũ dicerentur aptata.Nũc autem ideò uaſa iræ dicuntur, ut oſtendatur, in talibus ex Dei prædeſtinatione non hoc eſſe,quod eſt malè ab eis admiſſum,

Cur iræ non culpæ vaſa, reprobi.

miſſum,

missum, sed quod est talibus benè redditum. Benè quippe malis interitus à Deo redditur, quamuis sit malus interitus eis: qui nunc iustè deserũtur, & postmodum iustè torquebuntur. In talibus «
enim Deus iudicium suum desertione «
inchoat, cruciatione consummat. Nam «
& hoc tempore, quo discedentes malos deserit Deus, non operatur in eis, quod ei displicet: sed operatur per eos quod ei placet, postmodũ eis redditurus, qđ ab eius iustitia merentur. Recipient enim non pro eo, quod Deus benè usus est eorũ operibus malis: sed ꝓ eo quod ipsi malè abusi sunt Dei operibus bonis. Tales itaq; Deus aptauit in interitum punitionis, quem peccatori iustus iudex prædestinatione iusta decreuit: non in peccatum, quod homo non ex prædestinatione diuina, sed ex uoluntate sua, malè cõcupiscendo cœpit, & malè operando perfecit. Concupiscentia enim concipiens peperit peccatum, peccatum uerò consummatum genuit mortem. Non ergo iniqui prædestinati sunt «

ad

„ ad mortem animæ primam, ſed prædeſtinati ſunt ad ſecundam, id eſt, ad ſtagnum ignis & ſulphuris: De quo beatus Ioannes dicit: *Et diabolus, qui ſeducebat eos miſſus eſt in ſtagnum ignis & ſulphuris.* Et alio loco: *Et mors & infernus miſſi ſunt in ſtagnum ignis. Hæc mors ſecunda eſt ſtagnum ignis. Et qui non eſt inuentus in libro vitæ ſcriptus, miſſus eſt in ſtagnum ignis.* Rurſus dicit: *Dubijs autem & infidelibus contaminatis, & homicidis, & impudicis, & veneficis, & Idolis ſeruientibus, & omnibus mendacibus, pars eorum in ſtagno ardēti & ſulphure, quod eſt mors ſecunda.* Illam ſecundam nuncupat mortem, quæ ſequitur ex ſententia iuſti iudicis, non illam, quæ præceſsit in mala concupiſcentia peccatoris. Qua morte Saluator quoſdā mortuos aſſerebat, dicens: *Dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos.* Et Apoſtolus de uidua: *Quæ autem in delicijs, eſt viuēs, mortua eſt.* Ad Epheſios quoque ſic loquitur: *Et vos cùm eſſetis mortui delictis & peccatis veſtris, in quibus aliquando ambulaſtis, ſecundùm ſeculum*

Apoc. 20.
Luc. 9.
1. Tim. 5.
Eph. 2.

lum mundi huius, secundum principem potestatis aëris huius spiritus, qui nunc operatur in filijs diffidentiæ, in quibus & nos omnes aliquando conuersati sumus, in desiderijs carnis nostræ, facientes volũtatem carnis & cogitationum, eramus natura filij iræ, sicut & cæteri. Deus autem, qui diues est in misericordia, propter nimiã charitatem suam, qui dilexit nos, & cùm essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos Christo. De hac morte, qua homo est mortuus in peccatis, dicit Deus: *Nolo mortem morientis, sed vt reuertatur à via sua mala, & viuat anima eius.* Quomodo autem ad mortem peccati prædestinasse Deus hominem creditur, quam se ipse nolle testatur? Mors ergo ista morientis, uia sua mala est: quę qa mala, Deo ignota. Scriptum namq; est: *Vias enim quæ à dextris sunt, nouit Dominus: peruersæ autem sunt, quæ à sinistris sunt.* Vias ergo, quas Deus fecit, nouit, quas non fecit, perdit: quia eas non nouit. Vnde scriptum est: *Nouit Dominus viam iustorum & iter impiorũ peribit.* Ille igitur, qui scit

Ezech. 18.

Via mala quomodo Deo ignota.

Prou. 4.

Psal. 1.

omnia antequam fiant, & cuius oculi in omni loco ſpeculantur bonos & malos, cuius etiam uultus ſuper facientes mala, ut perdet de terra memoriam eorum, ideò uiam malam non nouit, non quia ſcientiam ipſius aliquid in operibus hominum fugit: ſed quia mortem morientis non fecit, qui tamẽ mortem mortuo iuſtè retribuit. Prima igitur mors animæ, quam ſibi homo intulit, ſecundæ mortis eſt cauſa. Et ſecunda mors quam Deus homini reddit, primæ mortis eſt pœna. Et quia iſtam ſibi homo iniuſtus iniuſtè intulit, illam à iuſto iudice iuſtè percepit: ut quia in iſta uolens ſemẽ iniquitatis ſeminat peccator improuidus, in illa metat fructum punitionis inuitus. Qui enim ſeminat in carne ſua, de carne metet corruptionem: qui autem ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet uitam æternam. Sed qui ſeminat in ſpiritu, & de ſpiritu metet uitam æternam (à Deo habet donũ & meſsis & ſeminis: quod Paulo teſte cognouimus, ſic enim ait:
2.Cor.9. *Qui autem dat ſemen ſeminãti, & panem*

ad

ad manducandũ præstabit, & multiplicabit semen vestrũ, & augebit incremẽta frugũ iustitiæ vestræ) qui uerò seminat in carne, & de carne metet corruptionẽ: Ideo nõ lętabitur in messe: quia non Deũ, sed seipsum habuit authorem in semine.

Peccata itaque hominum cũcta quidẽ Deus in peccatorib, pręsciuit futura: & quia ipse nõ ea prædestinauit facienda, iustè prædestinauit iudicio puniẽda. Quod etiam in ipsis dictis S. Augustini, quæ tuæ inseruisti epistolæ, si cõsideres, ꝓfectò cognosces. Qui postquàm dixit: *Hoc ergo bonum, quod est requirere Deum, non erat qui faceret, non erat vsque ad vnum*. Sed in eo genere, quod prædestinatum est ad interitum, statim secutus adiunxit, dicens: *Super hoc enim respexit Dei præscientia, protulitqúe sententiam.* Nempe satis atq; euidenter his dictis ostendit: quia Deus peccata hominũ pręscientia uidit, quibus sententiã prędestinatione dictauit. Quid enim aliud accipere debemus, in hac prolatione sententiæ Dei, nisi paratũ suppliciũ peccatoris?

Iustè autem ad punitionē diuina æquitate prædestinatus, qui peccator est diuina cognitione prescitus: ut pote, qui iniquitatem, ad quam à Deo nō est predestinatus, propria esset uolūtate facturus: ut in quo præsciētia Dei uidebat futurū opus iniustū, huic per prædestinationis sententiam pararet supplicium iustum.

Quamuis igitur tu ipse cæteriq; tui similes, studio legēdi, uel uelocitate intelligendi, ex hoc loco dictorum S. Augustini, quæ in tua epistola posuisti, facillimè cognoscatis, quid catholicus habeat intellectus, de his, quos ad interitū prædestinatos audimus: tamen ne tardiores quiq; hunc tātùm locum minùs sibi putent in hac quæstione sufficere, de alijs quoq; S. Augustini libris quędā inserui, quibus docuit humanę iniquitatis causam solam esse superbiā, nec ad peccandū homines, sed ad damnationē prædestinatos à Deo, qui, ut non adiuuentur à Deo, in ipsis causa est, non in Deo.

Plura ex Augustino testi. In libro itaque secundo, de Baptismo paruulorum, ad Marcellinum scribens, inter

inter alia sic dicit: *Ignorantia igitur & infirmitas vitia sunt, quæ impediunt voluntatem, ne moueatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abstinēdum. Vt autem innotescat, quod latebat, & suaue fiat, quod non delectabat, gratiæ Dei est, qua hominum adiuuat voluntates: qua vt non adiuuentur, in ipsis itidem causa est, non in Deo: siue damnandi prædestinati sint propter iniquitatem superbiæ, siue contra ipsam superbiam iudicandi & erudiendi, si filij sunt misericordiæ.* Hîc statim Sanctus Augustinus testimonium Prophetæ subiunxit, dicens: *Vnde Hieremias, cùm dixisset: Scio Domine, quoniam non est in homine via eius, nec viri est, vt ambulet, & dirigat gressus suos:* continuè subiunxit: *Corripe me Domine, veruntamen in iudicio, & non in furore tuo.* Tanquam diceret: Scio ad corruptionem meā pertinere, quòd minus abs te adiuuor, ut perfectè dirigantur gressus mei: ueruntamen hoc ipsum noli sic mecum agere, tanquam in furore, quo iniquos damnare statuisti, sed tā-

monia sen[illegible] tiam hanc [illegible] confirmant.

Hiere. 18.

quam in iudicio, quo doces tuos non superbire. Vnde alibi dicitur: *Et iudicia*
Psal. 118. *tua adiuuabunt me*. Supra dictum itaque Marcellinum tali doctrina sanctus Augustinus informans, sequitur, & dicit: *Nullius proinde culpæ humanæ in Deum referas causam: vitiorum nanque omnium humanorũ causa superbia est*. In istis sancti Augustini dictis attende quæso mi charissime, primùm, quia ut non homines adiuuentur à Deo, in ipsis causa esse dicitur, nõ in Deo. Deinde, quia propter iniquitatem superbiæ, prædestinati dicuntur damnandi, quod pertinet ad iudicium: non deprauandi, quod pertinet ad peccatum. Tertiò etiam considera, quia nullius culpæ humanæ, in Deũ referendam admonet causam, qua si aliqua peccatoris iniquitas, à Deo prædestinata creditur, ipsius iniquitatis causa in prædestinatione diuina constituatur. Quod quàm sit impium, quamque fidei Christianæ contrarium, nullum puto fugere Christianum. Alio quoque eiusdem libri loco memoratus sanctus Augustinus

nus sic dicit: *Extolli quippè in superbiam propriæ voluntatis est hominum, non operis Dei: neque enim ad hoc eos compellit aut adiuuat Deus.*

Et ut manifestiore dictorum eius indicio nostra fulciatur assertio, aliquid nobis ponendum est de libro, quem scripsit de prædestinatione sanctorum, quo manifestiùs ostendit, sine prędestinatione præscientiam Dei esse posse: prædestinationẽ uerò sine pręscientia esse non posse: & quia Deus præsciuit etiam quę ipse non facit, hoc est, peccata. Suprà memorato igitur libro, hæc est eiusdem beati Augustini sententia: *Prædestinatio est, quæ sine præscientia non potest esse, potest autem esse sine prædestinatione præscientia. Prædestinatione quippè Deus ea præsciuit, quæ fuerat ipse facturus: unde dictum est: Fecit quæ futura sunt. Præscire etiam potens est aũt quæ ipse non facit, sicut quæcũq; peccata. Quia etsi sunt quædã, quæ ita peccata sunt, ut pœnæ sint etiã peccatorũ (unde dictũ est: Tradidit illos Deus in reprobã mentẽ, ut faciã, quæ non conueniunt.)*

niunt.) non ibi peccatū Dei est, sed iudiciū. Puto in his dictis B. Augustini euidenter ostensum, bona opera sua Deū præscisse & prædestinasse, hoc est, siue quæ ad misericordiā, seu quæ ad iustitiā pertinēt: mala uerò opera, hoc est, peccata, præscisse tantum, non etiam prædestinasse: quia ibi non opus Dei esse dicitur, sed iudicium. Ideò in peccato opus Dei non est, quia ut peccatum fieret, prædestinatum ab eo nō est: ideò autem iudicium est, quia inultum non relinquitur, quod sine operāte Deo malus operatur.

Non aūt ignorans, etiā præterito tempore illi luculentissimo S. Augustini operi, quod scripsit de Prædestinatione sanctorū, à quibusdā Gallis obiectum, quòd beatus Augustinus in assertione prædestinationis diuinæ peccatores nō ad solùm prædestinatos diceret iudiciū, sed etiā ad peccatū, cuius dicta, quia ipse celeri præuentus est obitu, Prosper, uir eruditus & sanctus, rectè defendit fideli & copioso sermone. Ex quibus Gallorum capitulis, ut non multa nunc ponamus

mus (ne libellũ iſtũ, quem prolixũ facere diſputandi neceſsitas cogit, prolixiorem uoluntas facere uideatur,) duarũ reſponſionum loca duximus inſerenda. *Obiectiones cõtra Auguſtinũ à Gallis motæ, cũ diſcuſsionib. Proſperi.*

Quartadecima quippè obiectio ſic habetur. Quod qui Euangelicæ prædicationi non credunt, ex Dei prædeſtinatione non credant. Et quod Deus ita definierit, ut quicunq; non credunt, ex ipſius conſtitutione non credant. Huic itaq; prauitati, quæ beati Auguſtini dictis, non ex ueritate, ſed ex liuore obijciebatur, tali Proſper ſermone reſpondit: *Infidelitas non credentium Euangelio, nequaquam ex Dei prædeſtinatione generatur. Bonorum enim Deus author eſt, non malorum. Prædeſtinatio igitur Dei ſemper in bono eſt, aut ad retributionẽ iuſtitiæ, aut ad donationem pertinens gratiæ. Vniuerſæ enim viæ Domini miſericordia & veritas. Proinde infidelitas nõ credentium, non ad conſtitutionem Dei, ſed ad præſciẽtiam referenda eſt. Quæ non ideò neceſsitatem non credendi intulit, quia falli de ea quæ futura erat, infidelitate non potuit.*

Quintadecima etiã obiectio his uerbis inserta est, quòd idem sit præscientia, quod prædestinatio. Cui Prosper sic respondit: *Qui præscientiam Dei in nullo ab ipsius prædestinatione discernit, quod tribuendum est Deo de bonis, hoc ei etiam de malis conatur ascribere. Sed cum bona ad largitorem, cooperatoremq́ eorum, mala autem ad voluntariam rationalis creaturæ nequitiam referenda sint: dubium non est, sine vlla temporali differentia Deum & præscisse simul & prædestinasse, quæ ipso erant authore facienda, vel quæ malis meritis iusto erant iudicio retribuenda: præscisse autem tantummodo, non etiam prædestinasse, quæ non ex ipso erant causam operationis habitura.*


Nos itaque charissime, hæc interim pauca de libris S. Augustini: & de responsionibus Prosperi, ob hoc maluimus huic libello inserere, ut cuncti nouerint, quid debeant de prædestinatione sanctorum impiorumqúe sentire, simulq́; ut appareat eiusdem Beati Augustini dictis tenorem nostræ sententiæ

con-

conuenire. Proinde, quia ſufficienter (ut arbitror) iniquos non ad peccatum, ſed ad ſupplicium prædeſtinatos oſtendimus: huic uolumini iam terminum demus, ut ad aliarum quæſtionum diſputationem attentiùs recenſendam, lectoris renouet ſtudium, temperies diſtincta librorum.

BEATI FVLGENTII, AD MONIMVM, LIBER II.

Complectens trium quæſtionum diſcuſsionem, ſcilicet de oblatione Sacrificij, de miſsione Spiritus ſancti: & de ſupererogatione Apoſtoli Pauli.



SATIS (ut arbitror) *Monime* chariſsime, quæſtionem de diuerſitate prædeſtinationis, iuſtorum ſcilicet & iniquorum (hoc eſt, eorum quos gratuita miſericordia Dei præueniens iuſtificando conuertit, glorifica-

Tranſitio cũ præcedẽtis libri ἀνακεφαλαίωσις.

tura conuersos, & eorum quos iusta Dei seueritas in peccatis derelinquit, punitura damnatos) superior sermo (in quantum Dominus pusillitatem nostrã dignatus est adiuuare) & pertractatam continet & solutam, ita ut plerique, licet in ea soleant non leuiter permoueri, facilè posśint, & diuinorum librorũ testimonijs instrui, & S. August. libris, & Prosperi eruditiśsimi uiri responsionib. informari, in quibus agnoscant prædestinationẽ Dei nihil aliud esse, nisi pręparationẽ operum eius, quæ in æterna sua dispositione, aut misericorditer se facturum præsciuit, aut iustè: & quia in peccatis nec misericordia inuenitur nec iustitia, ideoq; omnem iniquorum malã uoluntatem, qua peccant, pręscitam: nõ tamen esse à Deo prædestinatam, cùm ipsam uoluntatem malam non aliter essent habituri, nisi in eo, quo fuisśẽt à Domino recessuri: nec Deum prędestinasse discesśionem hominis à se, cùm causa ipsius discesśionis sola uoluntaria esset auersio peccatoris. Quæ quia Deũ futu-

ra non latuit, in æterna præſcientia eius præparatam ſibi pœnā iuſtæ retributionis inuenit. Nunc itaq; ad reſiduas quęſtiones, duce Domino, indagandas, noſtræ diſputationis dirigatur intentio.

Dicis à nōnullis te interrogatum, de ſacrificio corporis & ſanguinis Chriſti quod pleriq; ſoli Patri exiſtimāt immolari. Hāc etiā aſſeris Hęreticorū eſſe quaſi palmarem interrogationem. Sed nouum non eſt, ut Hęretici, priuati lumine ueritatis, illis ſe propoſitionibus ueritatem ſuperaturos arbitrentur, quibus facillimè ſuperantur. Gloria nanq; in confuſionem ipſorum eſt, qui terrena ſapiunt. Hoc ergo ſectantes hęretici, ea ſibi, quaſi palmaria & inuicta uidentur proponere, unde ſibi confuſionem non uident imminere. Sed cùm à ueritate ſuperantur, hoc in illis utiq; impletur, ut unde gloriantur, inde confundantur. Non eſt igitur mirum, ſi illi, quos malitia ſua (ſicut ſcriptum eſt) excęcatos, ueritas ipſa (quę lux eſt uera) deſeruit, quorumq; ſqualentem peruerſi cordis obtutum

Prima quæſtio de Chriſtianorum ſacrificio.

tetri

tetri erroris obſcuritas circumſepſit, inſeparabilem Trinitatem, quam ſubſtantiali diuerſitate diſparem prædicare non dubitant, conſequenter honorificentiæ quoq; impari officio impiè diſsipare cõtendant. Et quoniã in ipſa ſapientia peccare conuincuntur, ipſius Sapiẽtię in eis ſermo completur, ut dum in ipſa peccãt, in animas ſuas peccatum impietatis admittant. Sic nanque dicit ipſa Sapientia:

Prou. 8. *Qui autem in me peccant, impiè faciunt in animas ſuas. Qui me oderunt, diligũt mortem.* Quomodo enim Dei Filiũ nõ oderũt, quem unigenitũ quidem uerbis negare non poſſunt, ſed eum à natura Patris, incõſiderata peruerſitate diſcernũt? Aut quomodo in animas ſuas impiè nõ faciũt, qui Dei unigenitum Filium, Deũ ſcilicet uerum, nec glorificare cum Patre conſentiunt, nec uno eodemq; ſacrificio pariter honorari permittunt?

Quibus cum Dei adiutorio (in quantum ſeries præſentis operis capit) breuiter reſpondẽtes, hanc interrogationem pręmittimus, ut dicant: Vtrũ eam fidem

Deus suæ donarit ecclesię, qua pater noster Abraham Deo credēs placuit, & in qua cunctas gentes terræ in suo semine benedicendas accepit? An aliam sibi religionis normam diuinitùs profiteātur traditam, ut Patriarcharum & Prophetarum fidem æstiment abdicandam? Et licet ab hac fide (sicut demonstratus est Veritas) omnimodis habeantur extranei: ipsam tamen ecclesiæ datā dicunt, ipsamq́ apud se inuiolatā manere contēdunt. Dum ergo inter nos & illos sacrificij uertitur quæstio, ad illos nobis recurrendū est patres, quos Deus, uelut luminaria in mundo, ad instructionem nostram uerę fidei clarificauit indicio: quorum fidem ita dignatus est à se inspiratam ostendere, ut eorum se Deum inueniatur euidentissimè nominare, dicens: *Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob. Hoc mihi nomen est sempiternum, & memoriale in generationem & generationem.* Cùm itaque nos dicimus, sacrificium non soli patri, sed simul unum patri filioq́ offerri: illi autem patri

Fides nostra quò ad substātiā eadem cum fide Patrum.

Exod. 3.

patri soli existimant immolari: In sacrificio Patriarcharum ueræ ac Deo placitæ quæramus immolationis indicium. Ab illo itaque nobis est documentorum series inchoanda, in cuius inuenitur semine futura cunctarum gentium benedictio repromissa, dicente Paulo:
Gal. 3. *Abrahæ dictæ sunt promissiones & semini eius. Non dicit, seminibus, quasi in multis, sed quasi in vno. Et semini tuo, quod est Christus.* Et iterum: *Vt in gentibus benedictio Abrahæ fieret, in Christo Iesu, vt pollicitationem spiritus accipiamus per fidē.* Sit igitur omninò compertū, illos esse benedictionis diuinæ compotes, & spiritalis gratię participes, quos cōstat fidei Abrahæ in sacrificio reperiri sequaces. In libro
Gen. 12. Genesis legimus: *Visus est Dominus Deus Abrahæ, & dixit ei: Semini tuo dabo terrā istam. Et ædificauit ibi Abraham altare Domino, qui visus est ei, & recessit inde in montem contra orientem Bethel, & ædificauit ibi altare Domino Deo, & inuocauit in nomine Dei, qui visus est.*

Eligant nunc Hęretici quod uolūt, ut

aut

aut patrẽ fateamur Abrahæ uiſum, aut certè cõſentiãt, ab Abrahã filio altare cõſtructũ. Altare uerò nõ ob aliud ædificari, niſi ad offerendũ ſacrificiũ Deo, ueteris Teſtamẽti lectio frequẽter inſinuat. Moyſes quippè de Noë iuſto ſic loquitur: *Et ædificauit Noë altare Deo.* Et tanquam interrogaretur, cuius rei gratia uir iuſtus illud altare cõſtruxerit, ſecutus adiunxit: *Et accepit ab omnibus pecoribus mũdis & ab omnibus volatilibus mundis, et obtulit hoſtiam ſuper altare Deo.* Claret igitur, ſanctũ quoque Abrahã, amicũ Dei fidelẽ, & gentiũ fidelium patrẽ, ob hoc Deo, qui ei uiſus eſt, ædificaſſe altare, ut ei poſſet ſacrificiũ congruæ immolationis offerre. Ne autem, cũ in nomine Domini Dei dicitur inuocaſſe, quiſquã exiſtimet alterũ Deum in nomine Dei alterius inuocatum, cùm non aliud ſit, *inuocaſſe In nomine Domini Dei*, quàm inuocaſſe nomen Domini Dei: ſubſequẽter euidenti manifeſtatione hoc quoque ſcriptura curauit diuina monſtrare. Paulò pòſt enim ſic dicitur: *Abraham autem erat*

Cui Patriarchæ ſacrificarint, eidẽ & Chriſtianos immolare.

Gen. 8.

Gen. 13.

rat onuſtus valde pecoribus, & argento & auro, & abyt illò, vnde venerat, in deſertum vſque Bethel, ad locum vbi fuerat tabernaculum, eius prius, inter Bethel & inter Agge, in locum vbi altare fecerat initio, & inuocauerat ibi Abraham nomen Domini Dei. Cognoſcitur itaque, hoc fuiſſe inuocare in nomine Domini Dei, quòd eſt inuocare nomen Domini Dei. Quocirca dicant Hæretici, utrum patri an filio, Abraham exiſtiment conſtruxiſſe altare? quia, cui altare conſtruxit, ipſius utique nomen inuocauit. Ipſe autem nō niſi Deo, qui ei uiſus eſt, altare conſtruxit, quem Hæretici filium dicere conſueuerunt. Nitentes quippè patris & filij diuerſam docere ſubſtātiam, omnes corporearum rerum conſpicabiles formas (quas ad inſinuandum ſe hominibus omnipotentiſsima deitas, creaturæ totius domina, ſicut uoluit, & congruere temporalibus locis ac perſonis nouerat, coaptauit) filio tantummodo exiſtimant deputandas. Inde aſſerentes, inæqualem patri atque imparem filium

quòd

quòd eius natura capax mutabilium potuerit esse formarum: tanquam eo naturaliter eius diuinitas uisibilis fuerit, quo se ad infirmas hominum mentes uisibilibus rebus demonstrare non spreuit. De qua re non nobis hoc opere disputandum, cùm præsentis quæstionis hoc tantum deposcat intentio: ut quia sanctus Abraham illi Deo sacrificasse cognoscitur, quem ei uisum fuisse diuina Scriptura testatur, aut patrem uisum Abrahæ dicant, aut filio Abraham sacrificasse consentiant. Vtroque enim tanquam bis acuto gladio, nefariæ necessitatis obtrũcatur assertio. Quia, si Deum patrem Abrahę uisum dicunt, ut soli sacrificium asserant immolatum: in eo quod uisus asseritur, non erit tanquam uisibilis pater inuisibili filio præponendus. Si autem filius uisus est, & ei sacrificium sanctus Patriarcha obtulit: non est patri filius in aliquo præponendus. Neque enim illi Abraham sacrificium offerret, si potiorem illo quenquam alium credidisset. Ac sic isti, qui fidem nostram hu-

Patriarchã toti Trinitati sacrificiũ obtulisse.

F ius

ius impulsu quæstionis existimant quatiendam, utrobique necesse est mendacium incredulitatis agnoscant. Et utinam cognoscētes abijciant, & ad ueram fidem (quā inaniter rebelles impugnāt) salubriter, humiles, pacatiq; iam redeant. Abraham enim, qui non alteri Deo, sed ei qui sibi uisus est, altare construxit (ut secundùm id quod sentiunt Hæretici conuincantur) aut Patrem uidit, aut Filio sacrificauit. Hunc Deum, qui uisus est Abrahæ, cuiq; Abraham, non utique ad aliud, quàm ad offerendum sacrificium ædificauit altare, Isaac quoq; uidit, & ei, paternæ fidei tenax, altare construxit. Scriptū est enim de Isaac
Gen. 26. (hoc liber Geneseos cōtinet) *Ascēdit autem inde ad puteū iuramenti, et uisus est ei Dominus in illa nocte, & dixit: ei: Ego sum Deus Abraham patris tui, ne timeas, tecum enim sum, & benedicā te, & multiplicabo semen tuū propter Abraham patrem tuū. Et ædificauit ibi Isaac altare, & inuocauit in nomine Domini.* Proculdubio eius *Domini*, qui ei uisus, præsentiæ suæ auxiliū,

&

& benedictionis donum, & multiplicãdi seminis promisit augmentum: Iacob quoque nõ alteri Deo, sed illi qui uisus est ei, altare fecisse cognoscit: & quod amplius est, nõ hoc sponte arripuit, sed diuinis obediens preceptis impleuit. Quod his uerbis sancta Scriptura testatur: *Dixit autem Deus ad Iacob: Surgẽs ascende in locum Bethel, & inhabita ibi, & fac ibi altare Deo, qui visus est tibi, cũ fugeris à faciẽ Esau fratris tui.* Et subsequenter dicitur: *Venit autem Iacob in Lusa, quæ est in terra Chanaã, quæ est Bethel ipse & omnis plebs quæ erat cum eo, & ædificauit ibi altare, & vocauit nomen loci illius Domus Dei, ibi enim apparuit ei Deus, cùm fugeret à faciẽ fratris sui Esau.* Gen. 35.

Ecce in ore duorũ & triũ testiũ uerbũ fidei nostre cõsistit, ecce amicorũ Dei sacrificio prorsus Ecclesie catholicæ concordat oblatio, que sic sacrificat patri, ut simul omni sacrificet Trinitati. Quoniã „ & sancti Patriarche, sacrificiũ qđ filio iu „ bebãtur offerre, sciebãt se patri simul & „ filio, placitis obsequijs exhibere. Idcirco „

autẽ eis diuinitùs iubebatur, ut filio altare construerent, non quia sacrificandũ non esset patri, sed ut quod immolabatur à sanctis, simul filio immolaretur & patri. Neq; ut præponendus esset patri filius, sed ne putaretur genitori genitus in aliquo postponendus. Proinde, licet nulli dubium sit patriarchalis sacrificij testimonio rectitudinẽ nostræ fidei cõmuniri (cui quandiu obdurato corde quilibet obnitendũ existimat, fide cõsortioq; sanctorum alienus exerrat) possemus & de prophetis testimonia, non imparis firmitatis ac roboris, innectere, nisi totius reddendi memores debiti, ad residuarum etiam quæstionum solutionẽ mallemus quantotius festinare.

Prophetarũ testimonijs Christianorũ sacrificia stabiliri.

Veruntamen, ne sub nomine abũdantię quisquã nos penuriã defensionis existimet obcelasse, unum de prophetis testimonium proferemus, quo posѕit euidẽter ostendi, prophetas sanctos, diuinitùs inspiratos, certo fidelissimoq; uaticinio prædixisse, noui quoq; tẽpore testamenti spiritales hostias, non Patri tantũ,

sed

ſed etiã Filio à fidelibus offerẽdas. Prophetæ teſtimonium de ſacrificio, quod nũc in Eccleſia geritur. Sophonias quippè dicit: *Suſtine me, dicit Dominus, in diẽ* Zoph. 3. *reſurrectionis meæ in teſtimonium, quoniã iudicium meũ in congregationẽ gentium erit, vt recipiã reges, & effundam ſuper eos iram furoris mei: quoniã in igne æmulationis meæ conſummabitur omnis terra: quia tunc transferã ſuper populos linguã in progenies eius, & inuocent omnes nomen Domini, vt ſeruiãt ei ſub iugo vno, à transflumine Aethiopiæ ſuſcipiam obſeruantes me: qui diſperſi ſunt, adferent hoſtias mihi in illo die.* Quid hac, rogo, uaticinatione lucidius? uel quod hîc tenebroſæ obſtinationis latibulum hæretica poteſt infidelitas reperire, quo poſsit lumen tantæ manifeſtationis effugere? Cùm ſic in ſole tabernaculum ſuum poſuerit Dominus, ut non ſit, qui ſe abſcondat à calore eius? Quoniam ſi quis ſe glaciali frigore infidelitatis ſtupefactus abſcondat, ſibi propiciationis poteſt auxilium ſubtrahere, ſe autem non poteſt celare

uindictæ. Ecce ille qui se expectandum in die resurrectionis suæ præcipit, ipse sibi hostias ab omnibus gentibus offerendas ostẽdit, ut agnosceretur sacrificium illud esse acceptabile Deo, quod communiter Patri & Filio supplex offert fidelium puraq́; deuotio.

His atq; huiusmodi testimonijs Hęretici commoniti, utinam non surdis auribus audiant: sed ueritatem fidei, concessa sibi diuinitùs illuminatione, cognoscant, ut recepto salutari lumine, desinãt deinceps in tenebris mortiferæ infidelitatis errare: qui cum Filio sacrificiũ non offerunt, & à fide Patriarcharum ac Prophetarum miserabili obduratione desciscunt, impiè delinquentes, seipsos à semetipsis damnatos ostendunt. Apostolica quippe omnem Hæreticum tali cognoscitur pronunciatione condemnasse sententia: Quòd & Hæreticus post primam correptionem sit omnibus modis euitãdus, eò quòd eiusmodi non solùm sit subuersus, uerumetiam suo sit iudicio condemnatus.

Ad Titum 3.

Si

Si qui uerò Catholici fideles huius Sacramenti nunc usq; uideantur ignari, deinceps scire debent, omne cuiuslibet honorificẽtię & sacrificij salutaris obsequiũ, & Patri & Filio & Spiritui sancto, hoc est, sanctæ Trinitati, ab Ecclesia Catholica pariter exhiberi. In cuius utiq; uno nomine manifestũ est sanctũ quoq; baptisma celebrari. Neq; enim præiudiciũ Filio uel sancto Spiritui cõparatur, dũ ad Patris personam precatio ab offerẽte dirigitur, cuius consummatio, dũ Filij & Spiritus sancti cõplectitur nomen, ostendit nullũ esse in Trinitate discrimẽ. Quia dum ad solius Patris personã honoris sermo dirigitur, benè credentis fide tota Trinitas honoratur. Et cũ ad patrem litantis destinatur intentio, sacrificij munus omni Trinitati uno eodemq; offertur litantis officio. Nos itaq;, dum Trinitati, quę unus & uerus est Deus, unum sacrificium offerimus, uanis Hæreticorum non moueamur obiectis: cùm ad hoc sequendum, ac robustissimè retinendum, & diuinitùs promulgatis in- Conclusio.

ſtruamur oraculis, & præcedentium ſanctorum firmemur exemplis.

Secũda quæſtio: Quamobrem Chriſtiani in ſacrificijs pro miſsione Sp. S. tantũ orẽt.

Iam nũc etiã illa nobis eſt de Spiritus ſancti miſsione quæſtio reuoluẽda: Cur ſcilicet, ſi omni trinitati ſacrificium offertur, ad ſacrificandum oblationis noſtræ munus, ſancti Spiritus tantũ miſsio poſtuletur? Quaſi uerò (ut ita dicã) ipſe pater Deus à quo Spiritus ſanctus procedit, ſacrificium ſibi oblatum ſacrificare nõ poſsit, aut ipſe Filius ſanctificare nequeat ſacrificiũ corporis ſui, quod offerimus nos, cùm corpus ſuũ ipſe ſanctificauerit, quod obtulit, ut redimeret nos: aut ita Spiritus ſanctus ad conſeruandũ eccleſiæ ſacrificiũ mittendus ſit, tanquã pater aut filius ſacrificantibus deſit.

De uoce MISSIONIS *προθεωρία.*

Primò itaque meminiſſe nos conuenit, in huius uocabulo miſsionis, nec inferiorẽ accipi debere ſanctũ Spiritum, nec minorem: quia ſi minor, itaq; inferior: & ſi inferior, utiq; minor. Hoc autem præmonuimus, ſcientes ab hæreticis quammaximè fidei noſtræ frequenter obiectum, ideò Spiritum ſanctũ minorem

rē credendū Patre & Filio: quia & à Patre missus est & à Filio. Porrò aūt, si misso mittens potior est credendus, cognoscāt in hoc suam conuinci perfidiā: qa sicut à Patre & Filio missus legitur Spiritus sanctus, sic à Patre & Spiritu missus inuenitur & Filius. Quod ipse Filius & per Prophetam multò anteꝗ̃ mitteretur dixit, & postꝗ̃ missus est propria testificatione firmauit. Nam ueniēs in Nazareth, & synagogā ingressus, cum tradito sibi ad legendum libro Esaiæ prophetæ, illum locum reuolueret, ubi scriptum est: *Spiritus Domini super me, propter quod vnxit me, euangelizare pauperibus misit me*: Reddito uolumine, ueritatem prophetię illius pręsenti testatus est effectu cōpletam dicens: *Hodie impleta est hæc scriptura in auribus vestris.* Sed & alio eiusdem prophetæ loco à Domino atꝗ ab eius Spiritu se missum his uerbis ostendit: *Et nūc Dominus misit me & Spiritus eius.* A' se quoꝗ sanctū Spiritū mitti discipulis ante passionem hoc modo pronūciat. *Cū autem venerit paracletus,* Ioan. 15.

Luc. 4.

quem ego mittam vobis, Spiritū veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. Superiùs autem eundē Spiritum etiam à Patre mitti docuerat: *Paracletus autem*, inquiens, *Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia.* A' Patre ergo & à Spiritu missus est Filius, & à Patre, & Filio missus est Spiritus: Verūtamē, nec Spiritus sancti missionē localiter factā, quisquā debet Christianus accipere, sed illo missionis nomine opus intelligamus manifestationis indultæ. Sic enim non localiter missus est Filius, nec localiter mittitur Spiritus sanctus, sicut nec ipsius Patris est quóquā localis aduētus: cū tamē Filius dilectoribus suis non tantū suū, sed & Patris promittit aduentū, ait enim: *Si quis diligit me sermonē meū seruabit, et Pater meus diliget eū, & ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* Sicut ergo Pater & Filius nusquam quidem desunt, & tamen ad quem uolunt, ueniūt, (per gratiam enim ueniūt, qui per potētiam nusquam desunt) sic etiā in missione

Ioan. 14.

Missio uel aduētus Dei non fit loci mutatione.

ne uel aduentu Spiritus sancti nullus localis illius accipiẽdus est motus, sed nostræ credendus est sanctificationis effectus. Nam si localiter secundùm deitatẽ missus est Filius, aut localiter mitti putatur Spiritus sanctus, ergo etiã Deus Pater loco (quod absit) credetur inclusus. Et ubi est, quòd immẽsitatem suã Deus ipse taliter nobis insinuat, dicens: *Cælum & terram ego impleo*: Filij quoq; immensitatem Propheticus nobis sermo commendat, de quo S. Hieremias sic loquitur: *Magnus est & non habet finem excelsus & immensus.* Et quia ipse est uirtus & sapientia Dei, de ipso utiq; dicitur: *Attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.* Apostolica quoq; tenemus prædicatione compertum, *quia in Christo cõdita sunt vniuersa in cælis & in terra, visibilia et inuisibilia, siue throni, siue dominationis, siue principatus, siue potestates, omnia per ipsum & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant.* Quid ergo est, quod implere sua præsentia nequeat, in quo Aposto-

Ierem. 23.

Sap. 8.

Col. 1.

postolus uniuersa in cœlis & in terra, uisibilia & inuisibilia constare pronũciat: Sancti quoq; spiritus immẽsitatem Scri
Sap. 1. ptura sic loquitur: *Spiritus Domini repleuit orbem terrarũ.* Propter quod & Dauid sanctę Trinitatis unam substantialiter immensitatem non solùm corde credens ad iustitiã, quinetiam ore confitẽs
Psal. 139. ad salutem, sic cecinit: *Quò ibo à Spiritu tuo, & à facie tua quò fugiam? si ascendero in cœlum, tu illic es, et si descendero in infernum, ades. Et si assumpsero pẽnas meas ante lucem, et habitauero in nouissimo maris, etenim illuc manus tua deducet me, et tenebit me dextra tua.* Cùm ergo, sicut diximus, tota Trinitas unitate deitatis suæ naturaliter immẽsa infinitaq; ꝑmaneat, & sic localiter nusq̃ sit, ut tamen nusquã desit, atq; ita sit ubiq; tota, ut nec per partes creaturæ totius particulariter diuidi, nec uniuersitate totius posſit creaturæ concludi, quotiens Spiritus sanctus ad cõsecrandum sacrificium à patre poscitur, prima est fidei ratio, primaq; cunctis Christianis salubriter retinenda cau-
tela,

tela, ut sancti Spiritus nullatenus localis cogitetur aut existimetur aduentus. Fidelibus quippè dicit Apostolus: *Nescitis, quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis?* Et alio loco: *Orantes omni tẽpore in Spiritu, et in ipso vigilantes.* Et ipse Saluator discipulis suis dicit: *Si diligitis me, mandata mea seruate, & ego rogabo Patrẽ, & alium paracletũ dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum: Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia nõ videt eũ, nec scit eũ: vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit.* Vnde & Paulus eundẽ nos Spiritum adoptionis accepisse se p̃dicat: *Non enim accepistis spiritũ seruitutis iterũ in timore, sed accepistis spiritũ adoptiõis filiorũ, in quo clamamus: Abba pater.*

1.Cor.3. Col.4. Ioan.14. Rom.8.

Fidelibus itaque, qui templum Dei sunt, & in quib. Spiritus Dei inhabitat, imò qui templum sunt Spiritus sancti (sicut Apostolus dicit: *Nescitis, quia membra vestra templum est Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo?* Quibus etiam idem Apostolus mãdat, ut in ipso 1.Cor.6.

orent,

orēt, atq; in ipſo uigilēt) quomodo Spiritus ſanctus, tanquam antè abſens mitti creditur? cùm nec orare cōdignè ac uigilare aliquis poſsit, niſi ſe illi Spiritus ſanctus infuderit? Quocirca, ſicut dicit Apoſtolus: *Spiritalibus, ſpiritalia cōparātes*, & in ſpiritu, qui utiq; naturaliter Deus eſt, nihil corporale, nihil locale, nihil temporale, nihil mutabile cogitātes, cōſiderare debemus, nomine Spiritus ſancti nonnunquam dona ſpiritalis gratiæ nuncupari. Nam legimus in libro Regum: Cùm eſſet Helias diuino munere transferendus, & diſcipulo, priuſquam tolleretur, dediſſet fiduciam poſtulandi quod uellet: ille ſpiritū quem Helias acceperat, duplicē ſibi poſtulauit attribui. Vbi utiq; intelligimus, Spiritus nomine donum ſpiritalis gratiæ deſignari. Neq; enim ſubſtātia Spiritus ſancti poteſt uel augeri uel minui, q ſicut eſt ſine initio & ſine termino ſempiternus, ſic eſt ſine augmento detrimentoq; perfectus. Cuius tamen dona ſecundùm ipſius inperſcrutabilem atq; irreprehenſibilem uoluntatem,

1.Cor. 2.

Sp. Sancti nomine nonnūquam dona eius intelligi.

4.Reg. 2.

tem, ſicut in hominibus poſſe augeri credimus, ſic in eis poſſe minui non negamus. Nam cũ dona ſunt Spiritus ſancti, charitas, gaudium, pax, longanimitas, bonitas, benignitas, fides, modeſtia, continentia, & cùm alij detur per Spiritum ſermo ſapientiæ, alij autem ſermo ſcientię ſecundùm eundem Spiritum, alteri fides in eodem Spiritu: hæc tamẽ omnia poſſunt in hominibus & augeri & minui. Vnde eſt illud, quod ipſi Apoſtoli augmẽtum fidei ſibi à Domino poſtũlant condonari, dicentes: *Domine auge nobis fidem.* In charitate quoq; nos creſcere ipſe beatus demõſtrat Apoſtolus, qui ait: *Veritatem autem facientes, in charitate creſcamus in illo per omnia.* Quomodo autem in charitate creſcimus, niſi cùm per dona gratiæ ſpiritalis crementum accipimus charitatis? *Charitas enim Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.* Hoc ſentitur & de cęteris ſpiritalibus donis, quæ pro uniuſcuiuſque captu, uel augeri uel minui dicuntur in nobis. Quoniam

Luc. 17.

Eph. 4.

Rom. 5.

niam taliũ crementa detrimẽtaq́ charismatũ secundùm id dicuntur, quòd quibusdam seu plus seu minus insunt. Non quòd in se uel augeri uel minui possunt. Nam & sol tantus est cũ uidetur ab oculis sanis, quãtus cũ uidetur à saucijs, nec ipse minuitur, cùm minus ab oculis turbatis ꝑcipitur, nec augetur, cũ ampliùs oculis sanis infunditur. Quia diuersitas illa uisionis, non ex diuersitate solis euenit, sed in diuersitate sanitatis infirmitatisq́ cõsistit. Et quamuis unũ minùs, alterũ magis illuminet: ipse tamen unũ atq; idẽ in se lumẽ habet, quod unus minus, alter amplius uidet. Sic etiã Spiritu sancto, in se sine augmẽto ac detrimẽto immutabiliter permanente, duplicem sibi Heliseus spiritum poposcit, in eo, quòd augmentũ spiritalis gratiæ postulauit.

Quæstionis propositæ explicatio.

Cùm ergo Sancti spiritus, ad sanctificandum totius ecclesiæ sacrificium, postulatur aduentus, nihil aliud postulari mihi uidetur, nisi ut per gratiã spiritalẽ in corpore Christi (qđ est Ecclesia) charitatis unitas iugiter indisrupta seruetur.

Hæc

Hæc eſt enim principale Spiritus ſancti donum, ſine qua quiſquis linguis hominum angelorumq; loquitur, uelut æs ſonans, aut cymbalum tinniẽs, ſonum dare poteſt: uitam habere non poteſt. Et ſi habeat omnem prophetiam, & nouerit myſteria omnia, & omnem ſcientiam, et ſi habeat omnem fidem, ita ut montes transferat, charitatem autẽ non habeat, nihil eſt. Et ſi diſtribuerit in cibos pauperum omnes facultates ſuas, & tradiderit corpus ſuum ut ardeat, charitatem autem nõ habeat, nihil ei prodeſt. Nam quia legem, dicit Apoſtolus, ordinatam per angelos in manu mediatoris, * linguis loquuti ſunt angelorũ, qui in ore, quæ legis ſunt docebant, & aduerſus legem prauis operib. militabant. De quibus ipſe Saluator dicit: *Quæ dicunt, facite, quæ autem faciunt, facere nolite: dicunt enim & non faciunt.* Saul quoq; prophetiam habuit, & Simon magus credidit, & baptiſmi ſacramentum accepit. Nam & dæmones, dum credunt & contremiſcunt uidẽtur habere fidem, ſed nihil eis

1. Cor. 13.

Gal. 3.

*

Matth. 23.

prodeſt, quia non habent charitatem. Multi etiam facultates ſuas pauperibus erogantes, quia non curauerunt acquirendę charitatis ſtudium impendere, res quidem ſuas donauerũt: quod ideò nihil eis profuit, quia ſeipſos perdiderunt non acquirendo charitatẽ, quam acquirere debuerunt.

His igitur demonſtratur indicijs, ibi eſſe Spiritum ſanctum, ubi eſt finis præcepti, hoc eſt, charitas de puro corde, & conſcientia bona, ex fide non ficta. Vbi autem cum fide charitas non eſt, quæcunq; dona Spiritus ſancti eſſe poſſe, ipſum uerò Spiritum ſanctum eſſe non poſſe, ac per hoc, nihil prodeſſe illorum donorum largitatẽ, ubi ſic aliquod donum ſpiritus habetur, ut ipſe ſpiritus nõ habeat̃. Proinde tales, etſi uidẽtur quorumlibet paternorum donorum participes, non tamen ſunt hęreditatis paternæ cõſortes: quoniam Spiritus ſanctus

Ephes. 1. eſt pignus hæreditatis noſtræ: *Et in hoc nos Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti benedixit in omni benedictione ſpiritali, in*

li, in cœlestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso, ante mundi constitutionem, vt essemus sancti et immaculati in cõspectu ipsius in charitate. Dum itaque ecclesia Spiritum sanctum sibi cælitùs postulat mitti, donũ sibi charitatis & unanimitatis postulat à Deo conferri.

Quando autem congruentius quàm ad consecrandum sacrificium corporis Christi, sancta ecclesia (quæ corpus est Christi) Spiritus sancti deposcat aduentum? quæ ipsum caput suum secundùm carnem de Spiritu sancto nouerit natũ. Sic enim angelico Maria informatur eloquio: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoq; quod nascetur ex te sanctum vocabitur Filius Dei.* Euangelista quoq; Matthæus, eodẽ Spiritu sancto repletus, affirmat: *Quia cùm desponsata esset mater eius Maria Ioseph, priusquam conuenirent, inuenta est, in vtero habens de Spiritu sancto.* Et ad Ioseph sic memorat angelum in somnis dixisse: *Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam. Quod*

Luc. 1.

Matth. 1.

Ibid.

enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Quid uerò est illius incarnationis dominicæ mysterio factum, nisi ut diuisa unirentur, & discordantia pacarentur? Testis est enim Paulus de Christo: *Quia ipse est pax nostra, qui fecit vtraq; vnum, & medium parietem maceriæ soluens, inimicitias in carne sua, legem mandatorum decretis euacuās, vt duos condat in semetipsum in vnum nouum hominem, faciens pacem: vt reconciliet ambos in vno corpore Deo, per crucem interficiens inimicitias in semetipso: & veniens, euangelizauit pacē, his qui longè, & pacem his qui propè. Quia in ipso habemus ambo accessum in vno spiritu ad Patrem.* Hoc ergo factum est charitate diuina, ut ex ipso spiritu corpus illius capitis esset renatum, de quo ipsum caput est natum. Et ob hoc necessarium nobis est, ut sicut ex Spiritu sancto natus est Christus, quando Deus unigenitus in utero uirginis unitus homini suo, tanquam sponsus procesșit de thalamo suo: sic ecclesia dono Spiritus sancti adhæreat Christo tanquā mulier uiro suo, &

Eph. 2.

& tanquam corpus capiti ſuo. Dicit e-
nim Apoſtolus: *Quia Chriſtus caput eſt* Eph. 5.
eccleſiæ, ipſe ſaluator corporis. Et iterum:
*Quia membra ſumus corporis eius, de car-
ne eius, & de oſsibus eius, propter hoc relin-
quet homo patrem & matrem ſuā, & ad-
hærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne v-
na.* Quod exponens adiecit: *Sacramen-
tum hoc magnum eſt. Ego autem dico in
Chriſto & in Eccleſia.* Hoc teſtimonium
ueteris Teſtamēti, cū Dominus aduer-
ſus Phariſæorum tentamenta proferret,
ſecutus adiunxit: *Igitur iam nō ſunt duo,* Matth. 19.
*ſed vna caro. Quod ergo Deus iūxit, homo
non ſeparet.* Vt ergo in illo ſancto cōnu-
bio, quod factū eſt in thalamo uteri uir-
ginalis, iam nō eſſent duo, ſed una caro,
ſpiritali gratia factum eſt. Hoc etiam ut
indiſruptum iugiter teneatur, ſpiritalis
gratia operatur. Quia ut capiti ſuo inhæ
reat hæc unitas corporis, & ut ſciēs, quia
omnes qui ſe elongant ab ipſo, peribūt,
& quia perdet omnes qui fornicātur ab
eo, poſsit ipſa caſtè ac ſuauiter dicere:
Mihi autem adhærere Deo bonum eſt. Et Pſal. 72.

Psal. 63. rurſus: *Adhæſit anima mea poſt te*. Illa charitas Dei facit, quæ diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritũ ſanctũ, qui datus eſt nobis. Per hunc Spiritum ſanctũ tanta eſt unitas Chriſti & eccleſiæ: Et cũ
Eph. 5. electionis uas dicat: *Quia Chriſtus caput eſt corporis eccleſiæ*: ipſum tamen corpus Chriſti non dubitet Chriſtum ueraciter appellare. Deniq; ſic ait ad Corinthios
1. Cor. 12. ſcribens: *Sicut enim corpus vnum eſt, & membra habet multa, omnia autem membra corporis cùm ſint multa, vnum eſt corpus, ita & Chriſtus*. Et ut oſtenderet, quia hoc corpus, quod ſic eſt Chriſti, ut Chriſtus ſit, cùm multa membra habeat, non niſi gratia ſancti Spiritus unum permaneat atq; conſiſtat, ſequitur ſtatim, dicẽs:
Ibid. *Etenim in vno ſpiritu omnes nos in vnum corpus baptizati ſumus, ſiue Iudæi, ſiue gentiles, ſiue ſerui, ſiue liberi. Et omnes vnum ſpiritum potauimus*. Ipſa ergo gratia ſpiritalis per unitatem pacis & charitatem corpus Chriſti per dies ſingulos ædificare nõ deſinit, quæ in utero Mariæ uirginis donum ſapientiæ, quod eſt caput

huius corporis, fabricauit. Vnde nos quoq; in ipso ædificari beatus Apostolus his uerbis ostendit: *Ergo iam non estis hospites & aduenæ, sed estis ciues sanctorũ & domestici Dei, superædificati supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu: in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino, in quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in spiritu.* Hanc ædificationem, qua in spiritu ædificamur, alio loco non ob aliud fieri testatur Apostolus, nisi ad consummationem sanctorum in opus ministerij, in ædificationẽ corporis Christi. Vbi unitatem eiusdem ædificationis spiritalis, quæ in charitate cõstat, insinuans ait: *Donec occurramus omnes in vnitatem fidei & agnitionis Filij Dei, in virum perfectum, in mensurã ætatis plenitudinis Christi, vt iam non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia ad circũuentionem erroris. Veritatem autẽ facientes, in charitate crescamus in illo per omnia,*

Eph. 2.

Eph. 4.

Ibid.

nia, qui eſt caput Chriſtus, ex quo totum corpus compactum & connexum per omnẽ iuncturam ſubminiſtrationis, ſecũdùm operationem in menſuram vniuſcuiuſq; mẽbri, augmentum corporis facit in ædificationem ſui in charitate?

Hæc itaq; ſpiritalis ædificatio corporis Chriſti, quæ fit in charitate (cùm ſcilicet ſecũdùm beati Petri ſermonem: *lapides viui ædificantur in domum ſpiritalem, in ſacerdotium ſanctum, offerentes ſpiritales hoſtias, acceptabiles Deo per Ieſum Chriſtũ.*) Hæc inquã, ædificatio ſpiritalis, nunquã opportuniùs petitur, quàm cùm ab ipſo Chriſti corpore (quod eſt eccleſia) in ſacramento panis & calicis ipſum Chriſti corpus & ſanguis offertur. Calix enim quem bibimus, cõmunicatio ſanguinis Chriſti eſt, & panis quem frangimus, participatio corporis Domini eſt. Quoniam unus panis, unũ corpus multi ſumus, omneſq; de uno pane participamur. Et propterea petimus, ut ſcilicet ea gratia, qua factum eſt, ut eccleſia Chriſti corpus fieret, eadem gratia

1. Pet. 2. *Charitatis donum ritè petimus cœnam Domini celebraturi.*

1. Cor. 11.

gratia fiat, ut omnia membra charitatis manente compage, in unitate corporis perseuerent. Hoc autem dignè petimus illius in nobis dono spiritus fieri, qui est unus spiritus & Patris & Filij. Quia sancta naturalis unitas & ęqualitas & charitas Trinitatis, quæ unus, solus, & uerus est Deus, unanimitate sanctificat, quos adoptat. In illa quippe una substantia Trinitatis, unitas est in origine ęqualitas in prole: in charitate autem unitatis æqualitatisq; communio: Nulla est diuisio illius unitatis, nulla diuersitas illius æqualitatis, nullum fastidiũ illius charitatis. Ibi enim nihil discrepat: quia æqualitas chara & una, & unitas æqualis atq; una, naturaliter & incõmutabiliter perseuerat. Quia igitur ex ipsa (si dicendum est) communione Spiritus sancti, charitas una demonstratur Patris & Filij (quã communionẽ beatus Apostolus tali sermone commendat: *Gratia Domini nostri Iesu Christi, & charitas Dei & communicatio Spiritus sancti sit cum omnibus vobis*. Et alio loco: *Si quod solatium* 2. Cor. 13. Phil. 2.

charitatis, si qua communicatio spiritus)
Rom. 5. propter hoc dicitur: *Quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctũ, qui datus est nobis*. Spiritus quippè sanctus, q unus est Patris & Filij, hoc operatur in his, quibus gratiam tribuit adoptionis diuinæ, quod operatus est etiam in illis, qui in libro Actuum Apostolorum inueniũtur eundem spiritum
Act. 4. accepisse: de quibus dicitur: *Multitudinis autem credentium erat cor & anima vna*. Vnum enim cor & animam fecerat multitudinis credentiũ in Deo, qui Patris & Filij unus est spiritus, & cũ Patre ac Filio unus est Deus. Vnde & Apostolus hanc spiritalem unitatem in uinculo pacis sollicitè dicit esse seruãdam, sic E-
Eph. 4. phesios monens: *Obsecro itaque vos, ego vinctus in Domino, vt dignè ambuletis vocatione qua vocati estis, cum omni humilitate & mansuetudine, cum patientia supportãtes inuicem, in charitate sollicitè seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis, vnum corpus & vnus spiritus*. Hunc spiritum discedendo amittunt, si qui aut

per-

perfidia deprauati, aut ſuperbia inflati, ab unitate corporis eccleſiæ ſegregantur: quod Iudas Apoſtolus ſine hoc ſpiritu euidenter oſtendit, dicens: *Hi ſunt qui ſegregant ſemetipſos animales, ſpiritũ non habentes*. Hi enim, quia animales ſunt, ideò ſpiritum non habent. Propter quod Paulus Apoſtolus dicit: *Animalis homo non percipit quæ ſunt ſpiritus Dei*. 1. Cor. 2. Tales itaque faciles ſunt ad diuiſionem, quia ſpiritum non habent, in quo uno membra Chriſti charam ſeruant ſpiritaliter unitatem. Vnde manifeſtum eſt, apud omnes hereticos Spiritus ſancti gratiam non eſſe, nec eorũ ſacrificia, quãdiu hæretici ſunt, poſſe Deo placere: neq; ſpiritalis gratiæ ſanctificationem ſacrificijs eorum tribui, qui offerũt, ab eccleſiaſtici corporis unitate diſiuncti. Solius enim eccleſiæ Deus delectatur ſacrificijs, quod ſacrificium Deo facit unitas ſpiritalis, ubi & fidei ueritas nullam credit in Trinitate diſtantiam, & pacis tenacitas fraternam ſeruat in charitate concordiam.

Ne

Probat interpretationem suā Patrum auctoritate.

Ne quis autem nos putet, dum ecclesia in sacrificij prece Spiritus sancti deposcit aduentum, incongruè sancti Spiritus uocabulo charitatem intelligere, quæ diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis: commodum duximus, paternis definitionem nostram præmunire sententijs. Sanctus enim Augustinus in libris de baptismo, cùm quæstionem de Hæreticorum receptione sine baptismatis iteratione uersaret, in tertio eiusdem operis libro, inter alia sic dicit: *Spiritus autem sanctus, quòd in sola catholica ecclesia, per manus impositionem dari dicitur, nimirum hoc intelligi maiores nostri voluerunt, quod Apostolus ait: Quoniam charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Ipsa est enim charitas, quam non habent qui ab ecclesiæ catholicæ communione præcisi sunt.* Attende quęso, beatissimū Augustinum in sanctis scripturis diuinis eruditum, quomodo uno in loco, nō solùm sancti Apostoli Pauli, sed etiā sancti

Rom. 5.

cti Iudæ Apostoli sensum, in sancti Spiritus nomine mirabiliter aperuit. Ait enim superiùs: *Spiritus autē sanctus, quòd in sola catholica per manus impositionem dari dicitur, nimirum hoc intelligi Maiores nostri voluerunt, quod Apostolus ait: Quoniam charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* Subsequenter autem etiam, quod Iudas Apostolus in epistola sua posuit, remoto dubitationis ambiguo, sanctus Augustinus exposuit. Iudas enim Apostolus dicit: *Hi sunt qui segregāt semetipsos animales, spiritum non habentes.* Et beatus Augustinus de charitate Dei, quæ diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est, dicit: *Ipsa est enim charitas, quam non habent, qui ab ecclesiæ catholicæ communione præcisi sunt.* An quisquā dicturus est, aliud esse, Spiritum sanctum per manus impositionē redeuntibus hæreticis dari, quàm spiritali sacrificio diuinitùs tribui? Hoc autē qui sentit, aut dicit, profectò nondum intelligit, qualiter semet-

ipsos

ipsos exhibeant hostiam uiuam, sanctã, Deo placentem, si qui schismaticorum & hæreticorum mortiferum relinquentes errorem, ad catholicæ ueritatis redeunt unitatem, ubi offerentes sacrificium Deo spiritum contribulatum, ipsi sunt hostia uiua, sancta, placens Deo. Quia per contritionem humiliati cordis in unitatem membrorum redeunt illius sacerdotis, qui dilexit nos, sicut dicit Apostolus: *Et obtulit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis.* Vt autem redeant: & spiritale sacrificium fiant, charitas Dei facit, quæ diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctũ, qui datus est nobis. Solius itaq; catholicæ ueritatis & communionis sacrificium Deus libenter accipit. Quia dum charitatem suam, per Spiritum sanctum diffusam, in ea custodit, ipsam ecclesiam sibi gratum sacrificium facit, quæ ipsam semper poscit gratiam spiritalis charitatis accipere, per quam se poscit hostiam uiuam, sanctam, Deo placentem, iugiter exhibere.

Eph. 5.

Scri-

Scribis præterea de illo Apoſtoli loco, ubi ait: *De virginibus autem præceptum Domini non habeo, conſilium autem do*. Quod conſilium in epiſtola, quã ad te nuper ſcripſi, ad illud pertinere memoraui, quod duobus denarijs à domino acceptis, fidelis ſtabularius ſupererogauit. Cuius loci ſenſum, licet non ita à ſancto Auguſtino poſitũ aſſeras, alios tamen illuſtres uiros taliter hoc poſuiſſe confirmas. Eſt quidem uerum, quia ſanctus Auguſtinus hoc dixit ab Apoſtolo ſupererogatum, quod cùm ſecundùm præceptum poſſet, ſi uellet, de Euangelio uiuere: maluit tamen non ſolùm ſibi, ſed & his qui cum illo erant proprijs manibus laborare, ſicut Epheſijs ueraciter dixit: *Ipſi ſcitis, quomodo ad ea, quæ mihi opus erant, & his qui mecũ ſunt, miniſtrauerunt manus iſtæ: & omnia oſtendi vobis: quoniam ſic laborantes oportet ſuſcipere infirmos*. Nam & Theſſalonicenſibus ſcribens: *Memores enim eſtis fratres laborem noſtrum & fatigationem, nocte & die operantes, ne quem veſtrûm grauaremus.*

1. Cor. 7. Quæſtio tertia, de ſupererogatione Apoſtoli Pauli, à diuerſis diuerſè interpretata.

Act. 20.

1. Theſſ. 2.

Nam

1.Cor.9. Nam & ad Corinthios hanc dicit mercedem ſuam, ut Euangelium prędicans, ſine ſumptu ponat Euangelium, ut non abutatur poteſtate ſua in Euãgelio. Cũ ergo hoc ſanctus Auguſtinus competenter & congruè poſuiſſet: non tamen incompetens uideri aut incõgruum debet, quòd ſanctus Ambroſius beati Pauli ſupererogationem in ſermonibus atq; epiſtolis eius, uel in nimio labore mentis & corporis collocauit. Sanctus autem Optatus Mileuitanus, in ſexto aduerſus Parmenianum libro, cõſilium de Virginibus Paulum ſupererogaſſe teſtatur, his uerbis: *Virginitas enim voluntatis res eſt non neceßitatis.* Deniq; ſtabularius ille Apoſtolus Paulus, cui confoſſus peccatorũ uulneribus populus commendatus eſt, duos denarios quos erogaſſet acceperat, duo ſcilicet teſtamẽta. Hæc per doctrinam, quaſi ſumptus impendit: Docuit quomodo coniugales Chriſtiani debeant uiuere: de quo cùm quæreretur, quid de uirginibus præciperet, reſpondit: Sibi de uirginibus ni-

1.Cor.7.

hil

hil esse mandatum. Confessus est, se duo testamenta, hoc est, duos denarios erogasse. Explicati erant quodãmodo sumptus, sed qui saucium commendauerat, promiserat se redditurum, quicquid in cura amplius erogasset post impensos duos denarios. Non præcepta, sed consilium erogat Paulus ad uirginitatem. Nec impedimento est uolentibus, nec nolentes impellit aut cogit.

Cùm itaq; hic beati Apostoli locus, tripertito sit modo à tribus (quos nominauimus) uiris sanctis expositus: quisquis unum modum ex his tribus posuerit, à ueritate utiq; non dissentit. Neque enim necesse est, ut quod multipliciter intelligitur, in omnibus scriptis multipliciter inseratur. Nam & ipsi sancti, quorum ministerio Deus scripturarum suarum dignatus est aperire secreta, dixerunt, pleraq; non uno modo tantùm, sed multipliciter, sine offensione duntaxat ueræ fidei, non indecenter intelligi. Sicut ipse beatus Augustinus in mysterio arcæ Noę fecisse cognoscitur aduer-

Quædam in Scripturis multiplicem interpretationem admittere.

ſus Fauſtum. Namq; Manichæo aſſerente, in libris ueteris Teſtamēti, nihil Chriſti in carne uera futuro aduentu prophetice contineri, oſtendens idem beatiſsimus Auguſtinus, noſtram ueterem ſcripturam propheticis de Chriſto ſignificationibus plenam, & ob hoc diuinitùs inſpiratã, ſic inter cætera illud exponit, quòd memorat arcam bicameratam & tricameratam Deus imperat conſtruendam, ut in libro de Ciuitate Dei quintodecimo, duobus alijs modis eiuſdem loci myſticam explanationem, non doctis humanæ ſapientiæ uerbis, ſed uerè (ſicut Apoſtolus dicit) in doctrina ſpiritus, non minùs dulciter, quam mirabiliter explicarit. Quod ut faciliùs agnoſcatur, utriuſque operis, ſicut ab eo poſita ſunt, uerba ſubnectam.

Igitur aduerſus Fauſtum poſuit hæc: *Quòd inferiora Arcæ bicamerata & tricamerata conſtruuntur, ſicut ex omnibus gentibus, vel bipertitã multitudinem congregat Eccleſia, propter circumciſionem & præputium: vel tripertitam, propter tres filios*

lios Noæ, quorũ progenie repletus est orbis: In Quintodecimo autem libro de Ciuitate Dei, memoratæ Arcæ pro loci opportunitate aggressus exponere sacramentum, post aliqua, in hoc quod dicitur bicameratam & tricameratã arcam Noæ debere cõstrui, illius expositionis, quæ in libris aduersus Faustum Manichæum continetur, indidit mentionem, hæc subsequenter adiciens: *Et fieri quidem potest, vt & à nobis quispiam & alius alio exponat hæc aptiùs: dum tamẽ ea quæ dicuntur, ad hanc, de qua loquimur, Dei ciuitatem in hoc sæculo maligno, tanquam in diluuio, peregrinantem, omnia referantur, si ab eius sensu, qui ista conscripsit, non vult longè aberrare, qui exponit.* Exempli gratia: uelut si quispiam, quod hîc scriptum est, *inferiora bicamerata & tricamerata facies eam*, non quod ego in illo opere dixi, uelit intelligi: quia ex omnibus gentibus ecclesia congregatur, bicameratam dictam, propter duo genera hominum, Circuncisionem scilicet & præputiũ, quos Apostolus & alio mo-

do dicit, Iudæos & Græcos: tricameratam uerò, eò quòd omnes gentes de tribus filijs Noæ, post diluuium reparatæ sunt. Sed aliud dicat aliquis, quod à fidei regula non sit alienum. Nam quoniam non solas in inferioribus mansiones habere Arcam uoluit, uerumetiam in superioribus, & hæc dixit bicamerata: & in superioribus superiorum, & hęc appellauit tricamerata, ut ab imo sursum tertia cõsurgeret habitatio. Possunt hîc intelligi & tria illa, quæ commendat
1. Cor. 13. Apostolus, *fides, spes, charitas:* possunt etiam multò cõuenientiùs tres illæ ubertates Euangelicæ, tricena, sexagena, centena, ut in infimo habitet pudicitia coniugalis, supra uidualis, atq; hac superior uirginalis: Et si quid aliud secundùm fidem ciuitatis huius intelligi & dici potest. Hoc etiam de cæteris, quę hîc exponenda sunt, dixerim: quia etsi non uno differuntur modo, ad unam tamen catholicę fidei concordiã reuocanda sunt. Rursus idem beatus Augustinus in lib. 1. de Trinitate, asserit, utile esse plures libros

bros à pluribus fieri diuerso stylo, nō diuersa fide, etiā de quæstionibus eisdem, ut ad plurimos res ipsa perueniat, ad alios sic, ad alios autē sic. Si ergo illa, quæ de arca Noæ beatus Augustinus uno loco duobus posuit modis, à duob. hominibus singula assumpta singulis ponantúr in locis: nónne uterq; dignè tenax pronunciabitur ueritatis? si tamen sic uterq; unum harum suis inditum dictis uideatur adstruere, ut illud, quod aliter in suis dictis ęquè ueritati congruū ponit, magis pacatus approbet, quàm contentiosus impugnet.

Quocirca, charissime, licet ille sensus, qui à me positus est, forsitan in sancti Augustini dictis non inueniatur: in sancti Optati tamen libris (sicut ipse mecū nosti) apertissimè positus inueniē. Nec tuam prudentiam latet, eorū, quæ à sanctis Patribus, qui fidei catholicę rectam in doctrina sancti Spiritus regulam defenderunt, diuersis modis, uel in expositionibus, uel in defensionibus suis inueniuntur posita, quicquid à nobis po-

natur, ita nos illius loci astruere ueritati congruum sensum, ut alijs patrum sententijs æque ueritati congruis, non denegemus assensum. Neq; enim à ueritate receditur, si in hac supererogatione Apostoli, siue quod sanctus Ambrosius, seu quod sanctus Augustinus, siue quod sanctus Optatus senserunt, à nobis quoq; salua ueritate fidei sentiatur. Quoniam si dignè creditur, duobus denarijs acceptis, aliquid supererogasse Paulũ, in eo quod proprij laboris sumptu Euangelium prædicãs, stipendium sibi debitum à fidelibus non exegit: dignè etiam supererogasse aliquid creditur, in eo, quod de Virginibus præceptum Domini non habuit, sed consilium dedit: utrunq; sine dubio illo habens, largiente, à quo nisi accepisset, supererogare non posset.

BEATI

BEATI FVLGENTII, AD MONIMVM, LIBER III.

De uera expositione illius dicti Euangelici: *Et verbum erat apud Deum.*



QVOTIES, dilectissime MONIME, à Christi famulis uirtus consideratur ac perpenditur charitatis, nō minùs inuenitur mirabilis quàm suauis. Quis enim eam non miretur? aut quis non admodum delectetur? cuius sarcina cùm portatur, non fatigatione animum debilitat, sed alacritate cōfortat? Ipsa enim cùm onerat, subleuat, & miro modo, quem onerat, non permittit comprimi: quem subleuat, non sinit extolli. Hæc, me tibi præteritum debitum cum Domini adiutorio persoluentem, rursus efficit debitorem. Iam enim de quatuor quæstionib. quas mihi miseras pertractādas, illo adiuuante,

iuuante, qui ſapientiam præſtat paruulis, duos libros abſolueram, cupiens tibi reddere quòd debeam. Sic repente cuiuſdam aſſertionis Arrianæ meas aures perſtrinxit opinio: quæ tantò magis inutili eſt adinuentione genita, quātò magis reperitur ab omni intellectu, nō ſolùm diuinarum Scripturarum, ſed etiam ipſius humanitatis, externa. Comperi quippe quandam eos de initio Euangelij ſecundùm Ioannem inſolitam nunc ſerere quæſtionem, ut illud quod dictū eſt: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*, ita intelligendum atq; exponendū putent, ut idipſum uerbū apud Patrem eſſe, nō in Patre, ſed extra Patrem eſſe accipiendum exiſtiment. Ita ut quidam eorum (quantum auditu comperi) dum de his duabus præpoſitionibus hoc eſt, *IN* & *APVD*, inter eos oriretur quodam die conflictus, accepto cuiuſdā Birro, & in manibus retēto, interrogaſſet, an in illo eſſet, cùm apud illū eſſet Birrus ille, quē ipſe retineret. Atq; hūc ſuam quaſi ſententiam

Falſa interpretatio dicti Ioan. 1.

tentiam firmaturus, hac sermonem suũ definitione clausisse: *cùm aliquid in nobis esse dicitur, intra nos intelligendũ: dum verò apud nos esse dicitur, extra nos accipiendum.* Et quia Birrus ille, quem ipse retinebat, sic apud illũ esset, ut in illo nõ esset, ac ꝑ hoc ex eo qđ apud illũ esset, nõ tamẽ in illo esset, extra illum nõ intra illum esset: eodẽ modo Verbũ quoq; Dei (quod Deus est) credendũ quidẽ apud Patrem esse, non in Patrẽ esse & ob hoc nec unius esse cũ Patre substãtiæ. Quoniam quicquid sic apud aliquẽ est, ut in illo nõ sit, profectò sic apud illum est, ut unius cũ eo substantiæ esse non posſit. Arriana interpretatio.

Hæc est eorum ratiocinatio rationi contraria: hæc legalis disputatio, legi Dei intolerabiliter inimica. Hinc, dominante Christo, aliquid scribere meus excitatus est animus, ne uirulentis sermonibus paruulorũ perturbetur auditus. Pertinet enim ad nostræ seruitutis officium, aduersus nascentem pestilentiam cuiuslibet opinionis mortiferę, salubria diuinorum eloquiorum remedia præ-

parare. Itaq; cùm sanctus Apostolus sollicitè fideles præmoneat, dicens: *Videte, ne quis vos decipiat per philosophia & inanem fallaciam, secundùm traditionem hominum, secundùm elementa mundi, & nõ secundùm Christum: quia in ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter:* Isti econtrariò, non solùm præterito tempore philosophię mundialis sectantes errorem, secundùm elementa mundi, de Deo existimauerunt disputandũ: sed ita sunt totius nunc religionis obliti, ut cùm de Deo disputant, nec ipsa elemẽta mundi istius corporalis attendũt. Ac sic, dum oculos intelligentiæ etiam cõtra ea, quę uidentur, pertinaciter claudunt, nunquã inuisibilia Dei per ea quę facta sunt, intellecta concipiunt.

Col. 2.

Refutatio falsæ interpretationis dicti Iohannis.

Quid enim potest absurdius dici, ꝙ ut cùm de Deo quis disputat, nõ nisi de crassioribus tantùm corporibus documenta disputationis assumat? Magnum enim quiddam sibi ille uisus est inuenire, cum accepto Birro, & manibus retento, interrogasset: utrum sicut apud illum esset,

esset, ita in illo esset. Exinde docere uolens, quemadmodum Birrum apud hominem, sic esse Filiũ apud Patrẽ: ut quia Birrus apud hominem esse posit, in homine autem esse non posit: ita Filius sit quidem apud Patrem, sed nõ sit in Patre. Rogo, si de corporibus istis contrectabilibus aliquid in exemplum disputans delectabatur adsumere (licet aduersus ueritatem disputandi, elementa quæ à ueritate facta sunt, non possent ullatenus suffragari, tamen ut tolerabile aliquid dicere uideretur, ut de cæteris taceam) quur Birrum, quem manibus tenebat, ostendit, & non saltem flatũ, quẽ naribus carpebat, attendit? Quia si Birrus ille posset dici apud illum esse, & nõ in illo esse: flatus iste tamẽ, quem ex aëre carpimus, cùm eum spirando percipimus, & apud nos est, & in nobis est: & quicquid eius respirando reddimus, cũ reddiderimus nec apud nos, nec in nobis habemus. An fortè dicturus est, aëris istius alimentum, cum spirando accipimus, in nobis tantum esse, non etiam apud

apud nos esse? Dicat ergo quãdo apud nos posſit eſſe, an cùm eum reddimus, & cùm in nobis habemus? Sed hoc puto: quia nec de Birro illo dicere audebit, ſi tamẽ eum illi, à quo acceperat, reddit. Videt enim: quia eum tunc apud ſe habuit, cùm accepit: poſtquam autem reddidit, apud ſe habere iam deſtitit. Sicut enim acceptione factum eſt, ut quod nõ habuit, apud ſe haberet: ita redditione factum eſt, ut quod apud ſe habuit, non haberet. Proinde ſi Birrum dixit, non in ſe eſſe, ſed apud ſe eſſe: hunc tamen flatum, quem de circumfuſo aëre uiciſsim ſumimus & reddimus, mihi uidetur: qa non dicet, nõ eſſe apud hominem, cùm eſt in homine: quia tũc eum homo apud ſe & in ſe habet, cùm eum accipit ſpirando: cùm uerò reſpirando reddit, ſic eum apud ſe non habet, ſicut nec in ſe habet. Fruſtrà igitur in illa diſputatione, de hoc quod dictum eſt: *Verbum erat apud Deum*, aſſerere uoluit, quod in aliquo eſt, eſſe ſemper interius, quod apud aliquem eſt, eſſe ſemper exterius: cùm flatus

tus receptus in corpus, ſic in homine ſit, ut apud hominem ſit: & rurſus è corpore redditus, ita non ſit apud hominem, quemadmodum nō eſt in homine. Minus enim attendit in hoc, quod abſurdo nitebatur aſſerere documēto, quàm grauior eum ſubſequenter abſurditas teneret innexū. Etenim cùm dicitur: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum:* ſi exterius eſt omne quod apud Deum eſt, & interius eſt omne quod in Deo eſt: quid illi diſputatori peritiſsimo reſtat, niſi ut nos potiores filio Dei eſſe contendat? Dicit quippe Apoſtolus, de Deo: *Quia in ipſo viuimus, & mouemur, & ſumus.* Et alio loco: *Vnus Deus pater, ex quo omnia, & nos in ipſo.* Nūc iam quiſquis ille eſt, qui ſub Chriſtiano nomine non metuit aduerſus Chriſtū tam temerè diſputare, cùm audit Verbum eſſe apud Deum, & nos in Deo: ſi audet, dicat, uerbum eſſe exterius, & nos interius. Quod ſi dicendū exiſtimat, ipſe de ſuis dictis iudicium ferat. Neque enim in tali ſermone iudex quæ-

Arrianæ interpretationis abſurdū.

Act. 17.

1. Cor. 8.

quærendus est alius, quando ipse, qui hoc dixit, à seipso sit pfectò culpandus.

Ἀδυνατον aliud.

Rom. 11.

Quid iterum respondebit aduersus illam eiusdem beati Pauli sentētiam, qua dicit de Deo: *Quoniam ex ipso, & per ipsum, et in ipso sunt omnia, ipsi gloria in secula, amen?* Ecce omnia Paulus ex Deo, & per Deũ & in Deo esse testatur. Verbũ uerò apud Deũ esse, Ioannis Euangelistæ prædicatione dignoscitur. Si autem secundùm Arrianorum sensum, omne quod in Deo est, interius est, & omne quod apud Deum est, exterius est, quoniam Arrianis uerbum, quod apud Deum est, non in Deo esse creditur: hoc reliquum est, ut omnibus quæ in Deo sunt, illud quod apud Deũ est, inferius prædicetur. Hoc autem recepto, (quia de uerbo scriptum est: *Omnia per ipsum facta sunt*) ipsa erit secundùm Arrianos rectitudo fidei, ut pręponenda sit factura factori. Quis iam non cernit, in quod pręcipitium improuidi homines cadũt, qui ueræ fidei resistentes perfidiam defensare contendunt? Quid enim aliud talibus

talibus uerbis agitur, nisi ut huius defensione sententiæ, cōditionis suę ac redemptionis oblita, semetipsam Filio Dei, nō solùm æquare, sed & præferre audeat creatura? Miror autem, quomodo non cōsiderant, à quib. illud asseritur, quàm deterior ex eo fructus nefandę blasphemiæ nascatur. Aiūt enim: Quod in Deo est, interius esse credendum: quod autē apud Deum est, exterius æstimandum. Quocirca illud quod apud Deum est, & exterius est, nō est credendum unius cum Deo naturæ. Consequens est, ut illud quod in Deo est, & interius est, unius credatur cum Deo substantiæ. Ad hanc igitur conclusionem ratiocinatio ista perducitur: ut sicut Verbum, pro eo quod apud Deum est, ab eius natura separatur: ita creatura, pro eo quod est in Deo, unius credatur naturæ cum Deo. Vnde conuincuntur illa sentire, quibus nos & filio audeāt præferre, & patri conentur æquare. Sic totum confundunt, qui à ueritate dissentiunt. Ex quibus sententijs error infidelis asseritur.

Ecce quibus adinuentionibus fidei ueritas impugnatur. Sed quibuslibet arietibus ecclesiam sanctã hæretici quatere nitantur, certi sumus de Domino Deo nostro, quoniam ciuitatem supra montem constitutam, subuertere nõ ualebunt. Imò seipsos prorsus subuertunt & exterminant, qui Deum uerum Dei unicum Filium contumeliosis assertionibus exacerbant: nec ab iniuria temperant etiam Patris, dum ingratificentiam reddunt gratię Saluatoris. Quapropter congruum uidetur, ita ex aliis scripturarum locis uerbi huius intelligẽtia requiratur, ut apppareat, utrum quicquid apud aliquem esse dicitur, debeamus secundùm illorum sentẽtiam, semper exterius æstimare. In libro sapientiæ legimus dictum de quibusdam: *Dixerunt apud se cogitantes non rectè.* Huius loci ab Arrianis exigimus rationem, utrum qui apud se cogitat, intra se an extra se cogitet? cùm hominis cogitatio non solùm extra corpus hominis nõ sit, sed ne corporis actio sit. Enimuerò: quia id ipsum, quod

Non quod apud hominem est, semper esse extra eundem.

Sap. 2.

quod cogitatio dicitur, non ſolùm non extra hominem, ſed nec in ipſo corpore hominis inuenitur: quis non uideat, cogitationem ſolius eſſe animę, cui per rationalem uirtutem diuinitùs datum eſt cogitare? In homine quippe cogitando dominatur animus, operãdo autem ſeruitium exhibet corpus. Ibi eſt enim homini data cogitatio, ubi eſt inſerta boni maliq́ diſcretio. Interior igitur homo cogitationis officium gerit, qui etiã intelligendi uirtutem ad imaginem Dei creatus accepit. Cùm ergo apud ſe homo cogitat, non extra ſe, ſed intra ſe cogitat, qui non extra ſe cogitaret, etiam ſi ad exteriorem hominem cogitatio pertineret: quãtò magis intra ſe cogitatur? quandoquidem nõ exterior homo, ſed interior cogitat, qui tamen ſecundũ Scripturæ teſtimonium apud ſe cogitare dicitur, quod utiq́ nõ exterioris, ſed in interioris hominis officio reperitur. Ait enim Scriptura, ſicut ſuprà iã poſitũ eſt: *Dixerũt apud ſe cogitantes nõ rectè.* Quid eſt autem, apud ſe dicere, niſi in corde

ſuo dicere? Propter quod alibi dicitur:
Psal.4. *Quæ dicitis in cordibus veſtris, & in cubilibus veſtris compungimini.* Hoc eſt ergo apud ſe dicere, quod eſt intra ſe dicere. Vnde & Phariſæus ille, qui Dominum popoſcerat ad ueſcendum, cùm ingreſſa mulier peccatrix, lachrymis rigaret & capillis pedes tergeret Saluatoris: quia intra ſe cogitabat, intra ſe utiq; dicebat, quod cogitãdo dicebat. Ait enim Euangeliſta:
Luc.7. *Videns autem Phariſæus, qui vocauerat eum, ait intra ſe, dicens*: Quid eſt enim, ait intra ſe, niſi cogitauit intra ſe? Veruntamen Scriptura docẽte cognoſcimus: quia qui cogitat intra ſe, cogitat apud ſe. Ideò utiq; dicitur: *Dixerunt apud ſe cogitantes non rectè*. Attamen ne hoc, quod dictum eſt, *apud ſe*, non præcedenti ſermoni, ſed ſubſequenti uelint Arriani coniungere, ut non dicatur, *dixerunt, apud ſe*: ſed dicatur, *dixerunt*, & poſtmodum inferatur, *apud ſe cogitãtes*: audiant etiam hinc diuinarum teſtimonia Scripturarum, & cognoſcant officiũ cogitationis humanæ, non ad exteriorem,

tem, ſed ad interiorem hominem pertinere. Euangeliſta dicit: quia cum Domino paralyticus offerretur, *videns Dominus fidem illorum*, qui eum per tegulas ſubmiſerant, dixit: *Confide fili, remittuntur peccata tua. Et ecce quidam de Scribis dixerunt intra ſe: Hic blaſphemat. Et cùm vidiſſet Ieſus cogitationes eorum, dixit: Vt quid cogitatis mala in cordibus veſtris?* Matth. 9.
Quos dixit Euangeliſta intra ſe dixiſſe, ipſos Dominus dicit, in cordibus mala cogitaſſe. Quid eſt autẽ mala in cordibus cogitare, niſi cogitare apud ſe non rectè? Quomodolibet ergo huius loci ſenſum Arriani diſtinguant, ibi neceſſe eſt, confuſionẽ ſuæ prauitatis inueniãt. Et utinam ſic de errore cõfundantur, ut ad ueritatem conuertantur. Si enim dixerint, ſic iſtum Scripturæ uerſiculũ diuidendum, quod ſcriptum eſt, *dixerunt apud ſe, cogitantes non rectè*, ut ipſum, *apud ſe* præcedenti ſermoni iungentes, ſic diſtinguant: *Dixerunt apud ſe*, ut poſtea inferant, *cogitantes non rectè*, Dauidico ſtatim conuincuntur eloquio, nõ aliud

esse, apud se dicere, nisi in corde dicere. Ait enim: *Quæ dicitis in cordibus vestris.* Quod si aliter distinguere uoluerint, ut ipsum, *apud se*, non præcedenti sermoni, sed subsequenti coniungant, ut præmittentes, *dixerunt*, interiecto silẽtio, postmodum inferant illud quod dictum est *apud se cogitantes nõ rectè*, etiam hinc increpationem Saluatoris audiãt, & cordis esse cogitationes agnoscãt: ait enim: *Quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Alio quoq; loco idem Dominus docet:

Matth. 15. *Quia de corde exeunt cogitationes malæ.*

Luc. 6. Et denuò dicit: *Quia bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona, & malus homo de malo thesauro cordis sui profert mala.* Iam ne cognoscunt, in quanto errore uersentur? qui uerbũ apud Deũ nõ interius, sed exterius asserere moliũtur?

Aliud Testimonium. Sap. 4.

Rursus in eodem libro scriptum de sapientia legimus: *Immortalis enim est memoria illius: quoniam & apud Deum nota est, & apud homines.* Quomodo autem apud homines nota est, si non intra homines, sed extra homines est? cùm nisi

in

in animam hominis intrauerit, nota homini esse non poſsit. De ipſa quippe ſic dicitur: *& permanẽs in ſe, omnia innouat, & per nationes in animas ſanctas ſe transfert*. Et non aliud agnoſcatur, in animas ſe transferre, quàm in animas intrare. Rurſus de illa textus Scripturæ ſanctæ ſic memorat hęc: *Populũ iuſtum & ſemen ſine querela liberauit à nationibus, quæ illum comprimebant, intrauit in animã ſerui Domini, & ſtetit cõtra reges horrendos in portentis & ſignis*. Hũc introitũ ſuum, quo in animas intrat, etiã in Apocalypſi Ioannis inſinuat, dicens: *Ecce ſto ad ianuam & pulſo, ſi quis audierit vocem meã, & aperuerit ianuam, introibo ad eum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecũ*. Hoc introitu Pater & Filius ad dilectorem ſuũ ueniunt, & manſionem apud eum faciũt, ſicut ipſe Filius loquitur: *Si quis diligit me, ſermonem meũ ſeruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*. Quòd ſi uenientes Pater & Filius ad eum, apud quẽ manſionem faciunt, nõ interius, ſed exterius

Sap. 7.

Ibid. 10.

Apoc. 3.

Ioan. 14.

terius sunt: dicatur nobis, ubi ad eum ueniant, & mansionem apud eum faciant? Interim, quòd interius in suis fidelibus inhabitet Christus, Paulo prædicāte cognouimus, qui ait: *In interiore homine habitare Christum per fidem in cordibus vestris.* An forsitan dicturi sunt, aliter in interiore homine nostro habitare Christum per fidem, & aliter eum cum Patre uenientem apud dilectorem suum facere māsionem, ut Christus interim solus in interiore homine nostro inhabitare possit: Pater autem exterius remanens, apud quem mansionem facit, nō solùm ipse interius manere nequeat, sed etiam Filium communione aduētus sui, ne in interiore homine habitare possit, impediat? Spiritum quoq; sanctum sic Filius Dei promisit fidelibus suis, ut apud eos maneat, & in ipsis sit. Dicit enim: *Si diligitis me, mandata mea seruate, & ego rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobiscum in æternum: spiritum veritatis, quē mundus non potest accipere: quia nō vidit eum, nec scit eum. Vos aūt cognoscetis eum: quia*

Eph. 3.

Ioan. 14.

quia apud vos manebit, & in vobis erit. Ecce apud quos manet, in eis eſt Spiritus ſanctus. Dicatur, quæ hîc poteſt eſſe diuerſitas in eo, quod apud eos manet, & in eis eſt? Etenim in uno loco utraq; præpoſitio ponitur, & Spiritui ſancto utriuſq; reĩ poſsibilitas aſsignatur, ut apud quos manet, in eis ſit. Ita ne uerò Spiritus ſanctus ſic apud fideles manet, ut in ipſis fidelibus eſſe poſsit: uerbum aũt Deus ſic apud Deum eſt, ut in Deo eſſe non poſsit? Quid dicam his, qui de Scripturis ſic diſputare deſiderãt, ut intelligentię ſpiritalis uiã nullatenus quęrant, & auertẽtes oculos à uero lumine iugiter in tenebris delectentur errare?

Hoc idem quippe eſſe apud Deum, quod eſt eſſe in Deo, ſancta Scriptura alijs quoque locis oſtendit. Dicit enim Moyſes: *Deus fidelis, in quo nõ eſt iniquitas, iuſtus & ſanctus Dominus.* Dauid etiã canit: *Quoniam iuſtus Dominus Deus noſter, & non eſt iniquitas in eo.* Paulus autem Apoſtolus, apud Deum nõ eſſe iniquitatem dicit. Sic enim ait: *Nunquid* *Argumentũ aliud: Eſſe apud Deũ, & eſſe in Deo, æquipollere.* Deut. 32. Rom. 11.

iniquitas apud Deum? absit. Eligant in hoc loco, quod uoluerint Arriani, & ut suam sapientiam euidenter ostendant, de legalibus & propheticis atq; Apostolicis dictis iudicium ferant. Moyses dicit: *Deus fidelis, in quo non est iniquitas.* Dauid quoq; dicit: *Iustus Dominus Deus noster, & nõ est iniquitas in eo.* Paulus uerò dicit: *Nũquid iniquitas apud Deũ? absit.* Aut igitur fateantur Apostolicũ sensum legali propheticoq; sensui cõuenire, aut dicant Apostolum Paulum à legali & prophetica intelligẽtia discrepare. Paulus equidem Apostolus eundem se spiritum fidei habere dicit, quem Dauid beatus habuit, quem etiam Moyses sanctus accepit, sicut ipse testatur dicẽs:
2. Cor. 4. *Habentes autem eundem spiritũ fidei, sicut scriptum est: Credidi, propter quod loquutus sum: Et nos credimus, propter quod loquimur.* Quomodo autem unum spiritũ fidei habuerunt, si de fideli Deo diuersa senserũt? Magna est aũt sentiendi diuersitas, si diuersum est q̊d dicit Paulus: *Non esse iniquitatem apud Deum,* ab

eo

eo quod Moyses & Dauid dicunt: *Non esse iniquitatem in Deo.* Et si dicente Paulo, eundem se habere spiritum fidei, quē & Prophetæ habuerunt, in eorum fide diuersus est sensus, mendax (quod absit) Apostolus pronuncietur, qui in se Christum loqui testatur: *An experimentum,* inquiens, *quæritis eius, qui in me loquitur Christi?* Sed quoniam uerè Christus in Paulo loquutus est, Paulus utiq; mendax non est: & quia cùm eundem spiritum fidei se habere dicit, non mentitur, uterq; sensus cōsonans inuenitur, ut quod Moyses & Dauid dixerūt: *Iniquitatem in Deo non esse,* hoc sit, quod etiam Paulus dicit: *Iniquitatem apud Deū non esse.* Quod si eis forsitan uidetur, ut ex aduerso aliud dicant, hoc eis reliquū est, ut aut prophetis aut Apostolo contradicant. 2.Cor.13.

Et licet tot tantisq; testimonijs confutata Hæreticorum sentētia cognoscatur, nulla ueritate subnixa, respondeant tamen, quid de illo Apostoli Iacobi loco sentiant, ubi dicit: *Omne datum optimum,* *Aliud argumentum.* *Iac.1.*

mum, & omne donum perfectum desursum est, descẽdens à Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Apud quem autem transmutatio non est, profectò mutabilitas non est: & apud quem mutabilitas non est, immutabilitas est. Hæc igitur immutabilitas, quæ apud Deum est, dicant, utrum exterius an interius est? Si enim interius est, ecce hoc est, in Deo esse, quod apud Deum esse. Desinant igitur peruersa sentire, & festinent catholicæ rectitudini consentire. Si autem hæc immutabilitas, quæ apud Deum est, nõ interius esse, sed exterius creditur: profectò in Deo esse nõ creditur. Et si in Deo immutabilitas esse non creditur: consequẽter Deus ipse mutabilis prædicatur: & ne hoc uel in Filio asßignare audiãt, in eodem loco, Patrem luminũ nominatum. Proinde, cùm audimus: quia apud Deum non est transmutatio, hoc sentiamus, secundùm catholicæ fidei ueritatem: quia nulla est in Deo mutatio. Et cùm dicitur: *Verbum erat apud Deum*, nõ aliud

aliud sentiamus, quàm uerbum erat in Deo. Et cum sapientia in Prouerbijs dicit: *Eram apud illũ componens*, non aliud sentiamus, quàm, eram in illo componens. Et cũ Deo dicitur: *Apud te est fons vitæ:* nõ aliud intelligamus, quàm, in te est fons uitæ. Et cùm Ioannes dicit: *Annunciamus vobis vitã æternam, quæ erat apud Patrem, & palàm facta est nobis*: nõ aliud intelligamus, quàm, uitam æternã quæ erat in Patre. Verè enim apud Deũ est Deus uerbum: quia in Deo est Deus uerbum: & uerè apud Deum sapiẽtem est sapientia: quia in sapiente Deo est sapientia: & uerè apud Deum uiuum est uita: quia in Deo uiuo est Deus uita: & uerè apud Deum uerum est Deus ueritas: qa in Deo uero est Deus ueritas: & uerè apud Deum fortẽ est Deus uirtus: quia in Deo forti est Deus uirtus.

Prou. 8.

Psal. 36.

1. Ioan. 1.

Sed quid mirum, si hoc est Filio esse apud Patrem, quod est illi esse in Patre: quia scilicet naturaliter natus de Patre, permanet semper in Patre? cùm etiã de hominibus legamus (quantum ad sub-

A minore.

stantiam

ſtantiam attinet, quà naturaliter homines ſunt) non aliud eſſe, cùm dicitur aliquid apud illos eſſe, quàm in illis eſſe. Vnde teſtimonia manifeſtiſsima proferemus. In libro Eſaiæ continetur Ezechiæ regis oratio, quam poſt adiectos ſibi ad uitam annos quindecim, ad Deũ effudit, ubi inter cætera ſic dicit: *Spiritus meus apud me factus eſt, ſicut lanifica proximans demere telam.* Quid aũt hic aliud intelligitur: *Spiritus meus apud me*, niſi, ſpiritus meus in me? An & hic dicetur, ſpiritum hominis apud hominẽ eſſe, in homine autem non eſſe? Cùm euidenter Apoſtolus dicat: *Quis enim ſcit hominum, quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis qui in ipſo eſt?* Sed & illud, quod ſuprà poſuimus ſcriptum: *Dixerunt apud ſe, cogitantes nõ rectè:* qd eſt aliud, quàm dixerunt intra ſe? Rurſus, in libro Sapientiæ dicitur: *Hæc cogitans apud me, & commemorans in corde meo, quoniam immortalitas eſt in cogitatione ſapientiæ.* Quod apud ſe cogitat, hoc in corde ſuo commemorat: quod utrunq; dum dicit, illam

Eſaia 38.
1. Cor. 2.
Sapient. 8.

illam utique cogitationem, & illam cõmemorationem, non exterius, sed interius sibi inesse monstrauit.

Dicitur etiam in Prouerbijs: *Fili, non te compræhendat cogitatio mala, quæ derelinquit doctrinam adolescentiæ, & testamenti diuini obsita est. Posuit enim apud mortem domũ suam, & apud inferos cum terrigenis axes suos.* Si ergo cogitatio mala, quæ apud mortem posuit domum suam, extra mortem, non in morte profectò uiuit, & si apud inferos posita nõ est inferno: superest, ut illa, quæ nec in morte est, nec in inferno, uitam habere dicatur in cœlo. Ideò enim Deo dicitur: *Quia eripuisti animam meam de morte:* quia animę per fidem uitam donauit, dicens: *Iustus autem meus ex fide viuit:* Et rursus idcirco ipsi dicitur: *Eripuisti animam meam ex inferno inferiori:* quia idcirco animi ab inferno gratia Dei eripiuntur, ut in cœlis conuersentur. Vnde dicit Apostolus: *Nostra autem conuersatio in cœlis est.* Porrò anima, quæ per cogitationem malam apud mortẽ fuit, quo-

Prou. 2. Psal. 85. Aba. 2. Psal. 85. Philip. 3.

quomodo de morte liberata eſt, ſi in morte non fuit: & quomodo ex inferño erepta eſt, ſi apud inferos conſtituta, in inferno non fuit? cùm utiq;, ſi in morte non eſſet, mortua nõ fuiſſet. Per malam autem uoluntatem, hoc eſt, per peccatũ, quis neſciat animam mori? cũ Deus di-
Ezech. 18. cat: *Anima quæ peccauerit, ipſa morietur.* Certum eſt igitur, animã malè cogitantem, cùm apud mortem eſt, in morte eſſe, & cũ apud inferos eſt, in inferno eſſe.
Matth. 19. Quid quod etiam Saluator dicit: *Quæ impoßibilia ſunt apud homines, poßibilia ſunt apud Deũ.* Ergo ne ſic dicemus, omnia Deo poſsibilia eſſe, ut hoc ipſum quidem poſsibile eſſe, ſic dicamus apud Deum eſſe, ut dicamus in Deo non eſſe? Quid autem poſſe apud ſe Deus habet, ſi ipſum poſſe in ſe non habet?
Concluſio. His atque huiuſmodi teſtimonijs clarет, cùm dicitur: *Verbum erat apud Deũ,* non aliud intelligi debere, quàm uerbũ erat in Deo. Nam & ipſe Filius, qui eſt uerbum Deus, non ſolùm Patrem in ſe, ſed etiã ſe in Patre eſſe teſtatur, dicẽs:
Non

Non credis: quia ego in Patre, & Pater in me est? Hoc autem Filij esse apud Patrẽ, & esse in Patre, nõ uideatur tale, quale, siquis homo sit apud aliquem, siue iure hospitali, siue charitatis affectu. Nam & Apostolus Paulus dicit se apud Apostolum Petrum quindecim diebus mansisse, iure scilicet hospitalitatis, & puritate dilectionis, quorũ licet per unitatẽ fidei & charitatis fuerit anima una, & cor unũ, non tamen sic mansit Paulus apud Petrum, sicut uerbũ manet apud Deũ. Quia nec sic potest esse homo apud hominem, sicut uerbum Deus apud Deũ Patrem. Homo enim apud hominẽ sic est, ut non solùm apud eum nõ esse possit, sed etiam, cùm apud eum est, in ipso substantialiter esse nõ posit. Verè enim qui sic apud alium est, extra illum est: quia cùm est apud illum synceritate dilectionis, loco discernitur, quantolibet affectu inuicem sibi uterque iungatur. Sed sic est uerbum apud Deum, sicut est in mente uerbum, sicut in corde consiliũ. Cùm enim mens apud se uerbũ habet,

Ioan. 14.
Esse Filij apud Patrem quomodo accipiendũ.
Gal. 1.

bet,utiꝗ cogitando habet: quia nihil aliud eſt apud ſe dicere,quàm apud ſe cogitare. Cũ ergo mens cogitat,& cogitãdo uerbũ intra ſe generat,de ſua ſubſtantia generat uerbum, & ſic illud uerbum generat de ſe, ut genitũ habeat apud ſe. Nec minus aliquid habet uerbũ, quod ex mẽte naſcitur,quàm eſt mens de qua naſcitur:quia quanta eſt mens quę generat uerbũ, tantum eſt etiã ipſum uerbũ. Sicut enim de tota mente naſcitur uerbum, ſic intra totam permanet natum. Et quia cogitante mente, non eſt eius aliquid,ubi in ea uerbũ non ſit: ideò uerbum tantum eſt, quãta eſt mens ipſa de qua eſt: & cùm apud illam eſt,in illa eſt: & quanta illa eſt,tantum etiam uerbum eſt: quia de tota & in tota eſt: tantumꝗ́ eſt ipſum uerbũ,quanta ſimul eſt & mẽs ipſa cũ uerbo. Neꝗ enim ſic de illa uerbum naſcitur, ut ab ea localiter ſecernatur. Natiuitas quippe illa, quæ oſtendit quid ſit, & de qua ſit,ipſa oſtẽdit, quòd extra eam,de qua natũ eſt, eſſe non poſſit,nec in aliquo minus ſit: ſed ſic de ipſa ſit,

ſit, ut apud ipſam & in ipſa ſit: tantumq́ ſit de illa, quantum in illa: & tantum in illa, quantum cum illa.

Equidem & nos quodammodo dicit Scriptura & in Deo eſſe & apud Deũ eſſe, ſed non quomodo apud Deum eſt & in Deo eſt uerbũ Deus, qui eſt unigenitus Filius. Dicitur enim & nobis: quia in Deo uiuimus & mouemur & ſumus: & dicitur ipſi Deo: ſi nõ peccauerimus, ſcimus, quia apud te ſumus deputati. Veruntamẽ cũ hoc de nobis dicitur, nõ naturalis unitas noſtra cũ Deo oſtenditur, ſed aut potentia creatoris intelligitur, aut pietas redemptoris. Sic enim qui credimus in Deo & apud Deũ ſumus, ſicut de Deo geniti, filij Dei ſumus. Scriptum eſt enim: *Chariſsimi nunc filij Dei ſumus*. Et iterum: *Voluntariè genuit nos verbo veritatis*. Nos ergo Deus uerbo ueritatis genuit, illud autem uerbum ueritatem genuit. Nobis poteſtatem dedit, filios Dei fieri, ille autem non ex poteſtate Filius Dei factus, ſed de Deo naturaliter eſt Dei Filius natus. Nos Deus

Quomodò homines in Deo & apud Deum eſſe dicantur.

1. Ioan. 3.

Iac. 1.

uoluntariè genuit: quia uoluntas generationem præcessit: in unigeniti autem generatione, nulla generantis præcessit uolũtas, ubi sine initio naturali permanet æterna natiuitas. Sicut ergo geniti sumus, sed nõ sicut unigenitus Deus, & filij Dei sumus, sed non sicut unicus & uerus filius, & dij sumus, sed non sicut uerbum, qui uerus est Deus: ita in Deo sumus, & apud Deum sumus, sed nõ sicut apud Deum est & in Deo est uerbũ Deus, q de Deo naturaliter natus. Quãuis enim ille Filius dicatur, & nos filij dicamur, & ille Deus, & nos dij, & ille genitus, & nos geniti: multùm tamẽ distat in re, quod unũ sonare uidetur in nomine. Quoniã ille, quòd Deus, quòd Filius, quòd unigenitus est, naturaliter est, quia de natura Patris natus est: nos aũt, quòd dij, quòd filij, quòd geniti sumus, non natura, sed gratia sumus: quia cũ in natura nõ haberemus, ut hoc esse possemus, gratis nobis datum est, ut hoc facti essemus. Hanc discretionem si hæretici, misericorditer Deo donante, percipiãt,
lumen

lumen uerum uidebunt, & ab unigeniti filij contumelijs temperabunt: cui nõ solùm in eo, quod apud Deum est, detrahunt, sed etiam & animam humanam in illo negare contẽdunt, quos ipse Filius Dei uno psalmi uersiculo designauit, dicens: *Hoc opus eorum qui detrahunt mihi apud Deum, & qui loquuntur mala aduersus animam meam.* Quis enim deterius Christo apud Deũ detrahit, quàm qui audiẽs, uerbum Deũ apud Deum esse, dicit, idem uerbum in Deo nõ esse? aut quis ampliùs mala aduersus Christi animam loquitur, quàm qui in Christo humanam animã diffitetur? cùm illud uerbũ, quod Deus est, sic apud Deũ sit, de quo est, ut per unitatem naturæ in Deo sit, & per eandẽ unitatem naturæ unus cũ illo Deus sit: & illa anima simul cum carne suscepta fuerit ab unigenito Deo, ut simul in Christo & anima nostra saluaretur & caro, à quo proculdubio ille sempiternam consequetur salutem, qui in eo diuinæ humanæq; naturæ plenam cognouerit ueritatem. *Psal. 169.*

LIBER ARRIANORVM CONTRA ORTHODOXOS, DECEM OBIE- ctiones complectens.



DICTVM est, Patrem de seipso, hoc est, de eo quod ipse est, ineffabiliter Filium genuisse. Adauctum est, nō extrinsecus, sed ex Deo natum esse.

I. *Prima obiectio Arriani furoris.* Quid ad hoc dicitur? Si ex Deo natus est, est de intra Deum: sed si non est de intra, nec ex ipso est, si modò uocabula diuersa apponuntur. Quid prodest, si ipsa ueritas non profiteatur?

II. Ista nunquam nos legisse recolimus, quæ superiùs proposita sunt. Quia scriptum est de eo: *Generationem autem eius quis enarrabit?* & quasi nemo, dixit Scriptura, qui enarrat? Aduertendi sunt hi homines, ut dicant se posse nosse: quia inenarrabilis est generatio eius, non autem ignorabilis. *Iesa. 53.*

III. Generationem eius id est rectè profiteri, ut dicit ipse Dominus per Scripturas: *Dominus creauit me initium viarum sua-*

suarũ, ante sæcula fundauit me. Et sequi- Prou. 8.
tur: *Et ante omnes colles genuit me.* Et ite- Ioan. 16.
rũ: *Ego à Patre prodij, & veni in hunc mun*
dum. Et iterũ: *Dominus dixit ad me: Filius* Psal. 2.
meus es tu, ego hodie genui te. Et postquã
cognitus est in carne, ꝓfitetur de eo Euã
gelista, dicẽs: *Et vidimus gloriam eius, tã-* Ioan. 1.
quam vnigeniti à Patre, plenum gratia &
veritate. Et Apostolus ait: *Qui est primo-* Coloss. 1.
genitus totius creaturæ. Ecce creatũ, fun-
datum, & genitum profitemur, sine ali-
qua ambiguitate irrationabili.

IIII. Sed qui præsumunt irrationabiliter dicere, de Patris substãtia natum esse Filiũ, doceãt per Scripturas tamẽ, quomodo nõ sit erroris falsa professio, qui cùm dicit, inenarrabilẽ esse generationẽ eius, asserat eũ de Patris esse natũ substantia.

V. Perturbationes mentium, quæ sine ratione dicuntur, cùm hortantur aduerti, ueritas non uidetur ab eis comprehendi nec profiteri: ob hoc quod absurdum sit dicere uel credere, Patrem & Filiũ ingenitos esse. Qui sibi suadet ista excogitare, ipse se uult fraude decipere,

quam quidem exigit illis hoc dici, qui Patrem & Filium æquales asserunt esse.

VI. Interea dum de lumine dicitur, nõ intelligũt, quod ſcriptum eſt, quia alius eſt Pater luminis, & alius eſt qui lumen eſt appellatus, & lucet in tenebris, & tenebræ eum non cõpræhenderunt. Idcirco debet aduerti, quid lex mandat uel inſtruat mentes hominũ: quia inter illum authorem luminis, & iſtud lumẽ in tenebris lucẽs, quod illuminat omnem hominem ueniẽtem in hunc mundũ, quod per uitã factus eſt Filius, & lux eſt oſtenſus hominum, illo, qui oſtenditur factus non eſſe Pater, æqualis eſſe non poſſe.

VII. Omiſimus ſuperfluas rationes, quæ faſtidiũ facerent auditoribus, & ad hoc reſponſum eſt, ad quod ſententia inquirebat expoſitionem. Et quia inter Patrẽ & Filium diſtantia eſt, & quod dicitur, non eſt, eò quòd inter illos differentia non ſit. Ipſe Saluator dicit, qui credendus eſt: *Alius eſt, qui teſtimonium perhibet de me Pater*. Idem ipſe Filius dicit de Spiritu ſancto: *Et alium paracletum mit-*

Ioan. 5.

Ioan. 14.

tam

tam vobis. Alium dixit Patrem, & aliũ dixit paracletum. Et cùm non aduertũtur diuina iura & sacramẽta, efficiuntur homines paganitatis professores, qui ante aduentum Saluatoris dixerunt ὁμοούσιον, quorum & hæretici facti sunt professores, cùm asserunt, Patrem & Filiũ & Spiritum sanctum, unum esse Deum.

VIII. Scelus & ualde esse blasphemum, aduertant homines, qui salutaria pręcepta cupiunt sectari. Nam falsitas professionis nunquam prodesse eis poterit, qui quærunt iniuriando Deum per blasphemiam colere uel uenerari. Si ab hominibus non toleratur iniuria, ab ipso Domino, auctore, qualiter poterit tolerari? Ostendit enim circa infideles suam obiurgationem, dicendo: *Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me.* Matth. 15.

IX. De generatione aũt eius quod dictũ est: *Ex vtero ante Luciferum genui te:* quis dubitet, de carnali natiuitate fuisse dictũ? cùm ipsa antescriptio ostendat tibi ad intelligendum, cùm dicit Propheta, quòd *in splendoribus sanctorum* ante Lu- Psal. 110.

ciferũ genitus ſit. Et ſplendor ſanctorũ præconium oſtenditur eſſe Prophetarũ, & eorum uaticinatio de eo fuiſſe adimpleta, cũ manifeſtaret ipſam eſſe, & Propheta dicẽdo: *Ex vtero ante Luciferũ genui te*, & ſplendidum contigit, quòd per uirginem naſci eum os Propheticum antea dixit. Quis dubitet hãc natiuitatem ita contigiſſe, ut Scriptura memorat?

Non eſt minimum dedecus, ut fraudibus proprijs decipiatur, malè intelligens animus, ut aliquando duo dicantur eſſe unus, aliquando tres unus? Nunquid nõ occurrat beneficij munus, quando unus non eſt cum duobus deſignatus? Delyrium eſt credere, ex tribus partibus Deũ unum conſtare, cùm adhuc, quod peius eſt, dicitur de eis, quòd ſic credendus eſt unus Deus, cũ non ſit ipſe Pater, qui Filius, nõ ipſe Filius, qui Spiritus ſanctus: De quibus profitentur differẽtias inter ſe habere, honorem uerò unuſquiſque ſuum non poſſe habere, niſi malignum pectus eos in uno Deo inueniatur copulare.

BEA-

BEATI FVLGENTII, LIBER VNVS.

AD DECEM OBIECTIONES *Arrianorum, decem responsiones complectens.*



DICTVM est, Patrem de seipso, hoc est, de eo quod ipse est, ineffabiliter Filiũ genuisse. Adauctum est, non extrinsecus, sed ex Deo natum esse. Hæc responsione non indigent, quia fidei nostræ concordant.

OBIECTIO. I.

Quid ad hoc dicitur? Si ex Deo natus est, est de intra Deum: sed si non est de intra, nec ex ipso est, si modò uocabula diuersa apponũtur. Quid prodest, si ipsa ueritas non profiteatur?

RESPONSIO.

Diuersitas nominum in SS. Triade, personarum non essentiæ diuersitatem innuit.

Equidem, dum nominantur Pater & Filius, in his duobus nominibus, uocabulorũ diuersitas agnoscitur. Quin potiùs per hæc duo diuersa uocabula significatur

ficatur utriusque natura: quoniam istorum nominum diuersitas, non naturas diuidit, sed ueritatem generationis ostẽdit, ut ex uno uero Patre, unum uerum agnoscamus Filiũ extitisse. Ac sic, dum uera Patris generatio, & uera Filij natiuitas prædicatur, in uno genitore, & uno genito, nõ solùm unitas substãtiæ, uerumetiam in unoquoq; proprietas possit agnosci personæ: ne aut ipse putetur natus esse qui genuit, aut aliud putetur esse qui natus est, quã est ille qui genuit. Nõ enim ipse est Pater, qui Filius, quoniam in utroq; personarum proprietas reseruatur. Sed quòd Pater est, hoc est & Filius: qa de Deo Deus, de pfecto perfectus, de immenso immensus, de omnipotente omnipotens, de æterno Patre natus est Filius coæternus, eadẽ Veritate dicente: *Omnia quæ habet Pater, mea sunt.* Pater ergo & Filius relatiua sunt nomina, quæ naturã gignentis genitiq; non sepárãt, sed unam sine dubitatione significant. Relatiuum uerò illud dicimus, quod ad alium agnoscẽdum referimus,

Ioan. 17.

rimus, ut dum unum nominauimus, alium demõſtremus. Sicut inter homines, hæc relatiua ſæpiùs nominantur pater & filius, filius & pater, ſocer & gener, gener & ſocer. Nã ideò pater dicitur, ut filium genuiſſe noſcatur: & filius ideò dicitur, ut de patre genitus demonſtretur. Nec in hac diuerſitate nominum inuenitur diuerſitas naturarum, quoniam uterq; ſimiliter homo dicitur, quamuis unus pater, & alius filius nuncupetur. Non ergo patris & filij poſſet una cognoſci natura, ſi hæc non eſſent diuerſa uocabula: quoniam ſi ambo uocarẽtur patres, eſsẽt profectò natura diſsimiles: unuſquiſq; enim ex ſemetipſo cõſtaret, & communem ſubſtantiam cum altero nõ haberet: nec deitas una eſſet, quibus una natura non eſſet. Cõſequens autem fuit, ut duo patres duos filios gignerẽt, quoniam niſi uera de ſingulis proles exiſteret, paterni nominis in nullo ueritas appareret. Iã uerò in duobus filijs, de diuerſis patribus natis, licet poſſet non eſſe diuerſitas relatiui nominis, attẽdatur, ſi

NB.

Abſurdũ ex ſublatis perſonarum nominibus.

si posset esse natura cōmunis. Quis non uideat in utroque filij nomē unum esse, sed utriusque naturam unam non esse? magis autem unumquenq; filium non cum altero filio, cum quo unū relationis habuit nomen, sed cū patre, de quo extiterat, naturam habere communem.

Sed quid ulteriùs de duobus patribus duobusq; filijs disputetur? cū istius assertionis ueritas personarum diuersitate non egeat, sed ad documentū sui faciliùs posit unius hominis cōsideratione fulciri, qua cognoscatur, relatiua nomina diuersitate sui non naturarum diuersitatem ostēdere, sed ad personarum significationem maximè pertinere: ut scilicet, dū unus ostēditur, alterius quoque persona noscatur. Illud autē nomen Patri semper esse Filioq; commune, nō quo relatio personalis ostenditur, sed quo substantialis proprietas demōstratur: nempe Seth, de Adam patre natus, & de non genito genitus, Adam patris dictus est filius. Iste ergo, donec ad uirilem perueniret ętatē, ut filium gigneret, pater

NB.

Ab exemplo.

pater dici non potuit, & priusquã generaret, filius tantum fuit: quando aũt genuit, etiam pater esse iã cœpit. Accedẽte igitur diuersitate paterni nominis, nulla in eo facta est diuersitas naturalis, & cũ unus homo hæc duo cœpisset habere uocabula, non est in eo mutata aut diuisa uel duplicata natura: fuit enim filius, quia de patre extitit, fuit pater, quia filiũ genuit. Nec tamen ita naturam filij, in qua natus est, habuit, ut in eo permanens, pater esse nõ posset: nec aliã cum nomine patris essentiam acquisiuit, ut filij substantiã, in qua natus fuerat, perdidisset: Sed quod uerum est, sicut homo fuit, quãdo filius extitit nascendo, sic permansit homo, quãdo pater factus est generando: nec aliud fuit quàm homo, quod erat Adam, de quo ipse est natus, & quod erat Enos, qui de ipso est genitus. In Patre ergo Deo & Filio Deo, personarum proprietate seruata, impossibile non dicatur, quod documẽto etiã cuiuslibet hominis comprobatur, sed discernamus, quid ad relationem, quid

ad

ad ſubſtantiam pertinere noſcatur. Rela
" tionis enim ſunt nomina, Pater & Fili-
" us, ſubſtantiæ uerò nomē unū eſt, quod
" dicitur Deus. Relationis ergo nomina ſingula retinent, ſubſtātiæ uerò nomen unum communiter poſsident: quia licet unus dicatur Pater, & alter Filius, ſic tamē eſt Filius Deus, ſicut Pater eſt Deus. Illis namq; duobus nominibus generatio uera cognoſcitur: iſto autem uno communi nomine ſubſtantialis unitas demonſtratur.

2 *OBIECTIO.*

Iſta nunquam nos legiſſe recolimus, quæ ſuperiùs propoſita ſunt: quia ſcriptū eſt de eo: *Generationem eius quis enarrabit?* Et quaſi nemo, dixit Scriptura, qui enarret. Aduertendi ſunt hi homines, ut dicant ſe poſſe noſſe: quia inenarrabilis eſt generatio eius, non autē ignorabilis.

Ieſa. 53.

RESPONSIO.

Pſal. 116.

Generatio æterna Filij Dei inenarrabilis, ſed non ignota.

Scriptum eſt: *Credidi, propter quod loquutus ſum.* Et nos credimus, propter quod loquimur, & fiducialiter profitemur: quia Filij generatio inenarrabilis eſt,

est, ignorabilis non est. Neq; enim consequens est, ut quod non potest enarrari, non posit sciri: cùm ipsum Deũ nullus ualeat enarrare, nec impunè tamen alicui liceat ignorare. In tantum uerò cognoscibilis Deus est, cùm sit inenarrabilis, ut quosdã ob hoc inexcusabiles pronunciet beatus Apostolus: *quia cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt.* Nam si à nobis Dominus nollet agnosci, non dixisset: *Si cognouissetis me, & Patrẽ meũ utiq; cognouissetis*: nec Philippũ dicentem: *Domine, ostende nobis Patrẽ, & sufficit nobis:* hac increpatione corriperet, dicens: *Tanto tempore uobiscũ sum, & nõ cognouistis me? Philippe qui me uidit, uidit & Patrem.* Hoc enim uerbo Dominus, uoluit demõstrare, totũ in se inueniri qđ quærebatur. Nec enim fieri potest, ut sempiterno & immenso Patre minus aliqd Filius habeat, in quo corporaliter omnis plenitudo diuinitatis inhabitat. Non est ergo ignorabilis Deus, cùm sit inenarrabilis: sed à fidelibus cognoscit̃, ut ametur,

Rom. 1.

Ioan. 14.

tur, quamuis nec humanis linguis nec angelicis enarretur. Nã ignorationem Dei non aliud esse, quàm dęmonum seruitutem, Paulus dęmõstrat Apostolus, Gal. 4. dicens: *Sed tunc quidem ignorantes Deum, his qui natura non sunt dij, seruiebatis.* Sicut ergo Christi diuinitatem ignorare nõ debemus, licet enarrare nõ possimus, ita natiuitatis eius, quamuis nulli suppetat enarratio, nõ est tamen fidelib. adempta cognitio. Quis enim natũ prędicet, cuius natiuitatẽ ignoraret? Quis filium dicat, & genitũ nesciat? Quis patrem ualeat credere, quem non considerct genuisse? Genuit uerè Pater & uerè natus est filius. Veram ergo filij natiuitatem datum uobis est cognoscere, licet datum nõ sit, qualiter natus fuerit, enarrare. Quoniam & Propheta non dixit: *Generationem aũt eius* quis agnouit, sed *quis enarrauit.* Quocirca diuinam generationem, quantum homini fas est, in eo dignè cognoscimus, cùm & uerã generationem dicimus, & ipsam generationem, quæ uera est, inenarrabilem prędicamus.

camus. Filius ergo uerè de Patris substantia natus agnoscitur, dum natiuitas eius, quę de inenarrabili Deo est, inenarrabilis prædicatur. Inenarrabilis enim proculdubio est Filij natiuitas uera: quia una est illi cum inenarrabili genitore substantia.

OBIECTIO. 3

Generationem eius, id est, rectè profiteri, ut dicit ipse Dominus per Scripturas: *Dominus creauit me initium viarum* Prou. 8.
suarũ, ante sæcula fundauit me. Et sequitur: *Et ante omnes colles genuit me*. Et iterum: *Ego à Patre prodij, & veni in hunc mundum*. Et iterũ: *Dominus dixit ad me,* Psal. 2.
Filius meus es tu, ego hodie genui te. Et postquàm cognitus est in carne, profitetur de eo Euangelista dicens: *Et vidimus* Ioan. 1.
gloriam eius, gloriam tãquam vnigeniti à Patre, plenum gratia & veritate. Et Apostolus ait: *Qui est primogenitus totius* Col. 1.
creaturæ. Ecce creatum fundatum, & genitum profitemur: sine aliqua ambiguitate irrationabili.

RESPONSIO.

In persona Messiæ non vna natiuitas spectatur.

In utraque Christi natiuitate non fallitur, qui in Christo, Dei & hominis Filio, & plenam ex Patre diuinitatem, & plenum ex matre hominem profitetur. Atq; ita in illo utranq; substantiam uerã esse cognoscit, dum quid æternitati, uel quid temporalitati congruat, fideli pietate distinxerit. Neq; enim ignorare debemus, ipsum in sæculo, secundũ carnẽ, creatum ex homine, qui sine initio secũdùm diuinitatem creatus est, generatus ex Patre. In illa nanq; natiuitate, quę initium non habet, sempiternæ diuinitatis maiestas agnoscitur: in hac uerò sempiternæ diuinitatis pietas inuenitur. Qui enim nõ creatus sed creator, de creatore ꝓgenitus, bonitate sua creauerat hominem, ipse postmodũ est pietate sua creatus ex homine: nec suũ opus ipse dedignatus est fieri, quò posset per eũ status sui operis reparari. Huius igitur creationis uolens sapientia pronunciare mysteriũ, ut incarnationis suæ futurũ ostenderet sacramentũ, prophetico more, quo solent

ſolent ſub enũciatione præteriti tempo-ris futura narrare, dixit: *Dominus creauit me initium viarum ſuarum, in opera ſua.* Cauſam creationis oſtendit, Deũ ſe initium uiarũ Deum in opera eius creatũ eſſe non tacuit. Nam ut oſtenderet, non illius æternæ natiuitatis eſſe, quòd creata dicitur, ſed huius temporis, quo carnẽ ſuſcepiſſe Dei Filius inuenitur, quid præmiſerit attendatur. *Si nunciauero* (inquit) *vobis, quæ quotidie fiunt, commemorabo, quæ à ſæculo ſunt, enũciare.* Ergo cũ quotidie iſta fierent, à ſæculo facta præmonet nunciari, oſtẽdit, quæ dictura eſt nobis, non æternitatis eſſe, ſed temporis. Ob hoc ſtatim addidit: *Dominus creauit me initium viarum ſuarum in opera ſua.* Quod ergo ſapientia creata eſt, non ante ſæcula, ſed à ſæculo eſt. Quod autẽ initium uiarum Domini creatus eſt Filius, quid eſt aliud, niſi quod ipſe uia nobis eſt factus, ut eo duce atque rectore, per adoptionis quam accepimus gratiam, diuino munere ad uirtutum nobis profectum pateret ingreſſus?

Interpretatio loci Salomonis.

Quod ut euidentiùs appareat, debemus attendere ad hoc, filium creaturæ initium factum, non ut nouam rursus creaturã conderet, sed ut uetustam iampridem perditam renouaret. Inuenitur enim Apostolos quoque huius fecisse creationis initium, quorum officio reparauit, qđ fuerat ante collapsum, beato Iacobo dicente de Deo Patre: *Voluntariè genuit nos verbo veritatis, vt simus initium aliquod creaturæ eius.* Euidentissimis igitur demonstratur indicijs, hoc loco creationem, non ad conditionem omniũ creaturarũ, sed ad reparationem hominũ referendã. Sicut & Dauid sanctus orauit, dum gemini fuisset criminis recordatione perterritus, non solùm temerati connubij, sed mariti etiam insontis occisi. Dum igitur tanti facinoris nęuum lachrymarũ flumine meditaretur abluere, hoc inter gemitus, quos testes habuit doloris, effudit. *Cor mundũ crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis:* hoc esse significans cor mũdum in se creari, quod erat, spiritum rectum

Iac.1.

Psal.51.

rectum in eius uiſceribus innouari. Ad hoc ergo Chriſtus uoluit creari, & huius creationis Apoſtolos ſuos initiũ fieri, ut per eum poſſet homo, qui uetuſtate perierat, nouari.

Ante ſæculum autem ſapientiam fundatam ſe dixit, ut natiuitatem ſuam, qua de Patre nata eſt, immutabilem demonſtraret. Quod enim fundatũ dicitur, nulla ratione conuellitur: quod autem non conuellitur, non mutatur.

Vt autẽ natiuitas diuinitatis eius ſine initio cognoſcatur, debet attendi quod ſequitur: *Priuſquã terram faceret, priuſquam abyſſos conſtitueret, priuſquã procederent fontes aquarum, priuſquã montes ſtabilirentur, ante omnes autẽ colles genuit me.* Iſtud *ante*, cũ dicitur, omne prorſus initium præuenitur. Quod conſiderandum eſt: quia ubicunq; illa diuina & æterna demonſtratur filij natiuitas, non dicitur, quando natus ſit, ſed *ante* ſemper ponitur, ut quicquid homo infinitatis æternitatisq; cogitare uoluerit, ante omne qđ cogitatione cõcipitur, filij ſem- Prou. 8.

per natiuitas cogitet: ac sic natiuitas Filij Dei sine initio cognoscat, in qua non aliud quàm *ante* positũ iugiter inuenit.

Vellemus autem nobis responderi, utrum hoc sit genitũ quod creatũ: quod si unum putatur utrunq;, dicatur ergo à Deo genitus mũdus, à quo generari nõ potest, & creatus: dicantur etiam increduli homines Filij Dei, qui de potestate tenebrarum non fuerint liberati: dicantur hæredes futuræ beatitudinis, qui fidem non recipiunt Saluatoris. Si autem (quod uerũ est) aliud est creari, aliud generari: discernatur, in qua Christus substantia creatus à Deo dicatur, & in qua ex Patre genitus prædicet. Nam & ipse Scripturæ locus perfacilè quærentibus mõstrat, in qua creatus natura dicendus est Christus: in ea scilicet, in qua Dominum nominat, ut ueritatem in se formæ seruilis ostendat, sicut & in Psalmo loquitur, dicens: *O Domine, ego seruus tuus, ego seruus tuus, & Filius ancillæ tuæ*. Ex ancilla ergo natus est seruus, qui ex Patre generatus est Dominus. Propter formam

Creatum à genito in p̃sona Filij Dei distinguendum.

Psal. 116.

mam igitur serui dixit: *Dominus creauit me:* nō se à Patre dicit creatū, sed à Domino. Nam ubi secundùm diuinitatem genitus dicitur, Pater continuò nominatur. Sicut uerè ipse dixit: *Ego à Patre prodij, & veni.* Et beatus Euangelista de eo: *Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre.* Vides, quia non dixit hîc, *à Domino*, sed *à Patre*. Ioan. 8. Ioan. 1.

Quòd autē eum primogenitū totius creaturæ dicit Apostolus, creatura utiq; intelligit reparata, nō condita, creatura filiorū Dei, qua ex seruis eius facti sunt fratres eius, q nos (secūdùm Apostoli dictum) non confunditur fratres uocare, dicens: *Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio ecclesiæ laudabo te.* Et iterum: *Ego ero fidens in eum.* Et iterū: *Ecce ego & pueri: quos mihi dedit Deus.* Quoniam ergo & pueri communicauerunt sanguini & carni similiter, & ipse participauit ijsdem, ut per mortē destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est, diabolum, ut liberaret eos, qui timore mortis per totam uitam obnoxij erāt Christus quomodo omnis creaturæ primogenitus. Col. 1. Hebr. 2.

seruituti. Nusquam enim angelos apprehendit, sed semen Abrahę apprehendit. Vnde debuit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret, & fidelis pontifex ad Deũ, ut repropitiaret delicta populi. In eo enim, quo passus est ipse, & tentatus, potens est, his qui tentãtur, auxiliari. Audimus Christũ habentem fratres, audimus semen Abrahæ, audimus per mortẽ, eum, qui habebat mortis imperium, destruentẽ, audimus tentatum, audimus passum: & dubitamus Christũ primogenitum totius creaturæ, secundùm incarnationis profiteri mysteriũ? Cum denuò beatus Apostolus, in quo eum primogenitũ debeamus accipere, testimonio suæ prædicationis ostendat:
Rom. 8. *Scimus*, inquiens: *quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundùm propositũ vocati sunt. Nam quos præsciuit, & prædestinauit, conformes fieri imaginis Filij eius, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus*. Qui ergo secundùm deitatem semper unigenitus fuit sine fratribus, factus est secundùm

hom-

hominem primogenitus in multis fratribus.

Quod euidentiùs illo rursus Apostoli testimonio perdocetur, ubi *primogenitus ex mortuis* nominatur. Quid enim est primogenitus ex mortuis, nisi prim9 ex peccatoribus hominib. homo Christus Iesus in Dei Filium exaltatus? Natus aũt est, non sic ex peccatoribus peccator, sicut ex hominibus homo, sed natus est homo, susceptus est à Deo sine ullo peccato, ut peccatores homines recõciliaret Deo, liberatos ab omni peccato. Talẽ quippe hominem oportuit à Deo suscipi, per quem possent homines Deo gratuita iustificatione coniungi. Col. 1. *Christus primogenitus ex mortuis.*

Primogenitus igitur est totius creaturæ, illius profectò, de qua beatum Apostolum Iacobũ audiuimus paulò antè dixisse: *Voluntariè genuit nos Verbo veritatis, vt simus initium aliquod creaturæ eius. De hac creatura dicit etiam Paulus Apostolus: Si qua ergo in Christo noua creatura.* De qua etiam Dauid prædixerat: *Emitte spiritum tuum & creabuntur,* Iac. 1. 2. Cor. 5. Psal. 104.

tur, & renouabis faciem terræ. Alioquin, ſi ſecundùm diuinam natiuitatem Chriſtus primogenitus creaturæ totius accipitur, quibus teſtimonijs ante omnem creaturam primogenitus ex mortuis oſtenditur: cùm dici non poſſent mortui qui necdum fuerant uel creati.

Vnigeniti et primogeniti differentia.

Vnigenitum ego Chriſtum cognoſcimus ex Patre, primogenitum profiteamur ex uirgine. In illa quippe natiuitate uerè eſt unigenitus, in qua ſine initio de ſolo Deo ſolus natus eſt Deus: in hac autem natiuitate primogenitus eſt totius creaturæ, id eſt, eorum quos in fratres ſibi per fidem dignatus eſt adoptare. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credũt in nomine eius.*

Ioan. 1.

Hæc generatio in ſecundo quoq; Pſalmo cognoſcitur prędicata, ubi Chriſtus ex perſona ſuſcepti hominis dicit: *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te*. Quod ut ſecundùm incarnationis futurę myſterium dictũ eſſe monſtraret, adiunxit: *Poſtula à me, & dabo tibi*

Locus ex Pſal. 2.

tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Quomodo enim secundùm formam Dei terminos terrę posſidendos peteret, cùm regnum cœlorum, quod maius eſt, ſuis fidelibus promittat & donet? Ille ergo qui permanens in forma Dei, pro ſalute ſeruorum factus eſt ſeruus, ſecundùm ſeruilem formam, ut acciperet gentes hæreditatem & poſſeſsionem, terræ terminos poſtulauit: qui ſecundùm diuinam naturã, ſicut uniuerſa, quæ in cœlo ſunt & in terra, uiſibilia & inuiſibilia cum Patre fecit, ita cum Patre ſemper uniuerſa poſſedit.

Hanc generationem, quam Pſalmus ſecundus inſinuat, ad incarnationis myſterium pertinere, liber actuum Apoſtolorum, Paulo in Synagoga loquẽte, teſtatur, cuius uox ad Iudęos huiuſcemodi reperitur: *Et nos vobis adnunciamus, eam quæ ad Patres noſtros repromiſsio facta eſt: quoniam hãc Deus adimpleuit Filijs noſtris, reſuſcitans Ieſum, ſicut & in Pſalmo ſecundo ſcriptum eſt: Filius meus es* Act. 13.

tu,

tu, ego hodie genui te. Hoc igitur quod Psalmus dixit, secundùm id Apostolus ostendit ad Filium dictum, secundùm quod à mortuis prædicat suscitatū. Attendatur ergo, quę à mortuis in Christo natura surrexit, & intelligetur secūdùm quid Christus hodie genitus, terminos terræ posſidendos accepit.

Duplex natura in Christo agnoscēda.

Agnoscatur itaq; in Christo proprietas utriusq; naturæ, ut sine errore posſit intelligi & creatus, & fundatus & genitus. Genitus quippe est & fundatus, secundùm quod de Domino inenarrabiliter natus est Dominus: creatus aūt secundùm humanam generationem, qua de ancilla natus est seruus, ut quem ante omnia solùm Pater genuit ex natura, ꝑ nostra salute generaret ex gratia. Quocirca utrāq; debemus in Christo Domino naturam agnoscere, ut nec aduersus creatorem uideamur superbi, nec beneficij nostri Saluatoris existimemur ingrati: ne apud Saluatorē ipse sibi deneget quā quærit salutem, qui creatoris de Deo Patre ueram denegat deitatem.

OB-

OBIECTIO. 4

Sed qui præſumunt irrationabiliter dicere, de Patris ſubſtantia natum eſſe Filium, doceant per ſcripturas tamen, quomodo nõ ſit erroris falſa profeſsio. Qui cùm dicit inenarrabilem eſſe generationis eius, aſſerat eum de Patris eſſe natum ſubſtantia.

RESPONSIO.

Aſſertionis defectus agnoſcitur, quãdo quis ita fidei alterius deſtruere nititur regulam, ut credulitatis ſuæ formam nolit proferre ſententiam. Nos idcirco Filium Dei de Patris ſubſtantia natum, hoc eſt, de id quod Pater eſt, credimus & fatemur: quoniam quicquid ſubſtantia Dei non eſt, nõ poſſumus ut Deum uel adorare uel colere, (præceptum legis ſollicitiùs obſeruantes, quo dicitur: *Audi Iſraël, Dominus Deus tuus Dominus vnus eſt, & Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies*) quem Deum, non Patrem ſolùm credimus, ſed Patrem & Filium & Spiritum ſanctum. Fides enim noſtra, qua unum Deum colimus

Filium de ſubſtantia Patris natũ eſſe.

Deut. 6.

limus & timemus, nec unione personali contrahitur, nec substantiali diuersitate disiũgitur: ne aut Deos gentiliter colamus, diuersas colendo substãtias: aut Filiũ & spiritũ cum Sabellio denegemus, non seruantes in Trinitate personas.

Mysterij trinitatis assertio.

Huius fidei rectam credulitatem, non solùm Prophetica, sed Apostolica nobis insinuat in ueritate doctrina. Nam Esaiæ, cùm Dei uisione dignus efficitur, huius fidei credulitas intimatur, duobus Seraphin tertiò clamantibus, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, & semel inferentibus, *Dominus Deus Sabaoth*. Quid est, quòd tertiò sanctus dicitur, si nõ trina est in Diuinitate persona? cur semel Dominus Deus dicitur, si nõ una est in Diuinitate substantia? Dominus quoque per Moysen, uolens benedicere populum, hoc benedicendum tenore mandauit, *sic* (inquiens) *benedices populum meum, & ego benedicam eos: Benedicat te Dominus, & custodiat te, illuminet Dominus faciem suam super te, & misereatur tui, ac tollat Dominus faciem suam super*

Esaia 5.

Num. 6.

per te, & det tibi pacem. Ter *Dominus* dicitur, & unus semper Dominus nominatur, ut in Trinitate, quæ uerus est Deus, nec cõfundatur proprietas personarum, nec substãtialis unitas denegetur. Dauid quoque Deo per omnia placitus, sub hac credulitate populo fideli diuinæ benedictionis gratiam his uerbis exoptat infundi: *Benedicat nos Deus Deus noster, benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ.* Cui sententiæ beatus cõcordat Apostolus, qui cum quodam loco dixisset: *Vnus Deus Pater, ex quo omnia, & nos in ipso,* Et *vnus Dominus Iesus Christus per quem omnia, & nos per ipsum:* de Spiritu sancto quoq; diceret: *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis:* cũ se dixisse meminisset, ex Patre per Filium in Spiritu sancto, ut hanc Trinitatem, unũ Deum esse mõstraret, alio loco ait: *Quoniam ex ipso & per ipsum & in ipso sunt omnia:* & quod singulariter intulit: *Ipsi gloria in sæcula sæculorum.*

Psal. 66.

1. Cor. 8.

Eph. 4.

Rom. 2.

Ex substantia Patris natum Filium, & fides

Testimonia, Filium esse Patri cōsubstantialem. fides Christiana rectè prędicat, & sancta Scriptura commemorat. Paulus Apostolus de Filio Dei dicit: *qui cùm sit splendor gloriæ & figura substantiæ eius.* Dominus denuò dicit ad Hieremiam: *Super montes accipe planctum, & homines non audierunt vocem substantiæ meæ, à volatilibus cœli vsq; ad pecora.* Filium autem Patris esse substantiam, Sapientiæ liber euidenter ostendit dicens: *Esca angelorū nutristi populum tuum, præparatum panē de cœlo præstitisti eis, sine labore, omne delectamentum in se habentem, & omnem suauitatis saporem. Substantiā enim tuam & dulcedinem tuam, quam in filios habes ostendebas.* Panem de cœlo datum, substantiam & dulcedinem Dei esse, Scriptura testatur: panem uerò de cœlo datum, Filium Dei esse, ipsius Filij uerbis ostenditur: quia ait: Ego sum panis uiuus, qui de cœlo descendi. De quo Dauid ait: *Panem angelorum manducauit homo.* Ecce de substātia Patris extitisse Filium, nō solùm rationabiliter credimus, uerùm etiam testimonijs approbamus,

Hebr. 1.

Ierem. 9.

Sap. 16.

Psalm. 78.

Scri-

Scriptura dicẽte: *Qui diligit genitorẽ, diligit eum qui natus est ex eo,* quoniã fides uera quod credit, non nescit, etiãsi nondũ potest uidere quod sperat & credit.

Aduersæ opinionis confutatio.

Hi uerò, qui Filium de Patris substantia natum denegant, debent utiq; dicere, unde arbitrẽtur Dei Filium extitisse? Vtrũ de nihilo, an ex aliquo? Si de nihilo extitit, creatura dicendus est, nõ creator. Si aũt de aliquo dicatur, sic etiam id ipsum Deus fecit, unde Filium genuit. An fortè coęternum dicitur aliquid habuisse, unde posset Filium generare? Si coæternum aliquid æstimatur, unde genitus Filius creditur, Manichæorum error hac assertione firmatur. Si autem nõ fuit aliquid, unde generaretur filius, nec tamen de substantia Patris Deus natus, hoc superest, ut euidenter ex nihilo Dei Filium extitisse fateantur, eum in diuinitate minorem prædicare contendunt.

Filius non ex uolũtate, sed substãtia Patris natus.

Sed forsitan dicitur, ex uoluntate Patris natum esse Filium. Dicatur ergo, utrum ex se, an aliunde Pater Filiũ genuit. Si enim ex seipso genuit, non potuit

uolũtas generationem præcedere: quia nefas eſt credere, in Deũ aliquid, quod non ſemper fuit, nouiter accidiſſe. Vnde cognoſcitur, quoniam Deus omnem quidem creaturam de nihilo condidit uoluntate ſua: Filium uerò ſubſtantia genuit uel natura.

Si autem aliundè Filius dicitur natus, aut ex nihilo eius origo aſſeritur, aut (ſicut ſuperiùs dictum eſt) excepto Deo, ſemper aliquid fuiſſe contra regulam ueræ fidei prædicatur. Beatus quippe Apoſtolus, ſciẽs Filium ex Patris eſſentia uerum Deum genitum, & ob hoc cum Patre unum Dominum Deum, nec immemor præcepti dominici, quo prohibemur duobus Dominis deſeruire, Domino Chriſto, ſicut uero Deo, præcepit ſeruiendum, quem æqualiter cum Patre nouerat honorandum, ipſo Domino di-
Ioan. 5. cente: *Vt omnes honorificent Filium, ſicut honorificant Patrem.* Quem uerum Deum Ioannes Apoſtolus, ipſo in ſe
1. Ioan. 5. Domino loquente, teſtatur, dicens: *Vt ſimus in vero Filio eius Ieſu Chriſto. Hic*

eſt

est verus Deus, & vita æterna.

Quocirca ueræ fidei tenenda est regu- Conclusio.
la, qua Dei Filius de Patris substantia, hoc est, de eo quod ipse est, ineffabiliter sine initio natus creditur: & uerus Deus cum Patre colitur & tenetur: quia nec Christianis licitum est, ei qui natura nõ est Deus, sicut uero Deo seruire: nec cuiquam fas est, Christo unigenito Dei Filio, nõ sicut uero Deo seruire. Nã eum qui seruit Christo placere Deo, beatus Paulus (qui dijs, qui natura non sunt dij, seruiendum interdixerat) euidentissimè manifestat, dicens: *Non est Dei regnum esca & potus, sed iustitia & pax & gaudium in Spiritu sancto.* Rom. 14
Qui enim in hoc seruit Christo, placet Deo. Quocirca cognoscentes Christum uerum Deũ esse, non audeamus ab æqualitate paternæ substantiæ separare. Verus enim Deus est, qui natura Deus est: natura autem Deus est, qui deitatem ex æternitate ueræ natiuitatis habuit, non ex gratia donationis possedit. Quod enim nascitur, connexum est genere,

quod uerò adoptatur, ſola prouehitur largitate.

5 *OBIECTIO.*

Perturbationes mentium, quæ ſine ratione dicuntur, cùm hortantur aduerti, ueritas non uidetur ab eis compræhendi, nec profiteri: ob hoc quod abſurdum ſit dicere uel credere, Patrem & Filiũ ingenitos eſſe. Qui ſibi ſuadet iſta excogitare, ipſe ſe uult fraude decipere, quam quidẽ exegit illis hoc dici, qui Patrem & Filium æquales aſſerunt eſſe.

RESPONSIO.

Patrem et Filium ingenitos dicere, Τερατολογία est.

Perturbant quidẽ mentes, aut ignauas aut inſcias, qui uoluerint Patrẽ & Filium ingenitos dicere: ſed nõ hoc faciũt, qui cognoſcũtur æquales Patrẽ & Filiũ prędicare. In duobus enim ingenitis, diuerſa diuinitas inuenitur: in uno autem ingenito, ex uno ingenito, naturalis unitas demonſtratur. Duo quippe ingeniti, non poſſunt unam habere naturam, ubi nec unus in uno ueram ex ſe generationẽ inuenit, nec unus, ex uno uerè in ſe ſubſtantiam natiuitatis agnoſcit. Nos

autem

autem Patrē & Filium, nec duos ingenitos dicimus, nec duos genitos appellamus, nec personaliter confundimus, nec substantialiter separamus. Et ideò æquales sine ambiguitate dicimus, qa diuersos à se nullatenus inuenimus. Vnus unum genuit, unus de uno natus est. Et quia de incommutabili Patre incommutabilis Filius extitit, & Pater æternus & perfectus, coæternum perfectumq́; Filium genuit: propterea Filius uerā, quā habet ex uero Patre, substātiam, nec minorem habere potuit, nec diuersam. Cōtumelia est quippe diuinæ naturę, si Pater Filium generans, non potuit esse in Filio, quantus permanet in seipso: & genitori (quod nefas est) potentia naturalis adimitur, si Filio paternæ substātię æqualitas abnegetur: cū hanc Apostolica doctrina non taceat, Euangelista Ioāne dicente: *Propterea volebant eum Iudæi interficere: quia non solùm soluebat sabbatū, sed & Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo.* Quam æqualitatē, nō maleuola Iudæorum aduersitas (sicut

Filius quanquam sit genitus, Patri tamen æqualis est.

Ioan. 5.

quibuſdam uidetur) obiecit,ſed Euãgeliſtę ueridica prorſus authoritas declarauit: q ſicut uerè dixit, Ieſum ſoluiſſe ſabbatum, uerè etiam Patrem ſuum dixiſſe Deum: ita uerè dixit, per profeſsionẽ paterni nominis æqualẽ ſe fecìſſe diuinitati & omnipotentiæ genitoris. Hãc ęqualitatem in ſe ipſe uerus Filius prædicans
Ioan. 10. & demonſtrans ait: *Ego & Pater vnũ ſumus.*
Ioan. 5. Et alio loco: *Omnia quæ Pater fecit, eadem & Filius fecit ſimiliter.* Idẽ ipſe di-
Ioan. 17. cit: *Pater clarifica Filium tuum, & Filius*
Ioan. 5. *clarificet te.* Et alio loco: *Vt omnes honorificent Filium, ſicut honorificãt Patrem.* Et alia multa, quæ prolixitatem uitãtes, omiſimus. Aequalem ſe itaque Deo per profeſsionem paterni nominis facere, unum cum Patre eſſe, omnia quæ Pater facit, eadem ſimiliter facere, clarificatus & ipſe clarificare, æqualitatẽ ſibi paterni honoris exigere, ſicut minori non cõpetunt, ſic æqualem, remoto ſcrupulo dubitationis, oſtendunt.

6 *OBIECTIO.*

Interea dum de lumine dicitur, non intelli-

intelligunt quod ſcriptum eſt: quia alius eſt Pater luminis, & alius eſt qui lumen eſt appellatus, & lucet in tenebris, & tenebræ eũ non comprehenderunt. Idcirco debet aduerti, quid lex mãdat uel inſtruit mẽtes hominum: quia inter illum authorem luminis, & iſtud lumẽ in tenebris lucens, quod illuminat omnem hominẽ uenientem in hunc mundũ, quod per uitã factus eſt Filius, & lux eſt oſtenſus hominum, illo qui oſtenditur factus non eſſe Pater, æqualis eſſe non poſſe.

RESPONSIO.

Hoc ſemper Patris & Filij demõſtrat æqualitas, ut quicquid fuerit derogationis uel honorificentiæ, ſimul ſit utrique commune. Quo fit, ut dum contra fidei normam Filius à Patris æqualitate diſcernitur, magis Patri quàm Filio detrahatur: quod huius loci manifeſtiùs demonſtrat aſſertio, qua, dũ Filius ſolus lumen appellari creditur, ipſi Patri, qui lumen genuit, nomen luminis abnegatur. Qui autem nõ ſubſtantialiter poſſidet nomen luminis, non poteſt habere

substãtialiter uocabulum deitatis. Beatus quippe Ioãnes Apostolus dicit: *Quoniam Deus lux est*. Si ergo qui Deus est, lux est: q lux nõ est, Deus non est. Quare lumen ex lumine credẽdus est Filius, quia de Deo natus est Deus: ne dum solus Filius lumen dicitur, Deus Pater intolerabiliter blasphemetur.

1. Ioan. 1.

Patrem non minùs lumen dici in Scripturis quàm Filium.

Sap. 7.

Ac ne putemur Patrẽ coniectura magis quàm ueritate lucem dicere, necesse habemus hoc quoq; testimonijs approbare. In sanctis eloquijs de sapientia dicitur: *Omnium mobilitatũ mobilior est sapiẽtia. Attingit autem vbiq; propter suam mundiciem. Vapor est enim virtutis Dei, & manatio quædam charitatis omnipotentis Dei syncera. Et ideò nihil iniquinamẽti in illam incurrit. Candor est enim, lucis æternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius.* Candor lucis æternæ sapientia dicitur, quam lucẽ æternam Patrem esse, uniuersa Christianitas profitetur. Quòd si fortè aliqui putant, istam lucem æternam, cuius sapientia candor est, Patrem accipi non debere,

re, necesse est, ut dum Deum Patrem lucem æternam denegant, aliam lucem æternam quærant, cuius esse candorem sapientiam euidenter ostendant. Sed ipsi nouerint, quomodo posint, aut lucē, quæ Deus nō sit, aut alteram lucem, præter sapientiam, quæ Deo coæterna sit, inuenire. Cognoscatur ergo lux esse Pater luminis, ut saltem sic Filius Patri non dubitetur uel negetur æqualis.

Vno iam testimonio Deū Patrem lucē esse docuimus, melius est, si id ipsum Apostolica quoq; prædicatione mōstremus. Beatus Paulus: filios Dei nos esse testatur dicēs: *Quicunq; spiritu Dei aguntur, hi filij sunt Dei. Non accepistis spiritū seruitutis iterū in timore, sed accepistis spiritū adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba Pater. Ipse spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod simus filij Dei.* Ioannes etiam Euāgelista dicit: *Quotquot autem crediderūt in eum, dedit eis potestatē filios Dei fieri.* Vt igitur B. Paulus Deum, cuius filij sumus, lucem esse mōstraret, eosdē filios lucis quoq; filios appel-

Rom. 8.

Ioan. 1.

 lauit,

1. Thess. 5. lauit, ita dicens: *Vos autem fratres, non estis in tenebris, vt vos dies ille, tãquam fur, comprehendat, omnes enim vos filij lucis estis, & filij diei*. Et Filius ad discipulos: Matth. 5. *Vt sitis filij Patris vestri, qui in cælis est.*

Ipsum uerò Filium lucem esse, nullus poterit abnegare, de quo Euangelista dicit: Ioan. 1. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Et rursus: *Et vita erat lux hominũ, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Ipse quoque Filius, lucem se esse propria uoce testatur: Ioan. 8. *Ego sum* (inquiens) *lux mundi*: Vt autem agnoscatur: Pater in Filio, lumen in lumine esse, in Ioãnis testimonio perdocetur, qui ait: 1. Ioan. 1. *Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ.* Atq; subiunxit: *Si in lumine ambulemus, sicut & ipse est in lumine, societatem habemus ad inuicem.* Quod ut se de Patre dixisse monstraret, adiunxit: *Et sanguis Iesu Filij eius, mũdat nos ab omni peccato.* Patrem quem lucem dixit, in lumine esse asseruit. Quod ergo istud est lumen, in quo Pater est lumen, nisi

lumen

lumen uerum, quod illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundū? Ostensum est igitur, Patrem esse lumen, sicut est Filius lumen. Demonstratur etiam Filius dies, sicut & Pater est dies. Propheta dicente: *Euangelizate diem ex die salutare eius.* Psal. 96.

Quapropter agnoscatur Pater esse in lumine, & Filius in Patre lumine, ipso de se lumine protestante: *Ego in Patre, & Pater in me.* Ioan. 14. Tanquam diceret: Ego in lumine, & lumen in me. Et ubi non inuenitur diuersitas luminis, non negetur æqualitas deitatis: ne dum Deus lux esse Apostolica prædicatione dicitur, ille qui lumen esse non dicitur, Deus etiam esse (quod nefas est) abnegetur.

OBIECTIO. 7

Omisimus superfluas rationes, quæ fastidium facerēt auditoribus, & ad hoc responsum est, ad quod sententia inquirebat expositionem. Et quia inter Patrē & Filium distantia est, & quod dicitur, non est, eò quòd inter illos differentia non sit. Ipse Saluator dicit, qui credēdus

est:

Ioan. 5. est: *Alius est, qui testimonium perhibet de me Pater.* Idē ipse Filius dicit de Spiritu
Ioan. 14. sancto: *Et alium paracletum mittam vobis.* Alium dixit Patrem, & alium dixit esse paracletum. Et cùm non aduertuntur diuina iura & sacramēta, efficiuntur homines paganitatis professores, qui ante aduentum Saluatoris dixerūt ὁμοούσιον, quorum & Hæretici facti sunt professores, cùm asserunt Patrem & Filium & Spiritum sanctum unum esse Deum.

RESPONSIO.

Vera fides nunquam superfluas, sed rectas semper habet & habuit rationes: nec ex his aliquod fastidium nascitur, si modò absque contentionis studio ueritas audiatur, quæ ob hoc *alium* dixit Patrem, ut personas discerneret, non ut substantialem distantiam demonstraret. Nam cùm alium dixit, ostendit, propriam habere personam. Patrem uerò nominans, demonstrauit se unam cum eo habere substantiam, hoc modo: Si enim Pater, qui testimonium perhibet Filio, uerè alius est utriusque persona discernatur.

Vox ALIVS in sacratiss. Triade quā uim habeat.

natur. Verè & Pater est, ut substãtialis unitas demonstretur. Quòd si uera est paternitas Patris, uera est etiam natiuitas prolis. Et si est Filij uera natiuitas, inter Patrẽ Filiumq́ substantialis non potest esse diuersitas. Vera enim & æterna substãtia, de qua uera natiuitas extitit, sicut generãdo minui diuidiq́ non potuit: ita in tota permanens, totã se coæternæ ueritati natiuitatis indulsit, ut scilicet gignẽtis genitiq́ nõ solùm æqualitas absque diuersitate cõsisteret, sed etiam sine confusione, detrimentoq́ naturalis unitas permaneret. Diuinę quippe natiuitatis & nomen & ueritas, sicut discretã mõstrat gignẽtis genitiq́ personam, sic diuersam non sinit putari substantiam. A- ‹‹
lius ergo propterea dictus est Pater, ut ‹‹
generationis ueritas monstraretur, non, ‹‹
ut putaretur aut prior aut potior. ‹‹

Nam si potiorem accipere debemus, quem audimus alium dici, compellimur etiam paracletum spiritum, pro eo quod alius dictus est, potiorẽ Filio confiteri. Sicut enim Pater alium Filium dixit,

xit, ita paracletum alium nuncupauit. Si placet igitur, & hoc fidei ueritas exigit, ut melior putetur, qui alius dicitur: quoniam Pater alius est dictus, & alius paracletus: ex hoc iã Filius subijciatur ambobus, ut saltem sic paracletus coæquetur Patri, qui pro eo quod alius nũcupatus est, Filio dicitur anteponi, ut huius cõmunione pronominis, in Patre & paracleto demonstretur communio deitatis. Si autem paracletus licet alius dicatur, tamen Filio non præfertur: nec Pater ideò preferendus est Filio: quia a-
» lius dicitur. Hoc enim pronomine,
» personarum ostenditur discretio, non
» naturæ.

Distinctio personarũ diuinitatis, non tollit essentiæ unitatem.

Deniq; ne fidei ambiguitate, ueritatis regulam deserentes, per deuios circumferamur errores, ipse Dominus nobis, & unam secum Patre retinere substantiam, & alteram se demonstrauit habere personam, dicens in Euangelio: *Ego & Pater vnum sumus*. Quod dictum, hi q diuinæ unitatis in Patre & Filio significationem tenuare contendunt, non ad sub-

Ioan. 10.

ſubſtantialem unitatem, ſed ad uolũtatis ſtudent referre concordiam. Quòd ſi ſic Dominus uellet intelligi, poſſet dicere: Ego & Pater unum *volumus*: non, ego & Pater unum *ſumus*. Sed nunc eligat quiſq; quod uelit, utrum in Deo aliud putet eſſe, & aliud uelle: an hoc credat eſſe, quod uelle, ut ei poſsit huius dicti dominici manifeſtiùs ueritas apparere. Si enim aliam dixerit in Deo uolũtatem, qua uelle dicitur, & aliam eſſentiam, qua eſſe cognoſcitur, ad uoluntatem referri non poteſt, quod ſecundùm eſſentiam dictum eſt. *Ego & Pater vnum ſumus*, eſſe enim ab eſſentia dicitur. Si autem hoc in Deo (ſicut certum eſt) putatur, eſſe quod uelle: dum uolũtatis unitas aſſeritur, ſubſtãtialis etiam unitas non negetur: ut & in eo, quod dixit *ſumus*, agnoſcatur nõ aliud eſſe quàm Pater eſt: & in eo quod dixit *ſumus*, agnoſcatur ipſe Filius eſſe, qui Pater eſt.

Vſus uocis ὁμοουσίου unde natus.

Hinc patres noſtri, per omnia Chriſti ſectati doctrinam, unius eſſe ſubſtantiæ Patrẽ, Filiumq; dixerunt, quod Græ-

cè

cẽ *ὁμοούσιον* dictum eſt, illa ſcilicet ratione, quoniam in Græcia, noua tunc emerſerat hæreſis, quæ unigenitum ſeparare nitebatur à ſubſtantia genitoris, ad hoc, ut quiſquis illam doctrinam reciperet, non creatoris cultor, ſed creaturæ potiùs appareret.

Mirum autem eſt, quod in hoc nomine ſonus tantùm à quibuſdam intenditur, nec dicti intelligentia ueſtigatur: cùm pleraque non ſint antiquitùs dicta, ſed pro temporum cauſarumq; opportunitatibus profeſsioni fidei reperiantur inſerta. Sicut ingenitus Pater, nuſquã in Scripturis Canonicis legitur, & tamen ſecundũ fidei ueritatẽ ingenitus prædicatur, aduerſus Sabellium ſcilicet, qui Patrem, Filiumq; nõ communione ſubſtantiæ unum intelligit, ſed perſonali ſingularitate confundit. Quòd ſi ſonus, non ſenſus, conſideratur in uerbis: non cenſeatur eccleſia nomine *catholico*, quod nec in ueteri, nec in nouo reperitur poſitum teſtamento. Si uerò hęc omnia, cùm in nullo ſint canonico uolumine,

In Scripturis ſi non ad literam, κατ' ἰσοδυναμίαν tamẽ quædã reperiri.

mine, dignè tamen tenentur in fide: cur nobis in Homouſion putetur prohibendum, non ſonum dicti conſiderare, ſed ſenſum? nec attēdere nouitatem uerbi, ſed uirtutem intelligere ſacramenti?

Mirum eſt autem eos, qui pro unius ſubſtantiæ credulitate uolunt nos Homouſianos dici, quomodo ſe nolunt Triouſianos, pro tribus & diuerſis ſubſtantijs, appellari: quamuis etſi tali nomine cenſeri fugiāt, hoc eos tamen eſſe, qualitas ſuæ crudelitatis oſtendit.

Dignè itaq; Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, perſonarum proprietate ſeruata, unum colimus Deum: quoniam fides uera, nec tres Deos recipit, quod faciunt Pagani multicolæ, nec Deum ſuum creatum aſſerit, quod cultores prædicant creaturæ.

OBIECTIO. 8

Scelus & ualde blaſphemum aduertant homines, qui ſalutaria præcepta cupiunt ſectari. Nam falſitas profeſsionis nunquam prodeſſe eis poterit, qui quęrunt iniuriando Deum per blaſphemiā

colere uel uenerari. Si ab hominibus nõ toleratur iniuria, ab ipso Domino authore qualiter poterit tolerari? Ostendit enim circa infideles suam obiurgationem, dicendo: *Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me.* Matth. 15.

RESPONSIO.

Apostolica fides Deum non iniuriat, sed honorat, quæ diuinam substantiam nec minorari potuisse asserit, nec mutari. Et ideò Filium æqualem Patri prædicat: quoniã una utriusq; substantia perfectionis suę plenitudinẽ in utroq; conseruat. Tunc ergo Deo infertur iniuria, quando per diuersitatẽ diuinitatis cum creatore colitur creatura: cùm creationis nomẽ in eo sit tantum accipiendum in Filio, quòd pro redemptione hominum, ex hominib. factus est homo. Spiritum quoq; sanctum, si creaturam Dominus uellet intelligi, nunquam præciperet sibi & Patri in sacramento baptismatis copulari, dicens: *Ite, docete omnes gentes, baptizate eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.* Matth. 28.

OB-

OBIECTIO. 9

De generatione autem eius, quod dictum est: *Ex vtero ante luciferũ genui te:* quis dubitet de carnali natiuitate fuisse dictum? cùm ipsa antescriptio ostendat tibi ad intelligẽdum, cùm dicit Propheta, *quòd in splendoribus sanctorum ante luciferum genitus sit.* Et splendor sanctorũ præconium ostenditur esse Prophetarum, & eorum uaticinatio de eo fuisse adimpleta, ut cùm manifestaret ipsam esse, & Propheta dicendo: *Ex vtero ante luciferum genui te,* & splendidum contigit, quòd per uirginẽ nasci eum os propheticum ante dixit. Quis dubitet hanc natiuitatem ita contigisse, ut Scriptura memorat? *Psal. 110:*

RESPONSIO.

Multum fallitur, qui huius Scripturæ locum diuinę natiuitati non credit conuenire. Et audiens Deum dixisse: *Ex vtero ante luciferum genui te:* quia in Deo carnalis uterus nõ potest credi, æstimet huius loci sensum ei tãtummodo generationi, quæ secundùm carnem est, coa-

Locũ Psal. ad æternam τȣ̃ λόγου generationem referendũ esse:

ptandum: cùm præcedens uersus diuinæ magis intellectum generationis insinuet, quo Pater dicit ad Filium: *Tecum principium*, ut agnoscatur, Patrem & Filium unum esse principium. Nomen uerò uteri translato uocabulo dictum est, quo ipsa diuina significaret̃ natura: sicut corporalibus nominibus incorporalis substãtia Dei assolet nominari, ut sensus hominum consuetis naturæ suæ uocabulis, ad intelligentiã diuinitatis possit adduci. Dicuntur enim oculi Dei omnia uidere, sicut scriptum est: *In omni loco oculi Dei speculantur bonos & malos.* Quis autem dubitet, ita Deum per naturam suam totam uidere, sicut eum per naturæ infinitatẽ omnia fatemur implere? Sed & diuersa corporaliũ mẽbrorũ uocabula ob hoc in Deo inuenimus (ut dictum est) nominari, ut per harũ rerum efficientias, substantię ipsius incorporalis proprietas possit intelligi. Sic ergo & hîc se dixit, *ex utero* Filiũ genuisse, ut quem audimus ex utero genitũ, à natura Patris nullus existimet alienum.

Anthropopathicæ loquutiones.

Prou. 15.

Quod

Quod autem *ante luciferum* dixit, ostendit Filij natiuitatem perpetuam initio temporali non esse subiectam. Lucifer enim stellæ uocabulum est, & in initio mundi, cùm Deus luminaria & sydera cõdidisset, iussit ea esse in dies, & menses, & tempora, & annos, quibus nominum circulis tempus omne uoluitur. In splendoribus autem sanctorum, non rectè intellecta sunt uaticinia prophetarum. Splendor enim sanctorum, non in officio prædicationis, sed in resurrectionis claritate consistit. De quo splendore Dominus dicit: *Tunc iusti fulgebunt, sicut sol in regno Patris sui.* Hunc splendorẽ futuræ resurrectionis, his uerbis etiam Daniel Propheta commemorat: *Et multi dormientiũ in terræ fossura, in opertione exurgent: hi in vitam æternam, & hi in opprobriũ & confusionem perpetuam: Et intelligẽtes splendebunt, vt splendor firmamenti. Et ex iustis multi sicut stellæ in sæcula.* Hic aũt splendor tũc sanctis à Domino tribuetur, quando secundùm Apostoli dictum, reformabit corpus humili-

Matth. 13.

Dan. 12.

Phil. 3.

tatis nostræ, conforme corpori claritatis suæ. In hoc ergo splendore, tunc integrè sancti intelligent Patrem & Filiũ unum principium esse, nec à se inuicem uel substantia uel maiestate distare.

Licet ergo confiteamur, Filium secũdùm carnem ex utero uirginis procreatum: non tamen ambigimus de utero Patris, id est, de Patris substantia genitum. Imò sic confitemur Filium de utero Dei uerum Deum natum esse, sicut de uirginis utero uerum nõ dubitamus hominem processisse: ne (quod absit) si de matris substantia uerus homo natus credatur, & uerus Deus de Patris substãtia denegetur, potior æstimetur humana natura (quæ id quod est, procreare potuit) quam diuina substantia, quę uerum Deum generare non ualuit.

10 *OBIECTIO.*

Non est minimum dedecus, ut fraudibus proprijs decipiatur malè intelligẽs animus, ut aliquando duo dicantur esse unus, aliquãdo tres unus. Nunquid nõ occurrat beneficij munus, quãdo unus

non

non est cum duobus designatus? Ludibriũ est credere, ex tribus partibus Deũ unum cõstare, cùm adhuc (quod peius est) dicitur de eis, quòd sic credendus est unus Deus, cùm non sit ipse Pater, qui Filius, non ipse Filius, qui Spiritus sanctus. De quibus profitentur differentias inter se habere, honorem uerò unusquisque suum non posse habere, nisi malignum pectus eos in uno Deo inueniatur copulare.

RESPONSIO.

Nullis fraudibus nec proprijs aut alienis decipitur, qui Deum unum sic colit, ut in Trinitate nouerit, nec personas confundere, nec substantiam separare: & illam unam naturam unum Deum intelligit, in qua æternitatem ueræ diuinitatis agnoscit. Dicitur enim nobis: *Audi Israël, Dominus Deus tuus, Dominus vnus est.* Item: *Dominum Deum adorabis, & illi soli seruies.* Quod si Dominum Deum, solùm Patrẽ accipere debemus: Filio ergo nec ut Deo seruiamus: nec eum adoremus. Quicquid enim ad natu

In unitate essentiæ diuinæ tres esse hypostases.

Deut. 6.

ram Domini Dei solius non pertinet, ut Deus à nobis adorari non debet. Quid autem dicturi sumus de Filio, quem in cœlis, omnesq; uirtutes adorant semper & laudant, in tantum, ut etiam in forma serui positum & propter passionẽ mortis paulô minus ab angelis minoratum, adorare angeli iubeantur? Moyse dicẽte: *Lætamini cœli simul cum eo, & adorent eum omnes angeli Dei.* Hominum quoq; adorationem Dauid, diuinitùs inspiratus, adiungens, ait: *Adorabunt eum omnes reges terræ. Omnes gentes seruient ei.* Quomodo ergo & ab hominibus & ab angelis adoratur, si ab unius Dei substãtia separatur? Quomodo illi seruitutẽ, quæ Deo tantum debetur, audemus exhibere, si una non est illi natura cum Patre? Nam quia unus est Deus, ita nobis dicitur per Prophetam: *Ego Deus, & non est alius præter me: iustus & saluans non est alius præter me. Conuertimini ad me, & salui eritis: quia ab extremo terræ ego sum Deus, & non est alius. Per me ipsum iuro: quoniam exiuit ex ore meo iustitia, & verba*

Psalm. 97.

Esai. 45.

verba mea non auertentur. Mihi enim inclinauit vniuersitas genu, et iurauit omnis lingua per Deum. Ecce Deus in hoc loco se tantùm dicens Deum, prçter se alium non esse testatur. Quod si quisquam omnem hic noluerit Trinitatem accipere, cogetur hanc uocem soli Filio deputare. Quis enim Deus, præter quem alius non est, nisi ille, cui Esaias dicit: *Laborauit Aegyptus, & mercatus Aethiopum & Saba viri excelsi ad te transibunt, & tui erunt serui, & post te sequentur alligati vinculis, & adorabunt te, & in te deprecabantur, quoniam in te est Deus, & non est Deus præter te. Tu enim es Deus, & nesciebamus, Deus Israël Saluator. Erubescent & pudebunt omnes qui aduersantur ei, & ibunt cum confusione.* Ecce in ipso est Deus, & præter ipsum non est Deus, & ipse est Deus Israël Saluator. Superiùs autē is qui dixit: *Ego Deus, & non est alius præter me*, adiunxit: *Iustus et saluans non est alius præter me.* Quis autem iustus est? nisi cui Dauid dicit: *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem.* Quis uerò

Ibidem.

Psal. 4.

est saluās? nisi de quo angelus in somnis
Matth. 1. ad Ioseph locutus est dicens: *Ioseph fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Pariet autem Filium, & vocabis nomen eius Iesum: ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorū.* Cui uerò conuenit dicere: *Conuertimini ad me & salui eritis, quia ab extremo terræ ego sum Deus, & nō est alius*: nisi Filio?
Psalm. 21. De quo Dauid dicit: *Reminiscentur & conuertentur ad Dominum vniuersi fines terræ, & adorabūt in conspectu eius omnes patriæ gentium.* Quod ergo sequitur: *Per me ipsum iuro*: Quis hoc credendus est dicere, nisi qui hoc modo inuenitur Abrahæ antè iurasse? Hunc autem nō Patrem, sed Filium asserunt, qui Filium à Patre secundùm diuinam naturam minorem prædicare contendunt. Iste autem Deus, qui per semetipsum iurat, utrum maiorem se habeat, Paulus nobis beatus ostendit, qui ad Hebræos scribens, ait:
Heb. 6. *Abrahæ namq; promittens Deus: quoniam neminem habuit, per quem iuraret,*

ret, maiorem, iurauit per ſemetipſum, dicens: Niſi benedicens benedicam te, & multiplicans multiplicabo te. Iſte ergo Deus, qui per ſemetipſum iurat, quoniam neminem habet, per quem iuraret, maiorem, quid ſequitur uideamus. *Quoniam exibit,* inquit, *ex ore meo iuſtitia, & verba mea non auertentur. Mihi enim inclinauit vniuerſitas genu, & iurauit omnis lingua per Deum.* De cuius ore ergo exijt iuſtitia? niſi eius, de quo dixit Eſaias: *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet, & requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini.* Et poſt paululum: *Iudicabit in iuſtitia pauperes & arguet in æquitate pro manſuetis terram.* Sequitur deinde: *Iſte Deus præter quem nō eſt alius:* & dicit: *Verba mea non auertentur.* Cuius autem hæc uox eſt? niſi illius, qui in Euangelio dicit: *Cælum & terra tranſibunt: verba autem mea non tranſibunt.* Item adiungit Deus iſte prҿter quem nō eſt alius, & dicit: *Mihi enim inclinauit vniuerſitas genu, & iurauit omnis lingua per Deum.* Hoc autem de quo intelligi debeat,

Ieſa. 11.

Matth. 24.

debeat, Paulus nobis magiſterio Chriſti doctus, oſtendat, qui ſcribens ad Romanos ſic ait: *Nemo enim noſtrûm ſibi viuit, & nemo ſibi moritur: ſiue enim viuimus, Domino viuimus, ſiue morimur, Domino morimur: ſiue ergo viuimus ſiue morimur, Domini ſumus.* Et ut ſe de Chriſto dixiſſe monſtraret, adiunxit: *In hoc enim Chriſtus et mortuus eſt et reſurrexit, vt et mortuorũ et viuorum dominetur. Tu autem iudicas fratrem tuum, aut tu quare ſpernis fratrem tuum? Omnes enim ſtabimus ante tribunal Dei:* ſtatim hoc propheticum ſubijcit teſtimonium, dicens: *Scriptum eſt enim: Viuo ego, dicit Dominus: quoniam mihi flectetur omne genu & omnis lingua confitebitur Deo.* Ante tribunal uerò Chriſti, nos aſtaturos ipſe denuò teſtatur, dicens: *Omnes enim manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt recipiat vnuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſiue bonum ſiue malum.* Ipſi quoq; omne genu flectendum, idem docet Apoſtolus dicens: *Vt in nomine Ieſu omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium, & infer-*

Rom. 14.

2. Cor. 5.

Phil. 2.

infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris.

Iam nunc omnia quæ superiùs dicta sunt, denuò consideremus. Dicit Deus: *Ego Deus, & non est alius præter me.* Et in Iesa.45. persona Filij dicit Esaias: *Quoniam in te est Deus, & præter te non est Deus. Tu enim* Ibidem. *es Deus, & nesciebamus. Deus Israël Saluator.* Deus autem Israël Deus unus est. Sequitur autem. †. Cætera quæ testimo- †. nijs supradictis ad Filium ostendimus pertinere. Ipse enim per semetipsum iurat, neminem habens maiorem. Ipse populum suum saluat: Ipse iùstè iudicat. Ipsi flectitur omne genu cœlestium, terrestrium, & infernorum. Ipsi omnis lingua confitetur, à quo est retributio reddenda factorum. Ipse ergo, de quo hæc omnia dicuntur, per Prophetam dicit: *Ego Deus, & non est alius præter me.* Nunquid autem Deum istum, præter quem alius non est, ita solùm Filiũ accipimus, ut ab eo Patrem & Spiritum sanctum separemus? Absit. Hoc enim impossibile

bile est. Nam præter Deũ Patrẽ Deus Filius nõ est: quia de Patre est, & in Patre est. Pręter Patrẽ & Filiũ Spiritus sanctus non est: quia Patris & Filij Spiritus est, & in Patre & in Filio est. Vnde cognoscitur, quoniam ista Trinitas unus Dominus Deus est, de quo dicitur: *Audi Israël, Dominus Deus tuus, Dominus vnus est*: Et, *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli seruies*. Huic Domino etiam Esaias propheta dicit: *Domine præter te alium non nouimus, nomen tuum nominamus*. Hoc autem nomen Saluator noster ostendit, dicens discipulis suis: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filij & Spiritus sancti*. Istud enim nomen Domini præter quem alium non nouimus, & cuius nomine nominato, à morte liberamur, de potestate tenebrarum eruimur, ut in regnum Filij transferamur.

Deut. 6.

Matth. 28.

In Patre ergo & Filio & Spiritu sancto unitatem substantię accipimus, personas confundere non audemus. Beatus enim Ioãnes Apostolus testatur di-

cens:

cens: *Tres sunt, qui testimonium perhibent in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus. Et tres vnum sunt.* Quod etiam beatissimus martyr Cyprianus, in Epistola de unitate ecclesiæ confitetur, dicens: *Qui pacem Christi & concordiam rumpit, aduersus Christum facit: qui alibi præter ecclesiam colligit, Christi ecclesiam spargit.* Atque ut unam ecclesiam unius Dei esse monstraret, hæc confestim testimonia de Scripturis inseruit: dicit Dominus: *Ego & Pater vnum sumus.* Et iterum: *De Patre & Filio & Spiritu sancto scriptum est, & tres vnum sunt.* Nam & in libro de Oratione dominica, ut ostenderet Trinitatem unius deitatis esse, nec inter se aliquam diuersitatem habere, Danielē & tres pueros, ternarum horarum circulis reuolutis, orationem fundere solitos, memorauit: ubi & in trium horarũ curriculo, & in unius orationis officio, unum Deum esse Trinitatem euidenter ostendit.

1. Ioan. 5.

Ioan. 10.

Non triplex, sed unus Deus.

Non ergo ex tribus partibus unum colimus Deum, sed Apostolicę fidei regulam

gulam

gulam retinentes, perfectum & consempiternum Filium, de perfecto & sempiterno Patre, sine initio genitum, & potestate non imparem, & natura fatemur æqualem: Sanctum quoqꝫ spiritum non aliud fatemur esse quàm Deum, nec à Filio, nec à Patre diuersum, nec in Filio, nec in Patre confusum. Vnus est enim, atque idem Patris & Filij spiritus, totus de Patre procedens, totus in utroque consistens, nec est diuisus in singulis: quia inseparabiliter est utrisque communis.

BEATI

Beati Fulgentij

DE MYSTERIO MEDIATORIS CHRISTI, LIBRI III.

AD

TRASIMVNDVM Vandalorum in Aphrica Regem.

Primus est, de persona Christi duas naturas in vna hypostasi integrè retinentis.

Secundus, de immensitate diuinitatis eius.

Tertius, de eiusdem passione.

O BEA-

BEATI FVLGENTII, AD TRASIMVNDVM VANDALORVM REGEM:

LIBER PRIMVS.

De mysterio Mediatoris Christi, duas naturas in una persona retinentis.



Scriptionis horũ librorũ ἀφορμή.

RIVMPHALIBVS tuis ſenſibus, pijſsime Rex, nequaquam crediderim obliuioni ſubtractum, quòd nuper mihi quoddã uolumen, baiulo Fœlice, præceperis deſtinari, iubens me illicò reſpondere. Cuius quia tanta fuit prolixitas, ut egeret aliquando diutiùs recenſeri, & diurni finis aderat, nocte propinquante, curriculi: uix eiuſdem uoluminis principia citatæ delibans lectionis excurſu, popoſceram, ut ad cuncta plenę recenſionis ordine perlegenda, noctis unius nobis ſpaciũ fuiſſet indultum. Quod ueſtrę manſuetudinis uoluntas omnino ſtatuit abnegandum, ita, ut nec ſaltim ad reſidua perlegenda

genda Scripturæ nobis pręcepisses attribui.

Ego uerò, cùm spacio quorundā dierum ordinationem tui culminis præstolarer, ac deinceps interrogationis illius tenore subtracto, sola fuisset à nobis flagitata responsio: pauca, quibus (Domino adiuuante) nostri paruitas sufficit ingenij, de eadem interrogatione, quam ex principio tenuiter cognoui, uestrę recensendam mansuetudini destinaui: nè forsitan, aut fastidio putarer tumidus, aut taciturnitatis culpa iudicarer obstrictus, quem uestra celsitudo suspicaretur, aut superbia respōsionem non reddere, aut ueræ fidei diffidentia tacuisse.

Nā studio uestro, clementissime Rex, compertum esse nō ambigo, apud eos, qui Christianæ gratia participatione redempti sunt, penè id esse fidem nolle asserere, quod negare. Quippe cùm ipse unigenitus Deus, humani generis conditor & redemptor, sicut se confessurum confitentem, se negaturum negantem, certa prorsus denūciatione testatur, di-

Veritatis dissimulatio, abnegationis species est.

Matth. 10. cens: *Qui me confitebitur coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo qui est in cælis. Qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui est in cælis.* Ita denuò erubescentem se suosq; sermones, ipse quoque in sua maiestate ueniens erubescet. Cuius dicti normam, tali Lucas sententia cognoscitur posuisse, ubi huius confusionis sic exitiale firmat taciturus silẽtium, ut erubescentem perditioni nõ sileat mancipãdum, inter alia Dominum

Luc. 9. hæc dixisse commemorans: *Quid enim proficit homini, si lucretur vniuersum mũdum, se autem ipsum perdat, & detrimentum sui faciat?* Causamq; huius perditionis insinuans, adiecit: *Nam qui me erubuerit & meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cùm venerit in maiestate sua & Patris & sanctorum angelorum.* Nec immeritò talis seruus & abijcitur & punitur: quoniam uno eodemq; silẽtio firmat errorem, qui errore, seu tempore possessus, silendo non adstruit ueritatẽ: dominicam quoque gloriam qui non firmâ-

firmârit, euacuat: & diuinam contumeliam qui non refutârit, accumulat. Plerũq; miles ignauus, regia castra, somnolento corpore depressus, oppugnantib. tradit, dum competentibus excubijs nõ defendit.

Hæc idcirco quàm maximè præmittenda, ne superbæ responsionis aliquatenus notare tuà pietas uelit, cui ipsa respondẽdi necessitas officium liberæ responsionis imponit. Nam cùm de Deo res agitur, non leuis reatus est, si quod ad salutem pertinet, taceatur. Ita namq; nos oportet corde ad iustitiam credere, ut oris confessio fiat pariter ad salutem, quoniam uerbum Dei nõ est uinctum. *Amouet à se arrogantiæ suspicionem.*

Huc accedit, quod illud diuinæ præceptionis oraculum, omnis ecclesiastici prędicatoris personam, nõ tantùm fidei, sed etiam seruitij quadam cõmunione perstringit, dicente Domino: *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuã.* Quod Esaiæ cùm dicitur, in uno pluribus imperatur, ipso unigenito Deo discipulis loquente: *Quod vni vestrûm dico, omni-* *Esai. 58.*

bus dico. Propterea nos etiam beatus Petrus ad reſpondendum paratos eſſe
1.Pet.3. debere, paternę iubet dilectionis inſtinctu: *Parati*, inquiens, *ſemper ad reſpondendum omni poſcenti vos rationem de fide & ſpe, quæ in vobis eſt*. Cum omni poſcenti rationem fidei ſpeiq́ꝫ noſtræ præcipimur reddere, ceſſat prorſus uniuerſæ tàm dignitatis exceptio quàm perſonæ. Cùm enim ueritatis inſinuatio deneganda putabitur, cùm ſe loquutum ſine confuſione coram regibus Propheta teſtatur, dicens:
Pſal.119. *Loquebar in teſtimonÿs tuis in conſpectu regum, & non confundebar?*

Quocirca cùm pro noſtra fide, inquantum facultatum diuinitùs accepimus, liberè reſpondemus, nulla contumaciæ ſeu contumeliæ debemus ſuſpicatione notari, cùm nec regiæ ſimus dignitatis immemores, ſciamusq́ꝫ Deo timorem, honorem regibus exhibēdum, Apoſtolica ita nos præmonente doctrina: *Reddite omnibus debita*. Et paulò
Rom.13. poſt: *Cui timorem, timorem: cui honorem, ho-*

honorem. Huius timoris honorisq́ manifesta nobis beatus Petrus aperuit discretione notitiam, dicens: *Sicut serui* 1. Pet. 2.
Dei omnes honorate, fraternitatem diligite, Deum timete, regem autem honorificate. Non autem parum clementiæ tuę dilectionis exhibet & honoris, quisquis interroganti tibi hoc respondet, quod ad fidem pertinet ueritatis. Competens igitur mansuetudini tuæ deferimus honoris obsequium, cui regalis apicē culminis diuina cernimus largitate collatum. Nec tamen quenquam sapientem fugit, quanto sempiternus ille Rex regum & Dominus dominantium timore debeat suspici, qui temporales etiam reges præcipit honorari. Hūc siquis parum metuit, ualde contemnit: huius qui non memorat honorificentiam, auget iniuriam: nec ingrati refugit culpā, qui creatoris immensitatem perpetuam & perpetuitatem immensam creaturæ putauerit qualitatibus æstimandam.

Hoc benigna māsuetudo tua proculdubio perspicit, hoc ingenij studijq́ tui

Trasimundi regis laus.
sagacitas recognoscit, quam uerè mirandam, quisquis nouit considerare, pronunciat. Non quòd insolitum sit, hominem scripturarum studijs insistere: sed quòd rarum hactenus habeatur, barbari regis animum numerosis regni curis iugiter occupatum, tam feruẽte cognoscendæ sapientiæ delectatione flammari, cum huiuscemodi semper infatigabiles nisus, non nisi uel ociosus quis habere soleat, uel Romanus. Per te, clementissime Rex, per te inquam, disciplinæ studia moliuntur iura Barbaricæ gentis inuadere, quæ sibi uelut uernacula proprietate solet inscitiam uendicare. Inuẽtus es, qui teipso potior extitisses, dum sic Aphricano præsides moderando regimini, ut magis desideres animę spacia dilatare quàm regni. Nosti uenerabilis Rex, & (ut non ambigo) firma tenes sententia comprobatum, quãtò melioribus inhæreat commodis, qui ueritatẽ desiderat nosse, quàm qui subactis gentibus, tẽporalis fines regni cupit latiùs propagare. Magnum bonum confert inquisi-

inquisitio ueritatis, quæ tamē tunc desiderato nō frustratur effectu, si rectis ad ueri cognitionem lineis animus innitatur. Tunc etiam ueloci proderit ingenio cucurrisse, si tendentis ad ueritatē gressus, nullo prauitatis teneantur errore.

Qualiter autem salubris est credulitas æstimanda, quæ putat in eo cultum religionis diuinę consistere, ut uel naturali ueritate sit priuanda diuinitas, dum negatur in ea, quod non negatur in homine? uel, cum redēptionis nostræ peruertitur incerta confusione mysterium, ut Dominum Christum, Dei & hominis Filium, uel Deum de Patre naturaliter uerū, uel hominem quis audeat negare perfectum? aut si subiacuisse diuinitas æstimetur passionibus hominis? uel non totus homo fuisse credatur in uirtutibus deitatis? Ac sic non dissimili ueritas euacuat̃ errore, si uel in una persona ueri Dei uerique hominis Christi, quod diuersum substantialiter constat esse, cōfunditur: uel in diuinitate Patris & Filij & Spiritus sancti, substantiali di- *Veritatis studioso errorum scopuli cautè uitādi.*

uersitate credita, quod unum atque indiuisibile Trinitatis est, separatur: cùm nec diuina simplicitas particularem sibi diuersitatem adscribi permittat, unde non immeritò compositioni subiaceat, nec rationalis intelligentia cultu diuersitatis ullatenus egeat, quæ unius tantũ simplicis sempiternæq; naturæ fidẽ, ad salutis suæ plenitudinem sat esse cognoscat: utpote, quæ non ignoret, ipsum Deũ sibi cœlestibus oraculis intonare:
Deu. 6. *Audi Israël, Dominus Deus tuus, Deus vnus est.* Et, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* &, *non erunt tibi dij absque me.*

Sed nec illud est humanis mentibus ignorandum, quanto salutis mutetur æternæ dispendio, quisquis ueri Dei proprio unigenitoq; Filio, quãtum ad diuinitatis attinet immensam sempiternamqúe substantiam, uel localis motionis, uel cuiusquam mutabilitatis, non metuat impijs mortiferisq; contumeliã cogitationibus uel sermonibus irrogare. Vnde non immeritò Dauidici carminis

illos ita condemnat eloquium. *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus:* quia reuera, si localis, non immensus, si mutabilis, non est Deus. *Psal. 14.*

Certum est autem, penè omnes hereticæ prauitatis errores hinc quibusdam multipliciter subrepsisse, dum magnum pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit angelis, prędicatum est gentibus, creditum est in hoc mũdo, assumptum est in gloria, nonnulli aut non sicut est credunt, aut omnino non credũt: Et ille lapis, qui ab ædificantibus reprobatus, in caput factus est anguli, quibusdam prauæ credulitatis cæcitate possessis, lapis offensionis & petra scandali efficitur. Vnde non immeritò, cùm Simeon infantẽ Christum, templi Dominũ, ad templum suum præcepto suæ legis allatum, gaudẽs ulnis meruisset gestare senilibus, & figuram gerens præsentis æui, carnali senio iam defessi, nouum uetulus hominẽ sumeret, eum scilicet, qui solus posset ex peccatoribus (longæuo

Cur in persona Christi tã multi circa fidem impingant.

dicenti:

Psal. 25. dicẽti: *Tu es Deus Saluator meus, & te expectaui toto die*) non ſolùm inolitam uetuſtatem demere, quinetiam iuuentutẽ, ſicut aquilę, renouare, (utpote cui etiam Apoſtolica tuba foret ueraciter canitura: *Sicut eſt veritas in Ieſu, deponere vos ſecundùm priſtinam conuerſationem veterem hominem, qui corrumpitur ſecundùm deſideria erroris, renouamini autem ſpiritu mentis veſtræ, & induite nouum, eum qui ſecundùm Deum creatus eſt in iuſtitia & ſanctitate veritatis,*) ille igitur Simeõ, mundanæ cernens adeſſe ſaluationis ac renouationis effectum, (*non enim miſit Deus Filium ſuum vt iudicet mũdum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum*) cùm primùm ſe uitæ præſentis angoribus precaretur abſolui, dicẽs: *Nunc dimittis ſeruum tuum Domine ſecundùm verbum tuum in pace. Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum. Quod paraſti ante faciem omnium populorum. Lumen ad reuelationẽ gentium, & gloriam plebis tuæ Iſraël:* paulò poſt hoc de ipſo teſtatur: *Ecce poſitus eſt hic in ruinam & reſurrectionem multorum.*

Ephe. 4.

Ioan. 3.

Luc. 2.

torum. Ibi ergo malè credẽtibus ruinam perfidia generat, ubi recta credulitas fideles exaltat. In uno eodemqúe Christo uero Dei, ueroq; hominis Filio, minùs perspicientium tenebratur hactenus lippitudo, in quo illuminatis ueri luminis claret manifesta cognitio. Inde est, quòd Iudæus hominem Christũ, cæcus uidit & cecidit, cui iampridem Esaias non destitit prædicare: *Aure audietis & non intelligetis, & videntes videbitis & non videbitis*. Quid uerò essent non uisuri uidentes, subsequutus ostendit, dum Deum ex uirgine nasciturum euidenti uaticinatione testatur: *Ecce*, inquiens, *virgo in vtero concipiet, & pariet Filium, & vocabitis nomen eius Emanuel*, quod interpretatur Euangelista, dicens: *Nobiscum Deus*. Audiens ergo Iudęus, remansit surdus, & uidens, magis factus est cæcus, à quo nec ueri Patris sempiternus atq; unigenitus Filius creditur, & incorruptæ uirginitatis fœcũditas abnegatᵉ. *Esai.7.* *Esai.7.* *Matth.1.*

Hinc etiam Manichæus in Deo uero ueram carnem formidat credere, cùm hu- *Manichaeorũ error.*

humanam carnem, non uitio culpæ, sed naturali credens proprietate pollutam, natura malignam sibi mẽdaciter fingit, eiq́ tantam uirtutem cæcus attribuit, ut si crediderit, uerum Deum ueram carnis assumpsisse naturam, diuinitatem (quã fallaci professione dicit inquinabilem) carnis nõ credat pollutionis expertem: & ideò in Christo carnis phantasiã credere maluit, quàm naturam. Et dum infirmitatem humanam, ab illa susceptam, medicinali uirtute nõ uidit, semetipsum miser à remedio salutis exclusit.

Sed hæc impuræ dementia falsitatis, sancti Spiritus præsciẽtia resistẽte, priùs est extincta quàm genita, incoinquinabilem sapientiæ statum his uerbis instrumenti ueteris serie commẽdante: *Omnium mobilitatum mobilior est sapientia, attingit autem vbique propter suam mundiciam. Vapor est enim virtutis Dei, & manatio quædam claritatis omnipotentis Dei syncera, & Deo nihil inquinamenti in illam incurrit. Splendor est enim lucis æternæ, & speculum sine macula Dei* Sap.7.

maie-

maiestatis, et imago bonitatis illius, & cùm sit vna, omnia potest, & permanens in se, omnia innouat. De qua sapientiæ incoinquinabilitate, atque incarnationis ueritate securus ille, qui de pectore ipsius sapientiæ mysteriorum cœlestium meruit intelligentiam illuminatus haurire, fiducialiter dicit: *Omnis spiritus, qui confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo est. Omnis spiritus, qui non confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo nõ est. Et hic est Antichristus.* Fetulẽtæ quippe carnis inquinamẽta nõ sensit, qui ad suscipiendam ueram substãtiam carnis, & eandem mundandam carnis fetulentiam, uenit. Quoniã ideò carnem immaculatam dignatus est sumere, ut carnem saluans, omnem posset carnis maculam submouere, memorato rursus Ioãne testante: *Scimus quia ille apparuit, vt peccata tolleret, & peccatum in eo non est.* Iterũ: *In hoc apparuit Filius Dei, vt soluat opera diaboli.* Nam quia opus uinculo tenebatur diabolici operis, apparuit Filius Dei, ut illud solueret, hoc saluaret. 1. Ioan. 4. Ibid. 3.

Igno-

Photini hæresis. *1. Tim. 2.* Ignorat etiã Fotinus *magnum pietatis*, quod Apostolus memorat, *sacramentũ*, qui Christi ex uirgine fatetur exordiũ, ignorãs, in uno Christo sic esse credendã ueritatem carnis ex tempore, ut negãda nõ sit naturalis ueritas sempiternæ diuinitatis ex Patre. Et propterea non credit sine initio substantialiter Deum natũ ex Deo Patre, in quo carnis ueritatem confitetur ex uirgine: non intelligens, de Patre Deo substantialiter natum illud uerbum, quod in plenitudine temporũ caro factum, habitat in nobis, quod secundum diuinã, quam habet ex Patre, substantiam, in principio erat, & apud Deum erat, & Deus erat. Quibus tribus Euangelistę sententijs, & sempiterna uerbi natiuitas, & personalis incõfusa proprietas, & indiscreta substantialis unitas Patris Filijque monstratur. Vt in uerbo caro facto, & habitante in nobis, quod in principio erat, sempiternitatis agnitio suspicionem cœptæ natiuitatis auferret: quod apud Deum erat, personæ utriusque inconfusa proprietas, unionem Sabel-

Sabelliani erroris excluderet: quod autem Deus erat, essentialis nominis ueritas unitatem substantiæ genitoris genitiqúe monstraret. Non enim dixit Ioannes: Deus dictus est uerbum, sed Deus erat uerbũ: ut dum in Deo uerbo essentiæ diuinæ ueritas naturalis agnoscitur, consequenter non nuncupatiui, sed naturalis nominis ueritas probaretur. "Veritas enim naturæ nunquam priuatur "nominis ueritate. "Atque sic illa uerbi non prolatiui, sed substantialis uerissima incarnatio tunc salubriter creditur, si æternum uerbum, quod carnem nostram suscepit ex tempore, nõ initio existendi subditum, non persona cum Patre confusum, non alium natura credamus esse, quàm Deum.

Aliæ de persona Christi ψευδοδοξίαι.

Sunt etiam quidam, in eo quamplurimùm gratiæ Saluatoris ingrati, quòd in Christo, Deo scilicet hominequé perfecto, sic se asserunt accipere Dei hominisq́; naturam, ut unam falsam, alteram semiplenam non dubitent in Dei Filio prædicare substantiam. Nam uerã Chri-

sti deitatem nolūt credere, cuius ex Deo Patre ueram natiuitatem negant substātialiter extitisse, uolentes Deo Filio naturam ueri nominis adimere, cui nequeunt nomen naturalis ueritatis auferre. Dicunt enim in unigeniti Dei nomine non naturalē ex Patris generatione substantiam, sed nuncupationem solius esse uocabuli donatione concessam. Humanam quoque naturam sic in Christo credunt, ut quod est melius hominis, adimant: quod est inferius, hoc relinquant. Et minùs considerantes magnum pietatis, quod Apostolus memorat, sacramentum, ab illa Mediatoris mirabili susceptione rationalem nituntur animam separare, quam in Mediatore Dei & hominum penitùs asserunt non fuisse.

Appollinaristæ.

Aliud quoq; ab istis adijcitur memorato errori piaculum, quo confusionis admittūt teterrimæ cauponatum. Nam in unitate personæ (in qua Deus & homo, unus Christus, inconfusibilem atq; inseparabilem utriusq; ueritatem naturę commendans, uerum se Deum diuinis operi-

operibus, uerumq; hominem humanis passionibus demonstrauit, impassibile habens, per quod homo creatus est sanus: passibile suscipiens, per quod sanaretur infirmus) sic isti nescio qua deceptione falluntur, ut quicquid Dominus, ueram formæ seruilis susceptionem monstrans, humiliter gessit aut dixit, totum ad cõtumeliam diuinitatis deriuare non metuant, quam passioni mutabilitatis subijciunt, dum utriusque naturæ ueritatem, tàm dictorum quàm operum manifestatione clarissima resplendentẽ, nulla consideratione distinguunt: non attendentes, ubi demonstretur infirmitas, ab inuicta & impassibili uirtute suscepta, ubi per infirmitatem resplendeãt inuictæ uirtutis insignia: atque ita diuini mysterij frustrare conantur effectum. Qui reuera homo saluari non potuit, si uel susceptor hominis naturaliter uerus Deus non fuit: uel in Dei ueri susceptione aliquid hominis defuit.

Et ut omne submoueatur dubitationis ambiguum, in una Mediatoris Dei

Christus uerè θεάνθρωπος.

& hominum hominis Christi persona, perfectio diuinæ humanæq́ substantię, propheticis est Apostolicisq́ue testimonijs demonstranda. Esaias, (sicut suprà memorauimus) dicit: *Ecce virgo in vtero concipiet, & pariet Filium, & vocabis nomē eius Emanuel. Butyrum & mel manducabit, priusquam sciat aut proferat maligna, mutabit bonum. Quoniam priusquā sciat puer bonum aut malum, non credit malitiæ, vt eligat quod bonum est & relinquetur terra desolata. Quoniam priusquā sciat puer vocare patrem aut matrem, accipiet virtutē Damasci, & spolia Samariæ.*

Iesa. 7.

In hoc testimonio tota continetur salutaris mysterij plenitudo. Nam ueritas carnis in uirginali conceptu cognoscitur, & in electione boni anima intellectualis ostenditur, & in Emanuel nomine uera deitatis natura monstratur. Ac sic in uero Deo nec falsa fuit hominis, nec semiplena susceptio. Dignū etenim fuit, ut in sacramento redemptionis humanæ, nec ueritas defuisset perfectioni, nec perfectio ueritati. Nam si uera caro in

in Christo non fuit, quid in utero uirgo concepit? Et si anima uel intellectus naturæ in Christo defuisse credetur humanæ, quid in infante bonum malumq́ dicitur ignorasse? An illam diuinam Filij Dei naturā ignorantię boni maliq́ subijcimus, ut humanam in Christo animam denegemus? Itáne credendus est homo susceptus à Deo, quæ Dei sunt aliquatenus potuisse sapere, in quo ipsa sapientia cognitione boni maliqúe dicitur caruisse?

Anima igitur humana, quæ rationis capax naturaliter facta est, bonum malumq́ in infante Christo nesciisse dicitur, quę secundum euangelicam ueritatem, in puero Iesu sapiētia & gratia profecisse narratur, sicut Lucas ponit & dicit: *Puer autem crescebat et confortabatur, plenus sapientiæ, & gratia Dei erat in illo.* Et paulò pòst: *Iesus proficiebat sapiētia, ætate & gratia apud Deum & homines.* Nam sicut carnis est, ætate proficere, sic est animæ, sapientia & gratia profecisse: quę tamen in sapientia nullatenus profice-

Humanitas Christi anima rationali non est destituta.

Luc. 2.

ret, si naturalem intelligentiam (quę hominibus rationis causa concessa est) nō
„ haberet. Non quia hoc susceptor Deus
„ eguit, sed quia hoc pro remedio nostræ
„ salutis effectus piæ susceptionis exegit,
„ ut dum caro & anima rationalis à Deo
„ suscipitur, utraq; pariter saluaretur. Nā nec caro ipsa fuit à Dei Filio suscipiēda, nisi diuina fuisset susceptione saluanda. Quod si Deus carne non eguit, sed ut eam saluaret accepit, ita nec anima rationali Deus eguit, sed eam saluandam cū carne suscepit. Cuius animæ humanæ susceptionem prophetico more Dauid

Psal. 45. sanctus intimat, dicens: *Ecce enim Deus adiuuat me, & Dominus susceptor est animæ.* Adiuuit utiq; quam suscepit, quam proculdubio, nisi susciperet, nō iuuisset.

Luc. 15. *Aliud argumentū de tota humana natura à Christo assūpta.*

Necessarium autem reor, perfectam hominis in Christo susceptionem, Euāgelicæ quoq; parabolæ recēsitione mōstrandā: ouis scilicet erraticę, quam proprijs humeris subuectam Dominus reportauit ad domum, cuius quærendæ Dauid iam pridē flagitabat lachrymabili

bili postulatione subsidium, dicens: *Erraui sicut ouis quæ perierat, require seruũ tuum.* Cùm ergo murmurarent Pharisæi & Scribæ, dicentes: *Quia hic peccatores recipit & manducat cum illis:* refert Euangelista, quòd hanc eis Dominus parabolam dixerit: *Quis ex vobis homo, qui habet centum oues, & si perdiderit vnam ex illis, nónne dimittit nonagintanouem in deserto, & vadit ad illam quæ perierat, donec inueniat illam? Et cùm inuenerit eam, imponet in humeros suos gaudẽs, & veniẽs domum, conuocat amicos & vicinos, dicẽs illis: Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam quæ perierat.* Hanc ouem, in qua peccatoris hominis natura signatur, quali errore dicemus errasse? cordis an corporis? errore pedum an errore morum? Non opinor quẽquam sic humanæ cogitationis exortem, qui putet hominem quomodolibet à Deo longinquitate habitationis, & non peruersitate cogitationis errare. In uia Dei, nõ " gressu corporis, sed mentis ambulatur " incessu. Via Dei fides est recta, quæ in- "

Psal. 119.

Luc. 15.

Error amissæ ouis Euãgelicæ qualis

tantum uia prorſus oſtenditur, ut in ea
2. Cor. 5. nos Apoſtolus ambulare teſtetur: *Per fidem*, inquiẽs, *ambulamus, non per ſpeciẽ.*
Via Domini iuſtitia eſt, per quam ſe beatus Dauid deductum eſſe cõmemorat,
Pſal. 23. dicens: *Super aquam refectionis educauit me, animam meam conuertit. Deduxit me ſuper ſemitas iuſtitiæ, propter nomen ſuũ.*
Viæ etiam Domini miſericordia & ueritas, per quas utique nõ corporis greſſu, ſed animæ magis ambulatur affectu.
Hanc nobis ambulandi doctrinam beatus Ioannes intimat, dicens: *Qui dicit ſe*
1. Ioan. 2. *in Chriſto manere, debet, quemadmodum ille ambulauit, & ipſe ambulare.* Qua uia ſe præcipit Chriſtus ipſe ſequendum, di-
Matth. 19. cens: *Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo, & veni, ſequere me.* Nõ ergo corporali greſſu ſolo quiſquam ſequitur Chriſtũ, aut errat à Chriſto. Equidem erroris huius qualitatem Dominus ipſe Saluatorq́ noſter, dum Sadducæos increparet, oſtendit, dicẽs:
Matth. 22. *Erratis, neſcientes Scripturas, neque virtu-*

tem

tem Dei. Propterea utiq; miserabiliter errabant, quia illum, qui Dei uirtus est, nesciebant. Sicut ergo uirtutis Dei scientia tenax est cœlestis itineris: sic est inscitia mater erroris. Quod etiã beatus Dauid ostendit, dicens de quibusdam: *Nescierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant.* Psal. 82.

His atque huiusmodi testimonijs euidentissimè demonstratur, ouis illius errorem, non solùm corpori, sed etiam animæ deputãdum, illa scilicet ratione, quoniam etsi ab homine corporaliter uideatur aliquod admitti peccatũ, ex corde sumit exordiũ, nec extrinsecus quicquam perficitur, nisi hoc intrinsecus cogitationis iudicio porrigatur. Cuius rei ueritatem ueritas nobis ipsa mõstrauit, ita discipulis loquens: *De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ: Hæc sunt, quæ coinquinãt hominem.* In hoc igitur unusquisque errat, in quo semetipsum malæ cogitationis assensione commaculat. Matth. 15.

Quapropter cùm error iste animæ simul intelligatur & corporis, si Dei Filius absq; anima rationali solam accepit hominis carnem, inferiorē partem illius ouis domū retulit, meliorē uerò (quod absit) errori perpetuo dereliquit. Nam manifestum est, quoniā hoc reuocauit, quod proprijs humeris reportauit. Si autem ipse totā se profitetur ouē proprijs humeris impositam reportasse, totus homo cognoscatur in Christo. Quoniam tunc est hominis credenda redemptio, si in Filio Dei susceptionis humanę, id est, ouis illius reportatæ, non defuit plenitudo. „ Hoc enim Deus in nobis saluauit, „ quod pro nobis accepit: & illam Deus „ Dei Filius naturā fecit participem salu„ tis æternæ, quā sibi coniunxit in unitate „ personæ. Illā in cœleste palatiū introdu„ xit, cū qua sponsus de thalamo uteri uirginalis exiuit. Ipse enim tanquam sponsus procedēs de thalamo suo, exultauit ut gigas ad currendam uiam. Quis autē moliatur dicere, uerbi Dei sponsam carnem fuisse, nō animam? cui animæ iampridem

Christus animā redemit: Ergo & animā habuit.

pridem dictum est ab ipso Domino per Prophetam: *Et despōsabo te mihi in æternum, & spōsabo te mihi ad iustitiam, & in iudicio, & in misericordia, & pietate.* Cuius mysterij Esaias quoq; testis fidelis existit, qui ex persona Christi loquentis hæc dicit: *Gaudēs gaudebo in Domino, & exultauit anima mea in Deo, qui induit me vestimentū salutis, & indumentū iustitiæ, circūdedit me, quasi spōsum decoratum corona, & quasi sponsam decoratam monilibus suis.* Ecce unus est sponsus, est & sponsa, qui se etiam animam habere testatur. Quam ut ostenderet, non sine intellectu susceptam, cor (quod proprium est animæ humanæ) simul cum carne in Deo exultasse, ex persona hominis suscepti monstrauit, dicens: *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Quia uerò naturæ primitias suscipiens Dominus, sicut in suo corpore cūctorū fidelium corpus, sic in sua anima uniuersorum fidelium animas, per naturæ unitatem & gratiam iustificationis accepit. Per hāc omnē ecclesiam in coniugium sibi

Osee.2. Iesa.61.

ſibi perpetuæ incorruptibilitatis adſciuit: cuius deſponſionis mirabile Sacramentum ſic fidelis ſponſi ſeruus ipſi ſponſæ commendat, ut mentis intelligatur magis eſſe quàm corporis, dicens:
2.Cor.11. *Deſpondi enim vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto. Timeo autem, ne, ſicut ſerpens Euam ſeduxit aſtutia ſua, ita corrumpantur ſenſus veſtri, & excidant à ſimplicitate, quæ eſt in Chriſto.* Ibi ergo ſpiritalis adulter corrumpere quærit caſtitatem uirginalis matrimonij, ubi cernit cœleſti ſponſo fidem cõnubij debere ſeruari.

Inaniter autem animæ charitatem cuſtodiri mandat Apoſtolus, ſi huius primitias coniunctionis in ſe nõ habuit homo à Deo ſuſceptus. Præſertim cùm caput & Corpus Chriſtum eccleſiamqúe doctor idem gentium prædicare non
Eph.1. ceſſet, dicens: *Secundùm operationem potentiæ virtutis eius, quam operatus eſt in Chriſto Ieſu, ſuſcitans illum à mortuis, & conſtituẽs ad dextram ſuam in cæleſtibus, ſupra omnem principatum & poteſtatem,*
&

& virtutem, & dominationem & omne nomen quod nominatur, non solùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro: & omnia subiecit sub pedibus eius; & ipsum dedit caput supra omnē ecclesiam, quæ est corpus ipsius, plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimplet. Alio quoque loco dicitur: *Vir caput est mulieris, sicut Christus caput est ecclesiæ, ipse Saluator corporis.* Quomodo ergo anima ecclesiæ poterit saluari, si defuit anima Saluatori? uel qualis effectus liberationis credetur sequuturus in corpore, qui non præcessit in † corpore? Nā sicut suis fidelibus dicit: *Si vos Filius liberauit tūc verè liberi eritis:* Ita de se quoque pronunciat: *Quia factus est sicut homo sine adiutorio inter mortuos liber.* Quod ergo caput liberum fecit in se, hoc etiam liberauit in corpore. Quia intrans in domum fortis, atque alligans fortem, hoc ibi à seruitio liberauit, quòd primitus in se pro seruo suscepit: nec aliud est in corpore regnātium, quàm quod in capite præcessit ad cœlum. Cuius rei credulitatem fideliter ac fiducialiter gerēs Paulus exultat

Eph. 5.
† fortè anima.
Ioan. 8.
Psal. 88.

ultat

Phil. 3. ultat & dicit: *Nostra autem conuersatio in cælis est.* Ibi itaque suam animam animam cõuersari non ambigit, ubi humanam animam in Christo regnare confidit. Propter quod etiam Colossenses huiusmodi prædicationis hortatur eloquio, dicẽs: *Si conresurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est, in dextra Dei sedens.*

Col. 3.

Aliud eiusdẽ rei argumentum.

1. Pet. 2.

Nec illud est aliquatenus omittendũ, quod cùm magno prædicationis miraculo Petrus cõmendat in Christo. *Quia peccatum non fecit, nec inuẽtus est dolus in ore eius.* Sic enim dicit: *Christus pro nobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius.* Nam si Dei Filius animam humanam in carnis susceptione non habuit, & hoc beatus Petrus de eius creditur diuinitate dixisse: quid est, quod pro magno in laudẽ dicitur Christi? quia diuinitas eius immunis esse potuit à labe peccati, cùm Dei sit propriũ nõ solùm nõ peccare, sed etiã à peccato saluare: qui propterea solus potèst donare

nare indulgentiam: quia ſolus admitte-re nõ poteſt culpam: Ideò ſolus eſt uulneratorum medicus: quia diuina natura nunquam in ſe recipit uulnus. Si autem hoc ad Chriſti carnem creditur referendũ, quomodo ab animabus noſtris ſeruari iuſtitia poterit, quibus exemplum Apoſtolice memoratum ſuſceptio Chriſti nõ dedit? Sed ut oſtẽderet beatus Petrus, & in anima ſimul & in carne Chriſti præceſsiſſe iuſtitiam, quam nobis imperat imitandã, ſequutus, adiunxit: *Qui cùm malediceretur, non remaledicebat.* Ibid. Quod propriè ad animę patientiã pertinet. Propter quod & alio loco dicit: *Non reddentes malum pro malo, vel maledictũ pro maledicto, ſed econtrariò, benedicẽtes. Quia in hoc vocati eſtis, vt benedictionem hæreditatis poſsideatis.* 1. Pet. 3. Cuius benedictionis Saluator noſter ex corde prodire cõmendat exordium, dicens: *Homo bonus de bono theſauro cordis ſui proferet bona.* Luc. 6. Conſtat ergo in anima beneuolentiam eſſe, unde benedictionem poſsimus maledicentibus redhabere.

Vt

Vt autē beatus Petrus, & animæ nobis & carnis in Christo demonstraret exemplum, cùm dixisset: *Qui cùm maledceretur, nō remaledicebat*, sequutus ad-
1.Pet.2. iunxit: *Cùm pateretur non comminabatur. Commendabat autem iudicanti iustè, qui peccata nostra pertulit in corpore suo, super lignū, vt à peccatis nostris separati, cum iustitia viuamus: cuius liuore sanati estis, qui sicut oues errabatis. Sed nunc conuertimini ad pastorem et visitatorem animarum vestrarum.*

Est igitur Dei Filius animarū nostrarum uisitator & pastor: quia fieri dignatus est animæ humanæ susceptor. Cui ex persona futuræ susceptionis humanę
Psal.119. dicitur, in Psalmo: *Suscipe me secundùm verbum tuum & viuam.* Christus ergo pastor noster est, cuius nos oues esse, Apostolica testatur authoritas, qui tamen, ut plenè susceptorem se nostræ naturæ dignaretur ostendere, non solùm pastorem, sed & ouem se non dedignatus est appellare: utpote de quo, sancto Spiritu actus propheta, testatur: *Sicut o-*

uis

uis ad victimã adductus est, sicut & agnus coram tondente sine voce, sic non aperuit os suum. Et ipse per Hieremiam: *Ego sicut agnus innocens adductus sum, ut immolarer & nesciui. In me cogitauerunt cogitationem malam, dicentes: Venite mittamus lignum in panem eius.* De quo etiam Ioannes Baptista proclamat: *Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* Non dissimilia de Christo Petrus quoque ponit Apostolus, dicens: *Scientes, quòd non corruptibilibus argento vel auro redempti estis, de vana vestra conuersatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine, quasi agni incontaminati & immaculati Iesu Christi.*

Iesa. 53. *Ierem. 11.* *Ioan. 1.* *1. Pet. 1.*

Vnus igitur idemq; mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus ipse pastor & ouis, ipse sponsus & sponsa, ipse sacerdos & uictima, unus idemq; & oblator muneris & munus factus est oblatoris: ut nec oblator à muneris qualitate descisceret, nec munus oblatoris meritò discreparet. Qui si minus aliquid habuit humanæ naturæ nec personam

Christus imperfectus homo nõ est, qa Pontifex.

ſumere Pontificis, nec offerri potuit pro peccatis. In lege enim ſacerdotio fungi nō poterat, ſi quis homo minus aliquid habuiſſet in ſe: nec uitioſum uel imperfectum pecus ad ſacrificium cuiquam licebat offerre. Pontificem uerò noſtrum Ieſum Chriſtū eſſe quis ambigat? Quem ſub hac Paulus euidenter appellatione
Hebr.4. commendat: *Habentes autem*, inquiens, *Pontificem magnum qui penetrauit cœlos, Ieſum Filium Dei, teneamus confeſsionem. Non enim habemus Pontificem, qui non poſsit compati infirmitatibus noſtris, tentatum autem per omnia pro ſimilitudine abſque peccato. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, vt miſericordiam conſequamur, & gratiam inueniamus in auxilio oportuno.*

Vt autem humanæ naturæ hoc Pontificatus officium demōſtraret, adiecit:
Hebr.5. *Omnis nanque Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in his quæ ſunt ad Deum, vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis, qui condolere poſsit his, qui ignorant & errant, quoniam & i-*

ipſe

ipse circundatus est infirmitate. Et propterea debet, quemadmodũ pro populo, ita etiam pro semetipso offerre pro peccatis. Nec quisquã sumit sibi honorẽ, sed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron. Sic & Christus non semetipsum clarificauit, vt Pontifex fieret, sed qui loquutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quem tamen Pontificem dicit per omnia pro similitudine absq; peccato tentatum. Per quæ autem omnia tentatus fuerit, superiùs euidẽter ostendit, dicens: *Nusquam enim angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit. Vnde debuit per omnia fratribus similari, vt misericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum, vt repropitiaret delicta populi. In eo enim quo passus est ipse, & tentatus, potens est, his qui tentantur auxiliari.* Hebr. 2.

Si ergo in eo quo tentatus est, tentatis auxilium donat: profectò in quo tentatus non est, tentatis auxilium non ministrat. Quo conficitur, ut hi qui Christo solam carnem humanam assignãt, & animam denegant, in sola carne quærant

auxilium Christi, in anima uerò remaneant destituti: Filius Dei nanque hoc adiu-
„ uat in homine, quod suscepit pro homi-
„ ne. Quod si & in anima & in carne promereri Christi delectantur auxilium, fateantur necesse est (sicut ueritas habet) & in anima pariter & in carne tētatum. Et anima igitur humana & caro simul est in Christo tentata. Quod si simul est in Christo & anima & caro tētata, simul est ab eo utraque suscepta. Et si utranque dignatus est suscipere, utranque dignatus est sine dubitatione saluare. Dignū nanque fuit, nostræque saluti conueniens, ut Deus uerus ex uero Patre solus substantialiter natus, uerā hominis, quam ipse fecit, animam carnemque susciperet, in utraque cum tentatore pugnaret, in utraque uinceret, ac deinceps in utraque tētatis subministraret auxilium, cùm in utraque infirmis ac morituris uictoriæ præberet exemplum.

Aliud argumentum. Illa quoque sententia sacramentum Mediatoris manifesto demonstrat indicio, quàm ipsa Veritas protulit, dicens: *Venit*

Venit enim Filius hominis saluum facere & quærere quod perierat. Luc.19. Attendamus igitur, quid perierit terræ in hominis lapsu, & agnoscamus, quid quæsitũ fuerit hominis cœlestis aduentu. Consideremus quid in se peccando uendiderit seruus, & apparebit, quid suscipiendo redemerit Dominus. Attẽdamus, quid latro in hominis seductione uulnerauit, ut clareat, quid medicus in hominis susceptione sanauerit. Nonne ex carne simul animaq; compositus, præceptum Dei homo primus accepit? Quod si in utraq; præceptum Dei cognoscitur accepisse, in utraque debuit obedientiam præcepti seruare. Si autem in utraque fuit parẽdum præcepto, ab utraque admissa est transgresſio. Quoniam sicut est inchoatum animæ cupiditate peccatum, sic est carnali comestione perfectũ. Et ideò quod totus homo reatum transgresſionis admisit, totum sibi diabolus captiuauit. Quod si totus tenebatur captiuitatis uinculo, totus eguit liberatoris auxilio. Si autem totum debuit libe-

rare pietas,totum debuit suscipere diuina maiestas. Totius ergo fuit hominis à Deo suscipienda natura, quoniam in toto fuit captiuitas, captiuanda, ut tota simul acquireretur de captiuata captiuitate uictoria. Et secũdùm prædicationis Apostolicæ sententiam, captiuam ducens captiuitatem, principatus & potestates traduceret confidenter, palam triumphans illos in semetipso.

Aliud argumentũ assumptæ à Christo animæ.

Ad extremum dicatur: Cur ab illa ineffabili diuinitate non fuerit animæ natura suscepta cum carne? Vtrum à Deo nõ fuerit facta? an peccato non fuerit uitiata? an carne uiliorem uniuersalis medicina despexit? An peccati uulnere sauciatã, omnipotens curare nequiuit? Sed horum primũ postremumq; qui sentiũt, & aduersus uirtutem creatoris, & cõtra potentiam Saluatoris rebelles existũt, si uel aliquã creaturam putãt à Deo nõ factã: uel ad salutem animæ conferendam potestatẽ dicunt omnipotẽtis inualidã. Duobus uerò medijs, nec peccatũ considerant rationalis creaturæ, nec meri-

tum:

tum: non intelligentes, carne sua uiliorem esse nõ posse, quæ uitam tribuit carni, & illam grauiùs uulneratam, quę per intelligẽtiam magis potuit resistere tentatori. Illa igitur omnipotens uirtus, & pia sapientia, nec despexit uelut extraneam, quàm à se nouerat factam: nec spreuit sanãdam, quam sciebat grauiùs uulneratam: nec eam quam carne potiorem fecit, à remedio salutis exclusit. Sed sicut totum hominem diabolus decipiendo percussit, ita Deus totum suscipiendo saluauit, ut agnosceretur idem creaturę totius conditor, & redemptor, qui potuit & quod non erat facere, & quod dilapsum fuerat reparare.

Cũctos prętera qui salutis esse cupiunt æternę participes, oportet agnoscere pariter & tenere, non incassũ hominẽ Iesum Christum mediatorem Dei & hominum nuncupatum, nisi quia idẽ Deus totam in se naturam suscepit hominis, & idem homo totã in se habet substantiam Diuinitatis. Nam quia per peccatum homo fuit separatus à Deo, inter

Christus est perfectus mediator. Ergo perfectus homo.

Deum irascentem, hominemque peccantem, talis utique mediatoris necesse erat ut interueniret persona, quę ad propitiandum Deum homini, totũ uerumque in se Deum de Deo natum haberet: & ad reconciliandum hominem Deo, totum uerumque in se de homine natum hominem contineret. Atque ita ex utroque in utroque unus Christus esset, ut plenitudo deitatis susceptam non consumeret, sed proueheret hominem: & plenitudo humanitatis, nec minoraret immẽsum, nec mutaret impassibilem deitatem: ac sic hominis natura, quæ mutata fuerat in deterius, per illum tota redintegraretur, quo nihil est melius. Propterea se Mediator Dei & hominum, plenũ Deum plenumque dignatus est hominẽ demonstrare.

Quod si quis ambigit, aut omnino non credit, eligat, utrum sibi nomine an opere uelit quod asserimus, demonstrari. Neque enim Scriptura sancta in uno eodemque Christo, aut Dei uocabulum prætermisit, aut hominis, Euangelista dicẽte:

Christus Deus & homo.

te:

te: *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Et Paulò post: *Verbum caro factum est, & habitabit in nobis.* Illud utiq; uerbum carnem factum asserit, quod Deū esse, superiùs memorauit, ut ostenderet eundem uerum Deum ex Patre, qui est homo uerus ex homine. Ostendit præterea, in quo naturaliter sempiternū credamus ex Deo Patre, & in quo temporaliter ex homine factum hominem debeamus accipere: aliud in exordio, aliud in subsequentibus monstrans. Aeternitas igitur Filij Dei asseritur, dum uerbū Deus in principio prædicatur. Ibi uerbū non dicit factum, quod ex Patre nouerat genitum, ibi non est temporis nomē, ubi sempiternitas nec initium potest habere nec finem. Cùm autem uenitur ad carnis uocabulum, tunc uerbum caro dicitur factum, ut agnoscamus, eum, qui factus non erat, sed natus de Patre semper erat, tunc fieri uoluisse, quando Ioan. 1.

quod fecerat, factus, opus suum dignatus est reparare.

In hoc facto beatus quoq; Paulus, sicut ueritatem hominis, sic ueritatem curauit temporis profiteri, dicens: *Cùm autem venit plenitudo tẽporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus.* Hæc ipsum ubique propheticis congruens Apostolica seruat authoritas, ut factum prædicans Christum, & quid factus sit: & unde factus sit, euidenter ostendat: ut agnoscatur, rerum omnium Dominum, sic formam suscepisse seruilem, ut non aliunde, sed ex homine ueram susceperit carnem. Dicit igitur Dauid: *Mater Siõ dicet homo, et homo factus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus.* Ecce in uno Christo, sicut una persona indubitãter asseritur, sic ueritas Dei atque hominis inconfusa monstratur. Qui enim homo factus est in ea, ipse fundauit eam altissimus. Huic dicto illud Apostolicum prorsus est comparandum. *Quorum patres,*

Gal. 4. Psal. 87. Rom. 9.

tres, ex quibus Christus secundùm carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Quod Dauid dicit: *Et homo factus est in ea:* Hoc Paulus firmat dicens: *Quorum patres, ex quibus Christus secundùm carnem.* Quod autem Dauid asserit: *Ipse fundauit eam altissimus:* Hoc Paulus sequitur, dicens: *Qui est super omnia benedictus in sæcula.* Testamentum uetus concinit nouo, Dauid Ioanni concordat & Paulo. Quem uerum hominem dicit Dauid: *Quia mater Syon dicet homo, & homo factus est in ea:* eundem uerũ Deum credit & prædicat: *Quia ipse fundauit eã altissimus:* Quẽ uerum hominem nouit Ioannes, audiens eum dicentem: *Quæritis me occidere hominem, qui veritatem loquutus sum vobis:* Eundem uerum Deum monstrat, dicens: *Hic est verus Deus & vita æterna.* Verum hominem Christum recognoscit: quia uerbum caro factum est, & habitauit in nobis: eundemq; uerbum Deum ostendit: quia in principio erat uerbum, & uerbũ erat apud Deum,

Ioan. 7.

1. Ioan. 5.

&

& Deus erat uerbũ. Quem uerum sciebat hominẽ Paulus, quia uoluntaria pietate factus est ex muliere Dominus hominis, & factus est sub lege Dominus legis: sicut ipse testatur: *Quia misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege.* Et, *quia factus est ex semine Dauid secundùm carnem.* Et, *quorum patres, ex quibus Christus secundùm carnem:* eundem uerum Deum confiteri non cessat, dicens: *Qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.*

Gal. 4.

Rom. 1.

Ibid. 9.

Christus caro factus: Ergo anima caruit: est ψόφος.

Neq; uerò illud ex aduerso nescimus opponi, quòd cùm uerbum caro factũ dicitur, & factus est ex semine Dauid secundùm carnem, & quorum patres, ex quibus Christus secundùm carnem, in supradictis locis ita quorundam carnalis sensus carnis nomine teneatur, ut suscepta carne nõ credatur Christus etiam rationalem animam suscepisse.

Sed qui sic sentiunt, minùs attendũt id esse locutionis humanæ, qua nonnũquam totum significatur à parte. Nouerint igitur in Scripturis sanctis, aliquando

quando carnis tantummodo nomine, nonnunquam animæ ſolius uocabulo, totum hominem demõſtrari. Cuius rei ueritatem, nõ ſolùm ex uetere teſtamento, uerumetiam ex nouo, facile perdocebo. Dauid carnis nomine totum ſignificat hominem, dicens: *Exaudi Deus orationẽ meã, ad te omnis caro veniet.* Quid eſt autem omnis caro, niſi omnis homo? Similiter ab eodem in alio Pſalmo dicitur: *In Deo ſperabo, non timebo, quid faciat mihi caro.* Et ut oſtenderet, quòd carnis nomine totum hominem deſignaret, paulò pòſt identidem dicit: *In Deo laudabo verbum, in Deo laudabo ſermonem, in Deo ſperabo, non timebo, quid faciat mihi homo.* His dictis Eſaiæ quoque dicta concordant, cùm Saluatoris noſtri aduentum in carne prænuncians, dicit: *Erunt praua in directa, & aſpera in vias planas, & videbit omnis caro ſalutare Dei.* Quid eſt autem omnis caro, niſi omnis homo? An forſitan exanimem ſic leuabimus carnem, ut illi nõ dubitemus diuinam tribuere uiſionem? In

Pars hominis pro toto quandoq; ſumitur.

Pſal. 65.

Pſalm. 56.

Ieſa. 40.

nouo quoque Testamento, ipse humani generis creator & Dominus, carnis nomine totum reperitur hominem nuncupasse, dum tribulationis extremę pręnuncians qualitatem, hæc discipulis loquitur: *Erit enim tunc tribulatio magna* Matth. 24.
qualis non fuit ab initio mundi vsque modò, neque fiet. Et nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro: sed propter electos breuiabuntur dies illi.

Animæ quoque uocabulo totum significari hominem, ueteris ita demonstrat series Testamēti, cùm dicitur: *Erant autem vniuersæ animæ de Iacob quinque & septuaginta.* Gen. 46. Rursus in eodem Testamēto: *Anima quæcunque deliquerit, ante Dominum, nolens in omnibus præceptis Domini, quæ non oportet facere, & fecerit vnum de his, siquidem princeps sacerdos qui vnctus est deliquerit, nec sic plebs faciat, offerat pro delicto suo, in quo deliquit, vitulū ex bubus immaculatum Domino.* Leuit. 4. Ecce anima dicitur, & sacerdos unctus deinceps nuncupatur, ut cùm animam audimus, totū simul hominē cognoscamus.

Nec

Nec in nouo Testamẽto huius significationis potuit deesse locutio siquidẽ cùm sancti Spiritus aduentu firmati discipuli, reiecta formidine, publicæ prædicationis auspicarentur officium. Consummato Petri sermone, Liber Actuum Apostolorum, Luca narrante, sic continet: *Qui ergo receperunt sermonem eius, baptizati sunt, & appositæ sunt in die illa animæ circiter tria millia.* Quisquis hic animarũ nomine significatos homines nititur denegare, ostendat necesse est, qualiter ab Apostolis sine corporibus animæ credantur sacramẽtum baptismatis accepisse. Simile huic loco quiddam beatus quoq; Petrus sic in sua ponit epistola: *In diebus Noæ*, inquiens, *cùm fabricaretur arca, in qua pauci, idest, octo animæ saluæ factæ sunt per aquam.* Act. 2. 1. Pet. 3.

Cùm sit igitur manifestum, Scripturarum more, totum hominẽ aliquãdo carnis, aliquando solius animæ uocabulo designari: profectò mõstratur, cũ Euangelista dicit: *Verbum caro factum est.* Propterea utiq; *Mediator Dei & hominum*

homo

homo Christus Iesus ab Apostolo prædicatur. Nam quia Deus erat uerbũ, in eo quod Deus totum hominẽ suscepit pro nobis, *Verbum caro factum est & habitauit in nobis*. Verbum utiq; caro factum est, in eo quod est una in Christo Dei hominisq́ue persona. Habitauit autem in nobis: quia in Christo uera totaq; permanet diuina humanaq; substãtia. Verbum enim habitans in homine, non est mutatũ in hominem. Vbi autem maximè uerbum potuit habitare? quàm in illa substantia, quam ad suam imaginẽ fecit, hoc est, in anima illius hominis quẽ suscepit? Quod prophetice per Salomonem spiritali gratia cernimus intimatum, cùm dicitur: *anima iusti sedes est sapientiæ*. Nam ut ostendatur Christus in animæ substantia specialiter habitare, Paulus nobis porrigat suæ attestationis in ueritate subsidium, qui dicit: *Huius* Eph. 3.
rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri, ex quo omnis paternitas in cælis & in terra nominatur, vt det vobis secundùm diuitias gloriæ suæ, virtute corroborati

borati per spiritum eius, in interiore homine, habitare Christum per fidem in cordib. vestris. Ecce & animam nominat & cor appellat, ubi Christum habitare confirmat. Vnde liquidò cognoscitur, uerbū Deum totum hominem suscepisse, cùm probetur habitationem Filij Dei in anima magis quàm in carne monstrari.

Huius inseparabilis ueritas sacramenti, quo totum hominem suscipere dignatus est Deus, & totus in Deo monstratur homo manere susceptus, & id quod de homine naturaliter est, Filium Dei, & id quod de Deo Patre naturaliter est, Filium fecit hominis appellari, dicente angelo ad Mariam: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Ideo quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Luc. 1. Marci quoq; non discordat assertio, tale scilicet Euangelio suo ponentis exordium: *Euangelium Iesu Christi Dei.* Marc. 1. Nathanaël quoque, de Ioan. 1. quo dixerat: *A Nazaret potest aliquid boni esse?* non cunctatur Dei Filium appellare, *Rabbi,* inquiens, *tu es Filius Dei,*

tu es Rex Iſraël. Vbi Ieſus, ut plenum pietatis ſuæ myſterium demonſtraret, non ſolùm id, quod de Patre naturaliter ſemper eſt, libenter audiuit: ſed etiam quòd ex muliere miſericorditer factus eſt, euidentiſsimè prædicauit dicens: *Amen amen dico vobis, videbitis cælum apertum, & angelos Dei aſcendentes & deſcendentes ſuper Filium hominis.*

Ibid.

Propter hanc in Chriſto unitatẽ perſonæ, & inconfuſam ueritatẽ diuinæ humanæq; ſubſtantiæ unus idemq; Chriſtus & puer ab Eſaia dicitur, & Filius ac Deus pariter prædicatᷣ: ſicut inquit: *Puer natus eſt nobis, Filius datus eſt nobis, cuius principium ſub humeros eius, & vocabitur nomen eius admirabilis, conſiliarius, Deus fortis.* In uno Chriſto nõ ſunt duę perſonæ, ut alius puer & alius Deus fuerit nũcupatus, ſed in una perſona eſt Deus ple- " nus, & homo perfectus, quia ſubſtãtiali- " ter aliud puer & aliud Deus: cũ tamẽ ꝑ- " ſonaliter nõ ſit alius puer & alius Deus, Vnus enim filius & puer & Deus, quia puer, ꝗ natus eſt nobis, & idẽ filius qui datus

Ieſa. 9.

datus est nobis, uocatur nomē eius admirabilis, consiliarius, Deus fortis.

Hic tamen puer sicut ueram carnem, sic, & ueram habuit animam, ut illa uera diuinitas totam hominis & renouandam susciperet, & susceptam posset renouare naturam, sicut superiùs est, Luca testāte, monstratum. *Quia puer*, id est, Iesus, *proficiebat ætate & sapientia & gratia apud Deum & homines.* Luc. 2. Proptèrea in se nec carnis nomen nec animæ Dominus ipse prætermisit ostendere. Carnem quidem se habere uerissimam monstrans, cùm dicit: *Quod nascitur de carne, caro est.* Ioan. 3. Cuius plena ueritas operum quoque manifestatione resplenduit, cùm infans natus, non solùm cunis inuoluitur & angusto præsepe cōcluditur, sed etiam circuncisionem suscipiens, carnem ueram habere monstratur. Præterea etiam post resurrectionem discipulos cūctantes informat, dicens: *Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Ioan. 20. Animam quoque se suscepisse cū carne nec nomine cessauit intima-

Luc. 6. re, nec opere, dum dicit: *Animam meam pono pro ouibus meis.* Et, *anima mea turba*
Marc 14. *ta est.* & cætera, quæ inferiùs ostendentur. Hanc animam non sine intellectu rationali susceptam à Christo, per Esaiam sic diuinum demonstrat oraculum:
Iesa. 52. *Ecce intelliget puer meus, & exaltabitur & magnificabitur vehementer.*

Et quanquam multa supersint, quibus nostra firmetur assertio, tamen quoniam ad finem libelli series orationis nostræ festinat, de actibus quoque Apostolorum euidentissimum huius sacramẽti indicem beati ponemus Apostoli Petri sermonem, quem de illa mirabili musti spiritalis ebrietate ructauit. Hinc etenim, cùm ex authoritate diuina Iudæos informans, Dauidis tamen posuisset eloquiũ, quod diuinitùs edoctus, è Christi persona cecinerat, dicẽs: *Prouidebam*
Psalm. 16. *Dominum coram me semper, quoniam à dextris est mihi ne commouear. Propterea iocundatum est cor meũ, & exultauit lingua mea. Insuper & caro mea requiescit in spe: quoniam derelinques animam meam in*

in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi fecisti vias vitæ. Adimplebis me iocunditate cum facie tua. Quod testimonium Psalmi cũ beatus Petrus commemoraret, ut hoc de Christo manifestè dictum ostenderet, sequutus adiecit: *Viri fratres, liceat audēter dicere ad nos, de Patriarcha Dauid: quoniam & defunctus est & sepultus est, & sepulchrum eius est apud nos vsque in hodiernũ diem. Propheta igitur cùm esset, & sciret, quia iureiurãdo iurasset illi Deus, de fructu lumbi eius, sedere super sedẽ eius, prouidẽs loquutus est de resurrectione Christi: quia neque derelicta est anima eius in inferno, neq; caro eius vidit corruptionem.* Act. 2.

Hoc equidem testimonium propterea præsenti loco duximus inserendum, ut euidẽs nominum rerumq; distinctio carnem simul & animã doceret in Christo. Cæterũ oppotunior ei suus exhibebitur locus, cùm de mysterio loquemur dominicæ passionis, ubi etiã illud quod dixit: *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* Et, *Nunc anima mea turbata est.* Et: Marc. 14. Ioan. 12.

Ioann. 15. *Maiorem hac dilectionẽ nemo habet, quàm vt animã suam ponat quis pro amicis suis:* speramus ita, Domino adiuuãte, tractãda, ut appareat, ueram in Christo carnis animæq; substantiam, non solùm uocabulis, uerùm etiam manifestis naturaliũ officiorum indicijs demonstratam.

Conclusio. Proinde, si ueritas nostræ salutis in Saluatore creditur, consequenter in uno eodemqúe Mediatore Dei & hominum homine Christo Iesu, diuinæ humanæq; substantiæ indiuisa & inconfusa perfectio non negetur: quoniã Dei Filius, de Patris substãtia genitus, nec sempiternitatem diuinæ naturę perdidit, dũ hoc, quod erat temporale, pro temporalium ęterna salute suscepit: nec Domino naturalis ac ueræ diuinitatis caruit, qui ueritatẽ formæ seruilis acceptã interminabili & inamissibili Domino sublimauit: nec uera uirtus, cùm nostram infirmitatem susciperet, infirmari potuit, quę uitium infirmitatis ab infirmo submouit: nec imperfectus esse potuit, qui perfectionem imperfecto concessit: nec loca-

liter

liter ad infernũ diuinitas Christi descendit, quæ sine mole sic ubique tota consistit, ut licet ea carere nullus locus posit, localiter tamen eam locus ullus continere nõ posit. Est enim illa Dei uera infinitaq́ substantia ineffabiliter in singulis creaturis tota, & in omnibus tota, nõ minoratur in minimis, nec augetur in magnis, non concluditur tempore, non circumscribitur quãtitate, nõ initio cœpta, non termino finienda, à qua totus homo, & creatus est ad iustitiam, & sine peccato susceptus est post ruinam.

Nunc igitur, quoniam de Sacramẽto Mediatoris (quãtum ipse, qui Verbum Patris est, gratiæ suæ dona concesit) disputationis ueritas nihil dereliquit ambiguũ, quo unus idemq́ Christus totam naturaliter habere deitatem ex Patre, & totam hominis naturam habere monstraretur in homine: Illud est deinceps prouidendum, quòd nonnullos carnaliter, quæ diuina sunt, cogitantes, eò grauius conceptæ falsitatis error cõfundit, quo diuinitatem Christi, aut localiter de


Transitio ad sequentem librum.

cœlo uenisse, aut ad infernum descēdisse localiter fateantur: quique etiam Christum in carne passum firmare non dubitant etiam diuinitate compassum.

Argumentū sequentium librorum.

Harum ergo rerum demonstrandæ (quantum sat erit) ueritati, singulos deputaui curare libellos, ut alter immensam Filij Dei diuinitatem ostendat, tertius uerò mysterium dominicæ passionis manifestissima rerum claritate contineat. Hunc itaque primum libellum, seruata disputandi temperies claudat, ut ad ea, quæ sunt deinceps disputanda, Deus nobis ostium sermonis aperiat.

BEATI FVLGENTII, DE IMMENSITATE DIVINITATIS FILIJ DEI, AD TRASIMVNDVM REGEM, LIBER II.



VOTIENS humanę conditionis infirmitas, semetipsam protinùs cognitura fines molitur aliquatenus suæ paruitatis excedere, atque cœlestis illuminationis

nis prægnata conceptu, conditoris sui ac redemptoris inquisitionem cœperit parturire: sola, quantum arbitror, immutabilis illa sempiternitas Trinitatis, reperietur incomprehensibilitatis digna miraculo, quæ sic excedit omne quod cogitare uel sapere possumus, sicut superat omne quod sumus. Hoc nobis diuinorũ series uoluminũ ueridica protestatur, Esaia dicente: *Non enim cogitationes meæ, cogitationes vestræ, neque viæ meæ, viæ vestræ, dicit Dominus. Quia sicut exaltantur cœli à terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ à vijs vestris, & cogitationes meæ à cogitationibus vestris.* Quæ ergo humanæ disciplinæ peritia, quæ uiuacitas animi, quæ cordis sagacitas, illius essentiæ (id est, Trinitatis, quæ unus, uerus, & solus est Deus) contingeret arcanum? quæ nec cœpit esse nec desinit: in cuius substantia nihil est quod non fuit: nihil potest non esse quod fuit: cuius nihil loco concluditur, quia totum immẽsum: nihil initio præuenitur, quia totum est sempiternum. Quæ se hoc præsertim

Esa. 55.

indicio sempiternam, increatam, immutabilemq́; monstrauit, cùm ex nihilo, id est, ex eo quod non esset, creare potuit quod fuisset. Quiqúe rationalem creaturæ suæ partem, hoc præ cæteris gratiæ priuilegio sublimauit, ut munere sibi æternitatis & rationis indulto, hinc liquidò sui creatoris ac reparationis essentiã, sine initio prorsus esse non ambigeret, cùm se, quamuis non sine initio factam, nunquam tamen omnimoda consumẽdam abolitione deinceps cognouisset. Hinc etiam protinùs moneretur, quanto infinitatis atque incomprehensibilitatis culmine, creatrix omnium uirtus & sapientia, modum creaturæ intellectualis excederet, cùm ipsam rationalẽ creaturam plena suę comprehensibilitatis agnitio, creatori quidem comprehẽsibilis & finita, sibi tamen incomprehẽsibilis atque infinita, lassaret, ut cùm naturæ suæ inuestigationem, quæ extra se non est, & intimam sibi cerneret & occultam, ita ut tamen supra se non sit, atque in se sit, totum se, sicut est, uestigare

non posſit. Eo magis paueſcens admiransq́ȝ ſupernę infinitatis magnitudinē, omnes intelligentiæ terminos excedentem, cuius pax (ſicut Paulus dicit) ſuperat omnem intellectū, cuius etiam iudicia abyſſus multa, ſolo ſe ad cognitionē altiſsimi humilitatis aſcenſu reſipiſceret prouehi, à quo ſuperbę cogitationis caſu quondam meruit ſegregari.

Sed hoc nunquam prorſus adgredi poſſet, ſi uel exemplo uel auxilio caruiſſet. Inquirēdus ergo fuit unus, cuius eſſet reformanda munere, informanda lumine, confirmanda uirtute, ut ęqualitas æterna iuſtificaret impiam, inſtrueret inſciam ueritas, uirtus firmaret inualidā. Sed hoc nunquid poſſet homo per ſolum hominem, aut in ſolo quolibet homine reperire? Nullo modo. Quis enim homo poſsit exiſtere medicus humani uulneris, cū omnes in radice uniata communio circūplecteretur uitij naturalis? uel qualiter poſſet per ſe ſolùm medelā uulneratis afferre, cuius ortus teneretur in uulnere? quoúe modo beneficentiæ

Hominē proprijs uiribus mortem euadere nequiuiſſe.

largitor

largitor uniuersalis existeret, quem alienæ opis indignum natura monstraret?

Nec angelorũ opere hominem restitui potuisse.

Verè igitur salutis exhaustus homo diuitijs, perenni bonorum professione priuatus, forsan angelico fuit iuuamine subleuandus, ut ille, qui domus luteæ feculentus ergastulo, ad facultatem purioris uitæ nequiuisset aliquatenus aspirare, gratia iuuaretur opitulationis angelicæ, qua pristinæ offensionis deposuisset illuuiem & amissæ dudum puritatis resumeret dignitatem. Veruntamẽ nec angelico poterat hoc reparationis munus adipisci subsidio. Angelica quippe natura tunc homini reparãdo aliquatenus esset idonea, si cadendi mobilitate nunquam naturaliter fuisset obstricta. Cùm uerò se iuuaminis egenam, consubstantialis ruinæ documẽto testatur, profectò cognoscitur multò minus ad humanæ posse redintegrationis efficaciam redundare, quæ propriæ nequeat stabilitati sufficere. Suis autem ad custodiam sibi sat esse uiribus non incongruè crederetur, si nulla pars eius in deterius laberetur.

laberetur. Vnitas enim naturalis uniuersitatem circumplexa naturæ angelicæ, tota proculdubio maneret impaſsibilitatis firmamento ſubnixa, ſi paſsioni nõ eſſe poſſet obnoxia, nec unquam pateretur in reliquo, quod perpeti non poſſet in toto. Cùm uerò pars eius, de cœleſti beatitudinis culmine, in imam perpetuamqúe cernitur deuoluta miſericordiam, beato Petro dicente: *Quia Deus angelis peccantibus non pepercit, ſed carceribus caliginis inferni tradidit, in iudicio puniendos reſeruari:* profectò cognoſcitur, uniformi cunctos opprimi potuiſſe ruinæ conſortio, niſi, quos uellet, à caſu prauitatis uirtus illa defendere, quæ ſola naturaliter mutari deprauariúe nõ poſſet. Ipſa igitur etiam homini reparando fuit neceſſaria: quia nõ alia ſtantem angelum à ruina potuit cuſtodire, niſi illa, quę lapſum hominem poſt ruinã potuit reparare. Vna eſt in utroq; gratia operata, in hoc, ut ſurgeret, in illo, ne caderet: in illo, ne uulneraretur, in iſto, ut ſanaretur: ab hoc infirmitatẽ repulit, illũ infir- 2.Pet.2.

mari nõ ſinit:illius eſca, iſtius medicina.

Solũ Dei Filiũ nos ſeruare potuiſſe.

Hunc autem quiſquis ſanum ſapit, Filium Dei eſſe nõ ambigit, qui eſt uirtus & ſapientia Patris: Sapientia quæ cuncta diſpoſuit: uirtus, quæ omnia creauit: Sapiẽtia quæ illuminat: uirtus quæ adiutoriũ præſtat. Sapientia, quia immutabilis: uirtus, quia inſuperabilis. Qui omni creaturæ ſuæ per infinitam potentiam naturalẽ ſemper adeſt, & immẽſus nũquam deeſt: qui hoc in ſe naturaliter habet eſſe quod Pater eſt, & ideo potuit & angelum in ſuperioribus ſtabilire, & pro reparatione lapſi hominis ad inferiora deſcendere, ſicut & ipſe teſtatur, dicens: *Deſcendi de cœlis, non vt faciam voluntatem meam, ſed voluntatem eius, qui miſit me Patris.* *Ioan.6.*

Hunc quidã, cùm audiunt deſcendiſſe, deſcẽſionem eius affirmare nituntur localem, quia neſciũt Dei, ſicut oportet conſiderare uirtutẽ, nec ualent agnoſcere ſic pro homine Deũ hominem factũ, ut accepta hominis forma maneret immutabilis diuina ſubſtãtia: nec ſic intel-

ligunt

ligũt temporaliter natũ, ut ſemper fuiſſe teneant ſempiternũ. Hi ſunt qui etiã con ſiderare cõtemnunt, qualiter deſcẽderit, cùm perſeueraret immẽſus: uel qualiter humiliatus ſit, qui maneret altiſsimus.

Si enim eius natura quæratur eſt eſſentialiter Deus: *Quia in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum.* Ioán. 1. Eſt etiam ſempiternus, quia ſempiterna Dei uirtus eſt, atque diuinitas. Eſt immenſus, quia de ipſo Hieremias dicit: *Magnus eſt & non habet finem excelſus & immenſus.* Baruch. 3. Et Paulò poſt, ut hæc de Filio ſe dixiſſe demonſtraret, adiecit: *Hic Deus noſter, & non æſtimabitur alius ad eum. Adinuenit omnem viam diſciplinæ, & dedit eam Iacob puero ſuo, & Iſraël dilecto ſuo. Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt.* Ibidem. Altiſsimum uerò quis audeat Dei Filium denegare? de quo Dauid dicit: *Mater Sion dicit homo, & homo factus eſt in ea, & ipſe fundauit eam altiſsimus.* Pſal. 86. De quo etiã Zacharias, naſcente Ioanne, ſic prædicat: *Et tu puer Propheta* Luc. 1.

pheta altißimi vocaberis, præibis enim ante faciem Domini, parare vias eius.

Si ergo docetur esse naturaliter Deus, si immensus, si altissimus, si est etiã sempiternus, dicatur, quid melius Deo, qd maius immẽso, quid superius altissimo, quid anterius sempiterno? Deus igitur non discrepat à Patre, immensus nõ caret Patris æqualitate, nec celsitudine priuatur altissimus, nec est origine posterior sempiternus. Nam quia in Deo Patre nihil potest esse mutabile, ex Deo natus est Deus: quia nihil locale, ex immẽso processit immensus: quia in Deo humile aliquid non est, altissimum generauit altissimus: & quia initiatum nihil in Deo poterit reperiri, sempiternus protulit sempiternum. Generatio illa, nullam separationem Patris Filijque mõstrauit, sed errorem cõfusionis exclusit, ne eum, quem cum Patre unum audiremus, natũ minimè crederemus. De Deo Deus potuit nasci, sed immensus ab immenso non potuit segregari. Natus enim extitit, non abscessit. Talis est enim illa diui-

na inenarrabilisq́ natiuitas, ut quē Pater genuit ex se, haberet in se. Hanc fidei regulam, per Esaiam nobis unitas ipsius ueræ diuinitatis ostendit, memorato propheta dicente: *Quoniam in te Deus, & non est Deus præter te. Tu enim es Deus, & nesciebamus, Deus Israël Saluator. Erubescent & pudebunt omnes, qui aduersantur ei, & ibunt cum confusione.* *Esa.45.*

Qui autem Filio Dei aduersantur, nisi qui Patrem in ipso, & ipsum in Patre per unitatem naturalem denegant esse, atque Patrem & Filium per naturalem diuersitatem audent perfidè infidelitatis uitio separare? Sic est enim Pater in Filio, sicut est Filius in Patre. Vnitas ibi naturalis sic æqualem demonstrat utrūque, ut immensum gigneret, & immensus ex immenso genitus, immensitatis paternæ nihil minus haberet.

Hostes Dei sūt qui Filiū Patri coessentialē & coæternū esse negant.

Quæso, Regnator inclyte, ne ista, quę de Deo loquimur, corporaliter existimes cogitanda, superat qui fecit cuncta quæ fecit. Cuius est, substantialiter sine initio genuisse: cuius est per ineffabilem

immensitatem totum implere quod fecit: eius est, per unitatem naturæ totum Filio inesse, & totum Filium in se semper habere quem genuit. Si non omnia Filius cum Patre disposuit, nõ est sapientia, quæ dicit: *Cùm pararet cælum, aderam illi, & cùm segregabat sedem suam super ventos. Quando fortes faciebat sursum nubes, & cùm stabiles ponebat fontes sub cælo, et inferiùs, quãdo fortia faciebat fundamenta terræ, eram apud eum disponens.*

Prou. 8.

Quod si sapiẽtia Patri coæterna non creditur, necesse est, ut etiam Deus in dispositione cœpta mutabilis prædicetur. Si non cuncta fecit Filius, nec uirtus debeat appellari, nec manus. Et ubi est, quod per prophetam dicitur? *Cælum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum, quam domum ædificabitis mihi? dicit Dominus, aut quis est locus requietionis meæ? Nónne manus mea fecit hæc omnia?* Nam & Euangelista dicit: *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Si alicui deest, Filius immensus non est: si non eum Pater corde

Esai. 66.

Ioan. 1.

ructa-

ructauit, uerbum non debet dici: si de utero Patris hoc est, de substantia Patris, non est genitus, falso (quod absit) nomine uerus Deus dicitur. De quo testatur Ioannes, *quia hic est verus Deus, & vita æterna. In principio quoque erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum.* Hîc sempiternitas ostenditur, hîc immensitas inuenitur, hîc essentialis natura monstratur. Nam quod in principio erat, nunquam nõ erat, qui semper erat: quod uerò apud Deum erat, locale non erat, sed immensum erat: quia cùm Deus localis non sit, uerbum, quod apud Deum erat, in loco non erat. Quod autem uerbum Deus erat, in unitate naturę, nominis ueritate, hoc utique erat quod ille Deus erat, apud quem uerbum Deus erat. 1. Ioan. 5.

An fortè, quia *in principio erat*, audiuimus dictum, aliquid Filio existẽdi audebimus assignare principium? Et ideo sine initio natus esse non creditur, quia Ioannes non eum ante principium, sed in principio fuisse testatur? Absit, ut hęc Dictũ, In Principio, quam uim habeat.

insulsa cogitatio cuiusquam mentem sapientis contingat: absit, ut hæc in quolibet letalis perfidiæ contagio puritatem Christianæ religionis inficiat. Quis enim non consideret illud dignè principium dici, quod nullo potuit principio præueniri? Nam quicquid ante quodlibet principiũ cogitare uolueris, hoc necesse est uerum principium fatearis. Et quoniam semper cogitãdo principium, nullus inuenit terminum, propterea illud est dicẽdum uerè principium, quod est essentialiter sempiternum. Hinc est profectò, quod ipse Filius, uolens Iudæis immensitatem sempiternitatis suæ certa prorsus manifestatione monstrare, interrogantibus quis esset, respondit: *Principium quod & loquor vobis.* Ioan. 8.

Sed forsitan eo quòd est principium dictus, magis putabitur initio existendi subiectus. Quòd si ex hoc uocabulo quisquam molitur præiudicium struere ueritati, ut quem principij cognoscit uocari nomine, quoddam principium natiuitatis existimet habuisse, dabit profectò

ctò etiam Patri (quod nephas est) aliquod existendi principiũ cognoscimus nominatum sicut ipse dicit: *Tecum principium in die virtutis tuæ, in splendoribus sanctorum, ex utero ante luciferũ genui te.* Psalm. 110.

Quid autem respõdebit, qui de principij nomine asserit Filiũ natiuitatis habere principium? Quòd siquis pro eo quod principium dicitur, natiuitatem Filij habere credit initium: consequens esse, ut ipsum Filiũ, pro eo quòd finis dicitur, finem quoque asserat habiturum. Nam ipse Dominus, interrogãtibus Iudeis, principium se esse firmauit, dicens: *principium quod & loquor vobis.* Paulus uerò Christum finem nominat, dicens: *Finis enim legis Christus ad iustitiã omni credenti.* Ipse quoq; de se Dominus: *Ego sum Alpha & O, initium & finis.* Quod si ergo pro quod principium dicitur, asseritur cœptus, etiam pro eo, quod finis dicitur, putetur etiam finiendus. Et ubi erit Ioãnis illa ructatio, quam de pectore uiui fontis bibeat? *Scimus quia Filius Dei venit et dedit nobis intellectum, vt co-*

Filij natiuitas ab æterno.

Rom. 10.

Apoc. 1.

1. Ioan. 5.

gnoscamus verum, & simus in vero Filio eius Iesu Christo. Hic est verus Deus, & vita æterna. Quam uitam necesse est neget ęternam, quisquis asserit defuturam. At ipse qui est uerus Deus & uita æterna, iustos dicit ituros in uitam æternam: quomodo ergo istorum uita æterna erit, si uita ipsa ęterna quandoque non erit? Aut ut quid hic labor sanctæ cōuersationis, & continui aduersus tētamenta certaminis toleratur, si præmium uictoribus quandoque tolletur? Hæc inest laudabilis in sanctis totius cursus intentio, propterea corpus suum castigāt, & seruituti subijciunt, ob hoc se non in incertum præsumūt currere, & pugnantes sciunt se non aërem uerberare: ideò sibi nouerunt non esse colluctationem aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principatus & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiæ in cœlestibus, idcirco leoni rugiēti, & indefesso circuitu quęrenti quem deuoret, resistunt fortiter in fide: ut postquam hic in tribula-

tione

tione patiẽtes uixerint, cõsumpta quãdoque diuinæ promissionis seductoria magis retributione quàm uera, aut misere uiuant, aut omnino non uiuant. Vita nanque Christus dicitur, sicut ait: *Ego sum via, veritas & vita,* Initium & finis Christus dicitur: quia similiter ipse dixit: *Ego sum Alpha & O, initium & finis.* Hæc autem uita, si eo quod initium dicitur, initio natiuitatis putatur subdita, consequens est, ut eo quod finis dicitur, quandoque putetur finaliter abolenda. Qualiter uerò sine fine uicturi sunt, quibus uita æterna dabitur, si uitæ ipsius æternitas finietur?

Ioan. 14.

Apoc. 1.

Quod si hæc omnino absurda sunt, consequenter ueritas est Catholicæ atque Apostolicæ fidei retinenda, quæ sicut Christũ propterea finem nominat, quia non solùm in illa substãtia, qua natus est naturaliter sempiternus ex Patre, sed etiam in ea, quam in tempore sumpsit ex Matre, credit sine fine perpetuũ: sic cùm ideò iustè prædicat ueraciterq; principium, quoniam in diuina, quã ha-

Christus principium & finis.

bet, ſubſtantia genitoris ſemper aſſerit coæternum. Non autem ambigitur, uero principio nihil ulterius, uero fine nihil poſterius inueniri. Principium igitur Chriſtus, quia ſempiternus, omnia præcedit: Finis Chriſtus, quia perpetuus uniuerſa cõcludit. Principium Chriſtus, quia ipſe inchoauit perficienda: Finis Chriſtus, quia ipſe perficit inchoata. Principium Chriſtus, quoniam ab ipſo habent, quæ non fuerunt ut ſint: Finis Chriſtus, quoniam ab ipſo habent, quędam quæ eſſe cœperunt, ut ſemper ſint.

Quid autem hinc dubitationis creditur derelictũ, cùm in Melchiſedech (quia Chriſti futuri Pontificis typum geſsit) huius eiuſdemq́ Dei & hominis Chriſti perſonam ſignificatam demonſtraret Apoſtolus, oſtẽdens eam, & ſecundùm diuinam ſubſtantiam ſine initio ſempiternam, & ſecundùm ſeruilem formam, quam in tempore accepit, ſine fine perpetuam. Sic idem igitur gentium Doctor loquitur ad Hebræos: *Hic etenim* Hebr. 7. *Melchiſedech, Rex Salem, ſacerdos Dei ſum-*

summi, qui obuiauit Abrahæ regresso à cæde regũ, & benedixit ei, cui decimas omniũ diuisit Abraham. Primum quidem, qui interpretatur Rex iustitiæ, deinde autem Rex Salem, quod est Rex pacis, sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens, assimilatus autem Filio Dei manet sacerdos in perpetuum.

Posset utcunque in hoc forsan testimonio quicquam contradictio renitentum, super huius Melchisedech persona, tanto lumini ueritatis opponere, si esset credendum, quamlibet creaturam sine initio naturaliter extitisse. At cùm clareat, omnem omnimodis creaturam, utpote prorsus ex nihilo factam, initio non carere, cuius origo sola Creatoris uoluntate & potestate, quando faciendam iudicauit, qui mutabilium operum dispositionem semper immutabilem habuit, substituta cognoscatur ex nihilo, quæ tamen nunquam fuerit, priusquam initio creationis extiterit: nullatenus accipitur, quòd Melchisedech aut ex Pa-

tre fuerit matreq; non genitus (quod eſt hominis primi) aut initio exiſtendi naturaliter careat, quod ſolius eſt Dei. Ille itaque figuræ huius retinet naturaliter ueritatem, qui in utraq; natiuitatem mirabilis, nec uſpiam ueritate naturalis caruit originis, & in utroque mirabiliter natus eſt ſingularis. Quis enim Rex iuſtitiæ, niſi Rex noſter Chriſtus? qui factus eſt pro nobis peccatum, ut nos efficeremur iuſtitia Dei in ipſo. Quis eſt etiam Rex pacis? nónne ille qui ait: *Pacem meam do vobis, pacem meam dimitto vobis?* Ipſe eſt enim pax noſtra qui fecit utraque unum. Ad ipſum Propheta clamat: *Domine Deus noſter pacem tuam da nobis. Omnia enim dediſti nobis. Domine Deus noſter poßide nos. Domine, præter te alium non nouimus, nomen tuum nominamus.* Matrem quoque non habuit Chriſtus Dei Filius in Dei ſubſtantia, quam ſemper habet ex Patre. Rurſus idem Patrem in hominis natura non habuit, quā ex ſola matre ſuſcepit.

Ioan. 14. *Ieſa. 26.*

In ueritate namq; utriuſq; natiuitatis ſingu-

ſingularitatem ſeruauit parentis & prolis, ut quamuis prius de ſolo Patre, poſtmodũ de ſola uirgine naſceretur: unus tamen idemq́ fuerit, qui & prius de Patre, & poſtmodum ſit natus ex uirgine: ut in unius ueri Dei ueriq́ue hominis Chriſti, miro atq́ ineffabili ſacramento, nec naturalis genito defuiſſet ex gignẽte ſubſtãtia, nec geminaretur in gignente genitoúe perſona. Licet in uno Chriſto ueritatem Dei & hominis naturę uirtus inconfuſa ſeruaret, unam tamen in Chriſto perſonam utriuſq́ naturæ indiuiſa ueritas exhiberet: ut nec gemina natiuitas unius Chriſti, uideretur geminare perſonã: nec perſonæ unitas, aut Dei in homine, aut hominis in Deo, ueram poſſet abolere ſubſtantiam.

Gemina Chriſti natiuitas perſonam nõ geminauit.

Et licet, utraq́ ueram in uno Chriſto ſubſtãtiam, naturalem in ſe teſtetur & originis natiuitatem, & natiuitatis originem: myſterij tamẽ pietas mirabilis permanens, quandam diuinæ illius & ineffabilis generationis, quæ initium non habet, in hoc quoq́ humana generatione

Increati generatione, increati æternitas obumbrata.

ne

ne certam nobis intelligētiæ lineam demonſtrauit. Nam qui ſemper Deus ex Deo, idem temporaliter ex homine Deus & homo. Et in quo naturalem paternæ ſubſtantiæ plenitudinem natiuitas ſempiterna poſſedit, in eodem plenam hominis naturam ueritas naturalis exhibuit: Filius enim Dei, ut noſtrum ex uiſibilibus ad inuiſibilia proueheret intellectum, ueritatem in ſe demonſtrauit humanæ naturæ, ut conſequenter crederetur, ex ueri Dei natura Deus uerus naturaliter extitiſſe, quem uerum hominem naturaliter natum conſtaret ex homine. Initium quoque natiuitatis in natura hominis Chriſtus habuit, in qua ſine initio non potuit mater eſſe quæ genuit, ut agnoſceretur, à naturæ ueritate recognita, nullum diuinæ natiuitatis habuiſſe, ubi ſempiterno Patri, ſicut initiū exiſtendi nullum fuit, ſic nulla natiuitas initiatæ generationis acceſsit.

Chriſtus ſe uerè θεάνθρωπον declarauit.

Ita namque utriuſqꝫ in ſe Chriſtus Ieſus demonſtrauit ſubſtantiæ ueritatem, ut ſicut in hominis Chriſti ſubſtantia ſal

ua

ua prerogatiua singularis illius dignitatis, hoc substantialiter inuenitur, quod naturaliter constat in homine: sic in eodem Deo Christo, hoc substãtialiter esse credatur, quod naturaliter subsistit in Patre. Vt cùm in homine Christo uidetur ueritas hominis, in eodem Deo Christo cognoscatur paternæ ueritas deitatis: & cùm ista natiuitas inuenitur initio subdita, quæ ex temporali homine substantialis temporaliter extitit: illa quoque sine initio credatur esse natiuitas, quæ de sempiterno Deo substantialis ac sempiterna subsistit.

Ipse igitur sine Matre in diuina substantia, quæ est ex solo Patre, naturaliter genitus, ipse sine Patre, fructus inuiolatæ uirginis, quam complexus non contigit maritalis, ipse sine genealogia, de quo scriptum est: *Generationem eius quis enarrauit?* Vt cùm in generatione uera Filij Dei fides nobis cognitionem præstat, sermonem uerò sempiternitas superat: in eo, quod fidei constantia credulitatis firmamento nutritur, sermonis uerò

Esaiæ. 53.

rò

rò audacia, fideli timore comprimitur: diuinæ generationis uera naturalis sempiternitas agnoſcatur. Nam quia diuina, utiq; naturaliter uera eſt, quia in Deo uero nihil eſt falſum. Quia uerò nec cœpta eſt nec creata, ſicut omnem cœptæ creatæq; naturę ſuperat cogitationis indaginem, ſic omnem ſupergreditur eloquij facultatem.

An forſitã, quòd de Dei pace Apoſtolicę auctoritatis ueritate percepimus, de eius generatione prorſus accipere dubitamus? cùm nobis Paulus beatiſsimus
Philip.4. dicat: *Pax Dei, quæ exuperat omnem intellectum, custodiat corda vestra, & intelligentias vestras, in Christo Ieſu.* Cuius ergo Pax, licet omnem ſuperet intellectum, uera tamen ſempiterna, naturalisq; creditur: cur generationis (quæ ſuperat omne prorſus eloquium) naturalis ueritas & infinita ſempiternitas abnegetur? Vbi ergo ſempiterna pax eſt, credatur etiam ſempiterna natiuitas: cuius eſt credenda ſempiterna natiuitas, non negetur immẽſa maieſtas. Nullo quippe

pe naturali fine concluditur, quod natiuitatis initio nō tenetur. Et ideò immensa prorsus agnoscitur illa substantia, cuius est natiuitas non cœpta, sed uera.

Nam quod aliquo circumscribitur fine, necesse est ut loco teneatur, aut tēpore. Quomodo autem fecisse tēpus & locum creditur, si loco ipse tēporiúe subdatur? Nam per ipsum omnis factus est locus, quia omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factū est nihil. Per ipsum factum tempus agnoscitur, de quo Paulus dicit: *Multifariè multisq́ modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, nouissimè diebus istis loquutus est nobis in Filio, quem constituit hæredem uniuersorum, per quem fecit & sæcula.* *Loci & temporis auctor immensus & æternus.* *Heb. 1.*

Non est ergo localis, per quem factus est locus, nec temporalis per quem factum est tempus. Nam si localis ipse, locum fecit, & certū est omne locale in loco esse: consequenter intelligitur, quod prius in loco fuerit, & sic locum creare nō potuerit. Sed hic locus, in quo fuisse Dei Filius dicitur, quero, utrū Filio ante- *Illocalis diuinitas Messiæ.*

rior,

rior, æquæuusúe credatur. Sed si aliqui anteriorẽ Filio existimãt locum, uideãt, in quod barathrum nefariæ assertionis incurrant, cùm rerum omnium operatori materiam cuiuslibet operis anteponunt. Cumq; Ioannes omnia per ipsum facta cõmemoret, nullam (quod absit) in se habuisse dicendus est ueritatem, si quodlibet opus pręcessit opificẽ. Quomodo enim locum facere potuit, ante quem esse, uel sine quo esse, si ita est factus, ipse non potuit? Tunc deinde solicita consideratione perpendant, quoniam sempiternitatis infinitatem, loco uidentur dare, quam Filio Dei conãtur adimere. Nam si propterea Filium Dei non sine initio natum asserunt, quia dicit Euangelista: *In principio erat verbum* &
Ioan. 1.
nõ dicit, ante principium erat uerbũ, isti, qui hunc locum ante uerbum fuisse asserũt, ante principium quoque fuisse, necesse est fateantur. Quoniam id, quod fuisse putant ante uerbum, hoc existimant nõ habuisse principium. Si autem principium nõ habuit locus, ipse est sempiterno

piterno Patri ſine dubio coæternus. Et quoniam ſempiternum diſtare non poteſt ſempiterno, talis hanc impietatem profecto conſequitur abſurditas, ut aut localis putetur Deus, aut locus hoc credatur eſſe quod Deus, aut ipſum locum aliquod exiſtiment eſſe ſine Deo principium, quod ſempiternitate ſui naturaliter perſeueret infectum. Sed quoniã hęc non ſine impietate creduntur, idcirco nõ ſolùm Filio anterior, ſed ęquęuus dicendus eſt locus: per quem enim omnia facta ſunt, huic facta quælibet anteferri conferrìue non poſſunt. Quoniam, qui omnia in numero & põdere & menſura diſpoſuit, ſicut tempore numerari, ſic loco menſurari non potuit. Proinde Pſalmus ueraciter canit: *Magnus Dominus Deus noster, & magna virtus eius, & ſapientiæ eius non eſt numerus.* Pſal. 147.

Atq; ut huius admirabilis ſempiternitatis infinita monſtraretur immenſitas, alio loco dicitur: *Magnus Dominus & laudabilis nimis & magnitudinis eius non eſt finis.* Quia reuera eſt, naturaliter

Sempiternũ cum immenſo conuenitur.

Pſal. 145.

T pro-

pronuncietur immensum, quod est naturaliter sempiternum: quia quod semper est, non capitur numero, & quod ubique totum est, non concluditur loco: Idcirco denique alio Scripturę testimonio de sapientia dicitur: *Attingit autem vbique propter suam mundiciam.* Et paulò pòst: *Attingit autem à fine vsque ad finem fortiter & disponit omnia suauiter.* Hic utique cùm à fine usq; ad finem sapientiam audimus attingere, intelligendum est: quia cùm à fine usque ad finem attingit, utrunque finem immensitate suę infinitatis excedit. Ille enim omnem potest creaturam attingere, quem omnis nō potest creatura cōcludere. Nam sicut implens cœlum perseuerat immensus, sic à fine usque ad finem attingens, permanet infinitus. Tale nanq; est: *Attingit à fine vsque ad finem fortiter*, quale est & illud, quod per Hieremiam dicitur: *Ego Deus proximans, & non Deus de longinquo. Si absconditus fuerit homo in occulto, ego ergo non videbo eum? Nónne cœlum & terrā ego impleo?* Qui implet om-

Sap.7.

Ierem.23.

omnia, uidet omnia. Et in Deo demonstrauit, quid sit, *videbo eũ*, quod adiũxit, dicens: *Cælum & terrã ego impleo*. Neq; enim more corporali uidere credendus est Deus, tanquam alibi sit ipse cùm uidet, & alibi quod uidet. Quicquid enim uidet, nõ extra se uidet: quia ipse implet uniuersa quæ uidet. Nam scriptum est: *Quoniam in omni loco oculi Dei speculantes bonos & malos*. Et alio loco: *Oculi Domini super iustos, & aures eius ad preces eorum, vultus autem Domini super facientes mala.*

Deus quomodo res quasq; videat.

Prou. 15.

Psal. 34.

Vbi non prætereundæ locus nascitur quæstionis, in eo, quod Salomon dicit: *In omni loco oculi Dei speculantur bonos & malos*. Et rursus Propheta dicit ad Dominum: *Mundus est oculus tuus, ne videat malum*. Metuendus est enim ne hic, qui dicitur ea uidere quę dicitur implere, putetur alicubi non esse, cùm dicitur aliquid non uidere, quid iam non ubiq; substantialiter est, siue in malis non est.

Obiectio de visione Dei.

Aba. 1.

Sed in diuinis sermonibus, si teneatur humilitas cordis, nulla reperietur re-

Discussio, per distinctionem.

 pugnan-

pugnantia ueritatis. Quodammodo ergo non uidet omnia Deus, & quodammodo quædam non uidet Deus: sicut quodammodo ubiq; totus est, & quodammodo alicubi non est: nõ quia substantialiter alicubi deest, (de quo scriptũ
Col. 1. est: *Omnia per ipsum et in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant:* quiq; secundùm Propheticum dictum, mensus est manu aquam & cœlum palmo, & uniuersam terram clausa
Esai. 49. manu) sed quia non omnibus æqualiter adest. Vbiq; enim adest per potentiam, non ubiq; per gratiam. Per potentiam, qua cuncta Deus implet & cõtinet, per ipsam uidet omnia: per gratiam uerò illud uidere dicitur, quod ipse largitur, & quod in suis fidelibus operatur: *Vidit enim Deus omnia quæ fecit, & ecce bona*
Gen. 1. *valde.* Ac per hoc & ubi quędam nõ uidet, ut tribuat: uidet, ut retribuat. Sic etiam uidet malum, & nõ uidet malum: quia quod non uidet ut probet, uidet ut iudicet: & quod non uidet per gratiam suam donatum, uidet à peccante per iustitiam

ſtitiam exigendũ. Quoniam & ubi non adeſt iuſtificandi largitas, non deeſt iudicandi ſeueritas, beato Paulo dicente: *Vide ergo bonitatem & ſeueritatem Dei, in eos quidem qui ceciderunt, ſeueritatem, in te autem bonitatem, ſi permanſeris in bonitate.* Rom. 2.

Quæ cùm ita ſint, quomodo poteſt ſubſtantialiter alicubi deeſſe? Cùm lux etiam in tenebris luceat, licet tenebræ eam non comprehendant. Aut quo modo poteſt aliquid ſubſtantialiter non uidere? De quo beatus Paulus euidentiſſimè proteſtatur, dicens: *Viuus eſt enim Dei ſermo, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vſque ad diuiſionem animæ ac ſpiritus, compagum quoque & medullarum, & diſcretor cogitationum & intentionum cordis, & nõ eſt vlla creatura inuiſibilis in conſpectu eius. Omnia aũt nuda et aperta ſunt oculis eius.* Hebr. 4. Nec hîc, ſicut ſuperiùs diximus, ulla debet corporeæ uiſionis ſubintrare ſuſpicio, tanquam Dei Filius in cœlo ſit, & exinde cuncta uideat, ubi non ſit. Hoc

eſt enim Deo uidere, quod eſſe: & quantam inſinuat uiſionem ſuam, tantam uult credi ſubſtantiam ſuam, ut cùm audiamus omnia nuda & aperta eſſe oculis eius, nullum terminũ putemus ſubſtantiæ eius.

Filius Patri coimmenſus.
Sap. 7.

Vt autem unius infinitatis cum Patre Filius mõſtraretur, ſancta Scriptura curauit de Sapientia dicere: *Splendor eſt enim lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula Dei maieſtatis, & imago bonitatis illius.* In hoc teſtimonio & naturalis unitas, & perſonarum proprietas, & æqualitatis immenſitas Patris Filijq; mõſtratur. Patrem nanq; lucem, Filium uerò ſplẽdorem hoc in loco nullus ambigit appellari: De quo etiam Apoſtolica dicit auctoritas: *Qui cùm ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius, gerens quoque omnia verbo virtutis ſuæ.* Ecce & ſplendor eſſe Filius, & omnia gerere perhibetur. Si quis ergo Patrem putat immenſum, Filium uerò quantitate credit aliqua terminatum, demõſtret nobis qualiter lux & ſplendor diuerſę poſsint eſſe ſubſtantiæ,

Hebr. 1.

tiæ, cùm nec confundantur nomine, nec ſegregentur genere, nec alterum altero differat quātitate. Nam lucis & ſplēdoris nō ſunt confuſa nomina, ſed lucis & ſplendoris non eſt diſcreta natura. Rurſus luci ſplendor ſic indiuiduus unitur, ut ab ea nullatenus ſeparetur: tantumq́ lux in ſe habet ſplendorem, quantam in ſe ſplendor continet lucem: nec lux, ut luceat, ſplēdore poteſt priuari, nec ſplendor, ut ſplendeat, luce poteſt aliquando deſtitui: ſed quæcunq; lux complet, æqualis in ſplendore permanens, eadem & ſplendor cōplet, in luce pariter æqualis exiſtens. Quocirca, ſi etiam lux illa ęterna, nec ſine ſuo potuit ſplendore eſſe, nec eodem poteſt carere, conſequenter aut Patri Filioq́ unus dabit̃, qualitatis quantitatisq́ terminus, aut æqualiter uterq; neceſſe eſt prædicetur immenſus. Quantus eſt enim ſplendor illius lucis, tantam neceſſe eſt lucem ſplendoris illius fatearis: quoniā lucē ſic æquat ſuus in omnibus ſplendor, ut nec maior ibi poſsit eſſe nec minor.

Ascensio & descensio Christi immensitatem eius non euertunt.

Multum uerò miramur istos, qui in contumeliam Filij Dei conspirant, æstimantes eum secundùm deitatis substantiam, aut ad locum de loco motu locali transire, aut non posse simul omnia deitatis suæ immensitate complere, intantum, ut cùm eum audiunt ad terram descendere, credant eum in cœlo uel apud inferos non fuisse, & ad infernum secundum deitatis substantiam ita descendisse confirment, ut eum cœlo defuisse tūc & terris existiment. Quomodo nō considerant secundùm scripturarū morem, quo paruulorum intellectui cœlestia solent eloquia coaptari, nonnunquam in persona quoq; Patris similia reperiri? Vt enim illa legalium uoluminū loca prætercam, quibus dicitur: *Et descendit Dominus videre ciuitatem & turrim:* tanquam si non descenderet, non uideret cùm superiùs demonstrauerimus Scripturam dixisse: *In omni loco oculi Dei speculantur bonos & malos*. Et ipse Dominus ad Prophetam: *Ego sum Dominus Deus vniuersæ carnis: nunquid à me absconditur*

Gen. 11.

Prou. 15.

ſconditur aliquid? Sed & illud, quod paulò pòſt dicitur: *Venite deſcendamus & confundamus in illis linguas eorum.* Vt ergo hæc ſilentio nunc interim deputentur, quoniam ſolent hæc aliqui non totius Trinitatis, ſed ſolius Filij deputare perſonæ, Quid de illo loco Euangelij dicturi ſunt, in quo Filius ipſe diſcipulos, priuſquam pateretur, informãs, ait: *Qui habet mandata mea, & ſeruat ea, ille eſt qui diligit me: qui autem diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum.* Ioan. 14. Cumq; Iudas diſcipulus (non traditor) reſpondiſſet, dicens: *Domine, quid factum eſt, quia nobis manifeſtaturus es te ipſum, & nõ mundo?* ut oſtenderet manifeſtationis gratiam aduentus nomine demonſtrari, reſpõdit Ieſus, & dixit ei: *Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionẽ apud eum faciemus.* Simul diligunt, ſimul ueniũt, & apud ſuum dilectorem ſimul unam faciunt manſionem, ſimul ſe manifeſtant, quia uno aduentus ſui

Dei aduentus eſt gratiæ manifeſtatio.

Ibid.

lumine cor dilectoris illuminãt. Et quoniam reuelando se manifestant, non se sine sancto Spiritu reuelant: quia nõ se sine sancto Spiritu manifestãt. Sic enim sine sancto Spiritu cognosci nõ possũt, sicut sine suo Spiritu esse nõ possunt. Et ob hoc, sicut una est manifestatio, sic una est reuelatio Trinitatis: & ubi unum est diuinæ reuelationis munus, ibi unus est indiuiduę Trinitatis aduentus. Nam sicut Pater reuelare monstratur, ipso Filio dicente: *Beatus es Simon Bariona: quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus qui est in cœlis:* ita Filius Patrem reuelare suo sermone monstratur. Dicit enim: *Nemo nouit Filium, nisi Pater, neq; Patrem quis nouit, nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare.*

Matth. 16.

Luc. 10.

Non est etiam sancti Spiritus dissimilis ęstimanda reuelatio, in quo est ipsius Dei naturalis agnitio, dicente Apostolo: *Quis enim scit hominum quæ sunt hominis nisi spiritus hominis qui in ipso est?* ea & quæ Dei sunt, nemo cognouit, nisi spiritus Dei. De ipso dicit idem gentiũ doctor:

1. Cor. 2.

doctor: *Nobis enim reuelauit Deus per Spiritum suum.* De hoc denuò ad Ephesios ita scribit: *Vt Deus Domini nostri Iesu Christi Pater gloriæ, det nobis spiritum sapientiæ & reuelationis.* Et ut ostenderet agnitionem Dei in nobis reuelationem Spiritus operari, cùm dixisset: *Det vobis spiritum sapientiæ & reuelationis:* adiecit: *in agnitione eius.*

Ibid.

Eph. 1.

Sola uerò se potest Trinitas reuelare: quia sola se plenè potest ipsa Trinitas nosse. Et quantum se dederit agnoscendam, tantum se condonat reuelandam. Ibi autem est plena sui cognitio, ubi nõ est naturalis ulla discretio. Immensus namq; ab immenso plenè cognoscitur, & scientiæ infinitas manet, ubi substantia finem non habet: nec scientiæ terminus ab aliqua creatura contingitur, ubi quod immensum est, nullatenus terminatur.

Sola est ergo una Trinitas, quæ cùm „ se manifestat, ineffabiliter uenit: & cùm „ se indignis occultat, ineffabiliter omni- „ no discedit. Veniunt atque abeunt pro- „ prio

Trinitatis aduentus & abitus nõ fit loci mutatione.

prio atq; incomprehensibili modo, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus: nec tamē localiter aut Pater aut Filius moueatur aut Spiritus. Nouerunt sic uenire atque abire, ut nec ad locum localiter ueniant, nec localiter de loco discedãt. Hic aduētus Patris & Filij & Spiritus sancti non mobilitatem, sed pietatem Dei uenientis ostendit. Vna enim Deitas Trinitatis, quæ omnia implet, omnia con-
„ tinet: Illi uenire dicitur, cui se manifesta-
„ re dignatur: & ab illo discedit, à quo lu-
„ men suæ dilectionis abscondit. Nec tamen localiter absens efficitur, cùm iustè relinquit indignum: nec loco præsens efficitur, cùm misericorditer uisitat quē fecerit dignum. Propterea licet Deus
Ierem. 23. dicat: *Cælum & terram ego impleo*, tamē
Psal. 10. de quodam dicitur: *Non est Deus in conspectu eius*. Et licet totum impleat Pater, dicitur tamē in libro Sapientiæ: Peruersè enim cogitantes Separant à Deo. Et
Sap. 8. cùm de filio: id est, de Sapientia Dei dicatur: *Attingit à fine vsq; ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter*: eadem tamen

men de se dicit: *Quærunt me mali, & non inuenient*. Et rursus dicitur: *In maleuolam animam non introibit sapientia, nec inhabitat in corpore subdito peccatis*. Spiritus quoque sanctus, cùm immensus omnimodis prædicetur: *quia spiritus Domini repleuit orbem terrarum*: de eodem tamen dicitur: *Sanctus enim spiritus effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu*.

Prou. 1.
Sap. 1.
Ibid.

Quantum ergo ad substantiam & potentiam suam, ubique est Trinitas, unus Deus, totus, totum complens uirtute, non mole, totus in singulis, totus simul in omnibus creaturis. Quantum uerò ad cogitationes attinet nostras, descendere ad nos Deus dicitur, cùm sermonem suum ita nobis diuinitas temperat, ut humano nobiscum more loquens, agnitionem & dilectionem suam nobis intimare dignetur. Ascendit autem in nobis, quando nos ascendimus per charitatem & scientiam deitatis, ut discamus, nec in immenso quicquam locale sapere, nec de altissimo humile aliquid æsti-

Ἀνθρωποπάθειαι sunt, ascensus & descensus Dei.

æſtimare, nec aliquid in Deo credere mutabile, nec in ſempiterno temporale aliquid cogitare.

Requies Deo tribuitur ad hominis captum.

Talis eſt Patris & Filij & Spiritus ſancti credendus aduentus, ſicut mundana operatione primordialiter conſummata, requieuiſſe dicitur Deus: quia tamen non laborauit in opere: quia cuncta ſola operatus eſt uoluntate. Huic enim dicitur: *Subeſt enim tibi cùm voles poſſe*, ſicut & in Pſalmo audimus: *Omnia quæcunque voluit fecit*, in cœlo & in terra, & in mari & in omnibus abyſsis. Cuius uoluntatis omnipotentiã Euangelicus ille leproſus diuina illuminatione cognoſcens, hanc ad ſuæ mundationis ſufficere teſtatur effectum, dicens: *Domine, ſi vis, potes me mundare*. Cùm dicit, *ſi vis, potes*, oſtendit diuinam uoluntatẽ ipſam eſſe pleniſsimam poteſtatem. Denique etiam Dominus hoc miſericorditer effectu curationis oſtẽdit, quod crediderat fideliter qui popoſcit. Ait enim, *volo, mundare. Et confeſtim mundata eſt lepra eius*. Sicut faciens ergo mundum, non cuiuſ-

Sap. 12.
Pſal. 115.
Matth. 8.

cuiusquam sensit laboris incõmodum, ut uires labore operationis exhaustas, quietis posset instaurare successu, sed cũ se requieuisse dicit, nos post bona opera requieturos ostendit: ita cùm uenisse uel descendisse dicitur, diuinæ reuelationis erga nos gratia commendatur: & cùm non descendere, sed ascendere dicitur, profectus nostræ illuminationis agnitionisq; monstratur.

Talem Dominus Iesus ascensum significauit, quando tangendi se facultatem Mariæ Magdalenæ prohibuit. Post resurrectionem nanque, cùm flenti misericorditer appareret, Ioannes eum dixisse commemorat: *Noli me tangere, nõdum enim ascendi ad Patrem meum*. Hic tactus, de quo Dominus loquitur, credulitatis probatur esse, non corporis: alioquin repugnans Euangelistarum reperietur assertio. Nam cùm Ioannes tangendi Dominum Mariæ facultatẽ præreptã, ipsius Domini testetur imperio, dicentis: *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum*: & Dominum in

Ioan. 20.

De sensu dicti, Noli me tangere.

in cœlum ſecundùm hominem aſcen-diſſe quadrageſimo reſurrectionis die Scriptura confirmet, quod nō ſolùm Ec-
Act. 1. cleſiæ ſanctæ Catholicę fides intemerata retinet, ſed etiam uariarum hæreſum, earum duntaxat, quę uerę carnis in Dei Filio non abnuunt ſacramentum, diuerſa multiformisq; credulitas uniuoco prorſus concelebrat aſſenſu: ſi priuſquā Dominus aſcendiſſet ad Patrem, noluit corporali aſcenſu Mariæ contingi, quomodo Matthæus, ipſo reſurrectionis die, Mariam Magdalenæ, & aliam Mariam pedes Ieſu memorat tenuiſſe?

Quod ut manifeſtiùs agnoſcatur, totum eiuſdem loci capitulum, ſicut Matthæus poſuit, huic operi duximus inſe-
Matth. 28. rendum. Ait igitur: *Veſpere autem ſabathi, quæ luceſcit in prima ſabathi, venit Maria Magdalenæ, & altera Maria, videre ſepulchrum, Et ecce, terræmotus factus eſt magnus. Angelus autem Domini deſcendit de cœlo, & accedens reuoluit lapidem, & ſedebat ſuper eum. Erat autem aſpectus eius ſicut fulgur, & veſtimentum*

eius

eius sicut nix. Præ timore autem eius exterriti sunt custodes, & facti sunt velut mortui. Respondens autem angelus, dixit mulieribus: Nolite timere vos: scio enim quod Iesum, qui crucifixus est, quæritis: non est hic, surrexit enim sicut dixit: Venite, videte l[illegible] m, ubi positus erat Dominus. Et citò euntes, dicite discipulis eius, quia surrexit: & ecce præcedit vos in Galilæam, ibi eum videbitis. Ecce dixi vobis. Et exierunt citò de monumento, cum timore & gaudio magno, currentes nunciare discipulis eius. Et ecce Iesus occurrit illis, dicens: Auete. Illæ autem accesserunt, & tenuerũt pedes eius, & adorauerunt eum.

Quomodo ergo se, eò quòd nondũ ascendisset ad Patrem, à Maria Magdalenæ tangi uetuit, à qua sibi eodem die pedes teneri permisit? An ita quisquam peruerso sensu raptatur, ut momentaneis putet Christi sentẽtias motibus uariatas? tanquam qui postmodum meliùs recogitans Mariæ tribuerit, quod antè denegarit? Sed tali cogitationi protinus Vas electionis obsistit, qui in

Dei Filio, ſecundùm immutabilitatem diuinitatis æternæ, nulla nos mutabilitatis ſuſpicione permittit errare, Corinthijs ita ſcribẽs: *Dei enim Filius Ieſus Chriſtus, qui in vobis per nos prædicatus eſt, per*
2.Cor.1. *me & Syluanum & Timotheum, non fuit in illo, eſt & non: ſed, eſt, in illo fuit. Quotquot enim promiſsiones Dei ſunt, in illo eſt. Ideò & per ipſum dicimus: Amen, Deo ad gloriam veſtram.*

Non ergo hîc Euangeliſtarum diſcrepat intellectus, nec Chriſtus aut inaniter ſe tangi, nondum aſcendens ad Patrem, prohibuit, aut incaſſum ſibi pedes teneri permiſit. In uno enim demonſtrauit ueritatem carnis, in altero inſinuauit gloriam deitatis. Illic permiſit manum, hic amouit intellectum, ut in homine Chriſto reſuſcitatæ carnis tangeretur ueritas, & in eodem Deo Chriſto paternæ diuinitatis crederetur æqualitas. Ideò igitur dicit: *Noli me tãgere: quia nondum aſcendi ad Patrem meũ:* quia Maria Magdalenæ nondum Patri æqualem credebat, quem uelut extinctũ fœminea pietate

tate plangebat. Quid est enim: *Noli me tangere, nondum enim aſcendi ad Patrem meum?* niſi, noli hoc in me tantum credere quod putas: noli hoc in corde firmare, quod æſtimas: quia quamdiu in me illa tantum quę ſunt carnis attendis, æqualitatem meam cum Patre non ſentis. Et reuera nondum illis Chriſtus aſcendit ad Patrem, qui Patri Filium non confitentur ęqualem. Feſtinandum itaque eſt, ut unuſquiſque perfectionem & ueritatem humanę naturę in Deo Filio credens tanquam pedes Chriſti teneat, eiuſdemq́ Filij de Patre natā ſubſtantiam fateatur, ut illi Chriſtus ad Patrem per æqualitatem naturalis diuinitatis aſcendat.

Quid eſt enim, *Nondum aſcendi ad Patrem meum*, niſi, infra Patrem exiſtimas, quem mortuū ploras? Et quidem eſt, *Noli me tangere*, noli in eo fidei tuæ motum ſtatuere. Quotieſcunque enim uolumus quolibet membro aliquid tangere, niſi eiuſdem membri finierimus motum, non dicimus tactum: tamdiu

autem membrum illud necesse est moueamus, donec ad rem, quam uolumus tangere, ueniamus. Vlteriùs autem motum membri non porrigimus, postquam, ad tactum integrum uenerimus. Sic & animi nostri motum illic statuimus, quod in corde nostro credulitate firmamus.

" Proinde, si quæ digna & cõgrua sunt
" credamus de Christo, tunc tangimus
" Christum: quisquis autem Dei Filium,
" secundùm diuinam naturam, æqualem
" Patri non credit, nondum illi ad Patrem Christus ascendit. Et cui Filius nõ ascendit ad Patrem, tangendi Christum non accipit facultatem. Illi autem uerè Filius ascendit ad Patrem, qui Filium Patri æqualem, sempiternitatis & immensitatis parilitate nõ ambigit, ut Filiũ Deum de Deo Patre naturaliter genitum, nec posteriorem æstimet, nec minorẽ. Quia non æqualis, si minor immenso, nec coæternus, si posterior sempiterno. Vterque autẽ sensus à Christi tactu separat, quia non exæquat Patri Filium, sed minorat.

norat. Huiuſmodi autem dignè audit à Chriſto: *Noli me tangere, nondum enim aſcendi ad Patrem meum.* Quiſquis enim tangere Chriſtum non ſinitur, ab eius utiq; corpore ſeparatur. Quod eſt autem corpus Chriſti, niſi eccleſia Chriſti? Vnde intelligitur, quia donec aliquis Filium Dei ſecūdùm diuinam ſubſtantiam ęqualē non credit Patri, membris Chriſti per tactum fidei non poteſt copulari. Ille autem Dominici corporis tenet profectò compagem, cui Filius aſcendit ad Patrem: illi autē Filius aſcendit ad Patrem, qui Deitatē Filij Deo Patri fatetur æqualem.

Manifeſtè itaq; claret, per illum ad Patrem aſcenſum Filij, noſtræ potiùs profectum fidei demōſtrari: nos enim eum quodammodo in noſtris cordibus exaltamus, quando ſic in eius intelligentia creſcimus, ut de illo, tanquā de Deo uero, quę diuinæ celſitudini digna ſunt, cogitemus. Ad hanc nos Dei exaltationem Dauid ſanctus hortatur, dicens: *Exaltate Dominū Deum noſtrum, & ado-* Pſal. 98.

rate ſcabellum pedum eius, quoniam ſanctum eſt. Et paulò pòſt: *Exaltate Dominum Deum noſtrum, & adorate in monte ſancto eius, quoniã ſanctus Dominus Deus noſter*. Quid eſt autem, Exaltare Dominum, niſi quæ altiſsima ſunt de altiſsimo credere? Hoc eſt utiq; in monte adorare, ut cùm de Deo cogitamus, nihil de illo humile ſapiamus. Sic in nobis uerè exaltatur, quando eum exaltamus, cùm ſit ipſe ſemper altiſsimus, ſicut in nobis ſanctificatur, quando eum ſanctificamus, cùm ſemper ipſe maneat ſanctus. Nam beatus Petrus admonet
1.Pet.3. nos, dicens: *Dominũ verò Christum ſanctificate in cordibus veſtris*. Quid eſt au„tem Chriſtum ſanctificare, niſi de Chri„ſto quæ ſancta ſunt cogitare? quæ cogi-
Sanctificatio Dei. tatio nõ illum, ſed nos ſanctificat, & ſanctificando conſeruat. Sicut Salomon dicit: *Cogitatio ſancta ſeruabit te*. Ipſe quoque Dominus iubet, ut in oratione dica
Matth.6. mus: *Sanctificetur nomen tuum*. Et tamẽ hunc orationis locum ſic beatus intellexiſſe cognoſcitur Cyprianus, ut in hac
diui-

diuini nominis ſanctificatione, nõ Deũ diceret ſanctificari, ſed nobis donũ ſanctificationis diuinæ conferri. In Epiſtola namq; de dominica oratione, quibuſdam præmiſsis, ita loquitur: *Poſt hoc dicimus: Sanctificetur nomen tuũ, non quòd optemus Deo, vt ſanctificetur orationibus noſtris: ſed quòd petimus ab eo, vt nomen eius ſanctificetur in nobis. Cæterùm à quo Deus ſanctificatur, qui ipſe ſanctificat? Sed* Leuit. 20.
quia ipſe dixit: Sancti eſtote: quia & ego ſanctus ſum: id petimus & rogamus, vt qui "
in baptiſmo ſanctificati ſumus, in eo quod "
eſſe cœpimus, perſeueremus, & hoc quoti- "
die deprecamur. Opus eſt enim nobis quo- "
tidiana ſanctificatione, vt qui quotidie delinquimus, delicta noſtra ſanctificatione aſsidua repurgemus.

Sicut ergo ſanctificantes Chriſtum nos ſanctificamur, & nomen Dei ſanctificari poſcentes, nos donum ſanctificationis accipimus: cur exaltantes Deũ non potiùs nos per intelligentię profectum exaltari credamus? Quòd ſi Deũ exaltantes, nos potiùs exaltamus: ſimi-
 liter

liter cum nobis uenire dicitur, noſtrum profectũ debemus credere, in eo, quòd ſe diuina maieſtas noſtris dignatur cordibus reuelare.

Emanatio virtutis à Chriſto, illocalis.

Nam ſi Filius Dei ad nos locali motu deſcendit, localiter de illo uirtus exiuit. Cùm enim quædam mulier, in profluuio ſanguinis cõſtituta, facultatibus uiribusq́; conſumptis, omnia quæ habuit propter infirmitatem finiret, & ſolam infirmitatem, quam habere nollet, finire non poſſet, atq; à cœleſti medico, gratis curari deſiderans, occultè fimbriã tangens, fideli raptu ſanitatis ſibi furaretur effectum, ille credulitatis conſcius, & ſalutis, ait: *Tetigit me aliquis. Nam ego noui, virtutem de me exiſſe*. Quid igitur hæc uirtus, quæ de Domino exiuit? Nunquid exeundo diſceſsit? An ad ſanandam ſic exiens potuit peruenire, ut à Saluatore localiter non poſſet exire? Quòd ſi localiter ab eo, qui uirtus dicitur, uirtus exiuit, dicatur: qualiter uirtus à uirtute diſceſsit? Si uerò talis credulitas fidei Chriſtianæ uidetur incongrua,

Luc. 8.

non

non alium putemus illũ de Christo uirtutis exitum, nisi diuinę curationis effectum. Tunc enim ad mulierem uirtus " Saluatoris exiuit, quando in se uirtutem " diuinæ curationis agnouit. "

Si ergo Dei Filius, qui est uirtus & sapientia Dei, locorum creator & temporum, quemadmodũ tempus omne, sempiternus præcedit, sic omnem locum immensus excedit, qui nobis tunc uenire " dicitur, cùm nos illuminare dignatur. " De ipso namq; dicit Euãgelista: *In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit. In propria venit, & sui eum non receperunt.* Quomodo igitur & in mundo fuisse dicitur, & in mundum uenisse firmatur? An illud est potentiæ, istud gratię deputandum? ita planè. Secũdùm diuinitatem namq; suam nec de cœlo unquam defuit, nec inferno, nec mundo. Omnia enim per ipsum & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso cõstant: secũdùm gratiam uerò tũc in mundum uenit, quando pereunti mundo mira pie-

Aduentus immensi.

Ioan. 1.

tate subuenit. Quod etiam ipse testatur
Ioan.3. dicens: *Non enim misit Deus Filium suũ, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum.*

Personæ trinitatis æqualiter immensæ.

Est igitur immensus Dei Filius, sicut Pater & Spiritus. Quoniam de ipso di-ctum est: *Magnus est & non habet finem, excelsus & immensus.* De quo paulò pòst
Bar.3. dicitur: *Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* Immensus est etiã Spiritus sanctus. Quod sciens Pro-
Psal.139. pheta, dicebat ad Deum: *Quò ibo à Spiritu tuo, & à facie tua quò fugiam?* Quem spiritum Dei, ut ipsum Sanctum spiritũ Propheta memoratus ostenderet, dicit
Psal.51. Deo: *Ne proijcias me à facie tua, & Spiritum sanctum tuum ne auferas à me.* Quẽ spiritum Dei ipsum esse Spiritum sanctum, Apostolus quoq; hac attestatio-
Ephes.4. ne significat: *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis, in die re-*
1.Thess.4. *demptionis.* Et alio loco: *Qui autem hæc spernit non hominem spernit, sed Deum, qui etiã dedit Spiritum suum sanctum in nobis.* Hunc Spiritum Dei sanctũ sic im

mensum

mensum Dauid pronũciat, ut Deo (sicut superiùs memorauimus) dicat: *Quò ibo à Spiritu tuo, & à facie tua quò fugiã? Si ascendero in cœlum, tu illic es, & si descẽdero in infernũ, ades. Et si assumpsero pennas meas in directione, siue* (sicut alia trãslatio habet) *ante lucem, & habitauero in nouißimo maris. Etenim illuc manus tua deducet me, & continebit me dextera tua.* Psal. 139.
Manum Patris Filium nullus ambigit nominari, de quo ipse Deus dicit: *Nonne manus mea fecit hæc omnia?* Attamen propheta, ut Trinitatem æqualiter prædicaret immensam, & Patrem significauit, cui dixit: *Quò ibo à Spiritu tuo:* & ipsum Spiritũ, à quo se ire uel fugere nullo modo posse testatur: & Filiũ demonstrauit, ubi se à Dei manu etiã in nouissimo maris prædicat deducendum, ut agnoscatur Patris & Filij & Spiritus sancti una esse immensitas, & una pręsentia in omnibus creaturis.

Hæc est Trinitas unus Deus, qui sicut potuit solus uniuersa condere, sic potest omnia solus implere. Nec localis in

loco,

loco, nec temporalis in tempore, nec terminabilis termino creaturæ. Nam immensitatem diuinitatis Filij Dei, manifesta prædicatione, & eloquiorum diuinorum attestatione, beatus martyr Cyprianus affirmat, in epistola de oratione Dominica, dicens: *Deniq; magisterio suo Dominus secretò nos orare præcepit, in abditis & secretis locis, in cubiculis ipsis, quod magis conuenit fidei, vt sciamus Deum vbique esse præsentem, audire omnes & videre & maiestatis suæ plenitudine in abdita quoq; & occulta penetrare, sicut scriptū est: Ego Deus approximans, & non Deus de longinquo. Si absconditus fuerit homo in absconditis, ego ergo non videbo eum? Nónne cælum & terram ego impleo? Et iterum: In omni loco oculi Dei speculantur bonos & malos. Et quando in vnum cum fratribus conuenimus, & sacrificia diuina cum Dei sacerdote celebramus, verecundiæ & disciplinæ memores esse debemus, nō passim ventilare preces nostras inconditis vocibus, nec petitionem commendandam Deo cū vultuosa loquacitate iactare: quia Deus*

Testimoniū Cypr de immēsitate Filij Dei.

Ierem. 23.

Prou. 15.

Deus non vocis, ſed cordis auditor eſt, nec ammonendus eſt clamoribus, qui cogitationes videt, probante Domino & dicente: Quid cogitatis nequã in cordibus veſtris? Et alio loco: *Scient omnes eccleſiæ, quia ego ſum ſcrutator renis & cordis.* Beatus certè Cyprianus, Deum, quem dixit ubique eſſe præſentem, audire omnes & uidere, & maieſtatis ſuę plenitudine abdita quoq; & occulta penetrare, ipſum quoq; non uocis, ſed cordis aſſerit auditorem, nec ammonendum clamoribus qui cogitationes uidet, ipſum quoq; ponit dicentem: *Quid cogitatis nequam in cordibus veſtris?* Et alio loco: *Scient omnes eccleſiæ, quia ego ſum ſcrutator renis & cordis.* Hæc autem quis neſciat à Filio Dei dicta? ſicut Apocalypſis Euangeliumq; teſtatur. Filius igitur (ſicut ſanctus aſſerit Cyprianus) ubique præſens eſt, idem omnes audit & uidet, & maieſtatis ſuę plenitudine in abdita quoq; & occulta penetrat, nec clamorib. ammonendus eſt qui cogitationes uidet. Matth.4. Apoc.2.

Huic ſenſui, Ioannis Euangeliſtæ dicta

cta cōcordant, qui dicit de quibuſdam: Ioan. 2. *Quia Ieſus non credebat ſemetipſum illis, eò quòd ipſe noſſet omnes, & quia opus ei nō erat, vt quis teſtimonium perhiberet de homine. Ipſe enim ſciebat, quid eſſet in homine.*

Simile quiddam beatus Cyprianus etiam ad Tyberitanos ſcribens, de Filij Dei immenſitate teſtatur his uerbis: *Solus non eſt, cui Chriſtus in fuga comes eſt, ſolus non eſt, qui templum Dei ſeruans, vbicunq; fuerit, ſine Domino non eſt. Et ſi fugientem in ſolitudine ac montibus latro oppreſſerit, fera inuaſerit, fames aut ſitis aut frigus afflixerit, vel per maria præcipiti nauigatione properantem tempeſtas aut procella ſubmerſerit, ſpectat militem ſuũ Chriſtus vbiq; pugnantem.* In epiſtola quoque de lapſis, quiſquis uolet hæc inſerta reperiet: *Videt ille corda & pectora ſingulorum, & iudicaturus non tantùm de factis, ſed & verbis & cogitationibus noſtris, omnium mentes voluntatesq; conceptas intra ipſas adhuc clauſi pectoris latebras intuetur.*

Filius

Filius ergo Dei tàm authoritate diuina quàm sanctorum Patrum fideli ueraciq; sententia secundam diuinam naturam infinitus immensusq; probatur, ubiq; præsens, omnia replens, testis nūc cogitationum, & operum, futurus iudex retributorq; cunctorum. Quia uerò idem Filius Dei uerus Deus natus de Deo Patre, uerus homo factus est pro nobis ex homine: factus est enim ex semine Dauid secundum carnem, diuinæ, humanæq; naturæ in se continens ueritatem, quæ fuerunt ueræ diuinitatis non amisit, & quæ sunt ueræ humanitatis accepit, unus idemq; secundum carnem de matre tēporaliter natus, qui secūdum diuinitatem de Patre permanet sempiternus, unus idemq; homo localis ex homine, qui est Deus immensus ex Patre, unus idemq; secundū humanam substantiam, absens cœlo, cū esset in terra, & derelinquens terram, cùm ascēdisset in cœlum: secundùm diuinam uerò immensamq; substantiam, nec cœlū dimittens, cùm de cœlo descendit, nec ter-

Vtraq; natura in Christo suas retinuit proprietates.

" ram deſerens, cùm ad cœlum aſcendit.

Quod ipſius Domini certiſsimo poteſt cognoſci ſermone, qui ut localem oſtenderet humanitatem ſuam, dicit diſcipulis ſuis: *Aſcendo ad Patrem meum & ad Patrem veſtrum, Deum meum & Deũ veſtrũ*. De Lazaro quoq; cùm dixiſſet: *Lazarus mortuus eſt:* adiunxit, dicens: *Et gaudeo propter vos, vt credatis: quoniã non eram ibi*. Immenſitatem uerò ſuę diuinitatis oſtendens diſcipulis dicit: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſq; ad conſumationem ſæculi*. Quomodo autẽ aſcendit in cœlũ, niſi quia localis & uerus eſt homo? Aut quomodo adeſt fidelibus ſuis, niſi quia immẽſus & uerus eſt Deus? De ipſo rurſum dicit Scriptura: *Quia verè habitauit Deus cũ hominibus in terra*, de quo Euãgeliſta dicit: *Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis*. Quod uerbum, ut agnoſceretur etiam, cũ caro factũ eſt, & habitauit in nobis, nunquam diſceſsiſſe de cœlo, propterea Dauid dicit: *In æternũ Dominè permanet verbũ tuũ in cœlo*. De ipſo uno eodemq; Dei

Confirmatur teſtimonijs S. Scripturæ.
Ioan. 20.
Ioan. 11.
Matth. 28.
Num. 35.
Ioan. 1.
Pſal. 119.

Dei sempiterno Filio, & futuro tunc hominis Filio, in quo permansisset uera & immensa Diuinitas, & à quo suscipienda esset uera localisq; humanitas, Propheticæ inspirationis agnitione repletus, dixerat Hieremias: *Hic Deus noster, & non æstimabitur alius ad eum. Adinuenit omnem uiam disciplinæ, & dedit eam Iacob puero suo, & Israël dilecto suo. Post hæc in terris uisus est, & cum hominibus conuersatus est.* Et quoniam de ipso superius dixerat: *Magnus est, & non habet finem, Excelsus & immensus:* ne ista Dei in terra uisio, & cum hominibus cõuersatio, Deum immensum putarent alienasse de cœlo, propter hoc ipse Filius, ut immensitatẽ diuinitatis suæ in terra positus demonstraret, & secundum hominem, quem susceperat in terra positus, secundum Deũ, quod semper erat, præsentem se etiã de cœlo doceret, ait: *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit Filius hominis qui est in cœlo.* Non quia humana Christi substantia fuisset ubiq; diffusa, sed quoniam unus idemq;

Baruch. 3.

Ioan. 3.

„ Dei Filius atque hominis filius, uerus
„ Deus ex Patre, sicut homo uerus ex ho
„ mine, licet secundùm ueram humanita-
„ tem suam localiter tunc esset in terra, se-
„ cundùm diuinitatem tamen (quæ loco
„ nullatenus continetur) cœlum totus im
„ pleret & terram.

Christi humanitas loco est circũscripta.

Istam Christi ueram humanitatem, quę localis est, ut ueram diuinitatẽ (quę immensa semper est) Apostolica quoq; doctrina cernimus intimari. Nã ut Christi ueri hominis corpus localiter contineri Paulus monstraret Apostolus, ait ad Thessalonicenses: *Quo cõuersi estis ad Deũ à simulachris, seruire Deo viuo & vero, & expectare Filium eius de cælis, quem suscitauit, à mortuis Iesum*, ipsum utique monstrans corporaliter de cœlo uenturum, quem corporaliter à mortuis nouerat suscitatum. Propterea rursus ait: *Nostra autem conuersatio in cælis est. Vnde etiam Saluatorem expectamus dominũ Iesum Christum, qui reformauit corpus humilitatis nostræ, conforme corpori claritatis suæ, secundùm operationem, qua potest*

1. Thess. 1.

Phil. 3.

etiam

etiam subijcere sibi omnia. Interim quoniam huius loci oportunitas nullo est prætereunda silentio, attendatur hic locus, in quo beatus Paulus Apostolus Filiũ dicit, omnia sibi posse subijcere, nec Patre existimetur cuncta tanquam inualido subiecisse, dicit etiam corpus humilitatis nostræ reformaturum conforme corpori claritatis suæ. Quod si uerũ est corpus Christi, loco potest utiq; contineri. Hanc ueritatem corporis Christi de cœlo uenturi, Ioannes quoq; confirmat dicens: *Ecce veniet cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum compunxerunt*. In libro quoq; Actuum Apostolorum, sic eius corporalis intimatur ascensus. *Et cùm hæc dixisset, videntibus illis eleuatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum. Cumq; intuerentur in cœlum eundem illum: ecce duo viri astiterũt iuxta eos in vestibus albis, qui & dixerũt: Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum? Hic Iesus, quem vidistis euntem in cœlum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.*

Apoc. 1. Act. 1.

Christi diuinitas vbiq; est.

Cùm ergo caro Christi localis absque dubitatione monstraretur, diuinitas tamē eius ubiq; semper esse, Paulo testante, cognoscitur, qui fidelibus dicit: *An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur, Christi?* Quomodo autem in eo loqui potuit, si in illo nō fuit? Vel quomodo corporaliter ascendit in cœlum, & in suis fidelibus esse prædicatur in terra, si non est in illo diuinitatis immensitas, quæ cœlum implere posſit & terrā? Nam Corinthijs Paulus dicit: *An non cognoscitis vos ipsos? quia Iesus Christus in vobis est.* Et ad Ephesios ait: *In interiore homine habitare Christū per fidem in cordib. vestris.* Est itaq; Filius in cœlo, & habitat in nobis in terra, scilicet illa suæ immensitatis præsentia, qua in nobis Pater, Spiritusq; sanctus habitat. Nam Deus Pater suam in nobis habitationē sic, Propheta loquente, mōstrauit: *Quoniam inhabitabo in illis, & inambulo, & ero illorum Deus, & ipsi erūt mihi populus. Propter quod exite de medio eorum, & separamini dicit Dominus. Et immundum*

2.Cor.13.

Habitat in nobis Christus. Ibid. Eph.3.

Et Deus Pater. Iesa.52. 2.Cor.6.

ne te-

ne tetigeritis, & ego recipiã vos, & ero vobis in Patrem, & vos eritis mihi in filios & filias, dicit Dominus omnipotens. Spiritũ quoq; sanctum in nobis pariter habitare Paulus ostẽdit, in Corinthijs scribẽs: *Nescitis, quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis?* Ac ne quis eorum, qui Spiritum sanctũ minorem Patre Filioq; constituunt, hic ubi dictum est: *Spiritus Dei habitat in vobis:* ad personam sancti Spiritus deneget pertinere, quid in illo replicaturus est loco? Vbi Apostolus Timotheũ sollicitudine paterni amoris informat: *Bonum depositũ,* inquiens, *custodi per Spiritum sanctum, qui habitat in nobis.*

Et S. Spiritus.

1. Cor. 3.

2. Tim. 1.

Hæc utique Patris & Filij & Spiritus sancti in nobis habitatio, nõ localis est, sed immensa: non comprehensibilis cogitatione, sed uenerabilis fide. Inhabitat enim Trinitas in suis fidelibus, sicut tota in singulis, sic tota in cunctis, quę nec cœli terræq; spacio distenditur, nec uniuersæ creaturæ termino terminatur, nec per separatos homines & separata loca

Habitatio S. triados in nobis non localis, sed immensa.

particulariter ſeparatur, nec inferno de-
„ eſt, cùm terræ non deſit & cœlo. Qui e-
„ nim potuit omnia facere, ſolus poteſt u-
„ niuerſa replere. Quiſquis autem localē
Filij & Spiritus ſancti aduentum habi-
tationemúe conſiderat, prius eſt, ut Pa-
trem in nobis localiter, non ſolùm habi-
tare, uerumetiam ambulare confirmet,
quem beatus Paulus dixiſſe aſſerit per
2.Cor.6. Prophetam: *Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo.* Explicetur ergo qualiter
in nobis Filius uel Spiritus ſanctus in-
habitat. Nam ſi hæc humano more cre-
dimus metienda, maioris eſt quantitatis
qui habitare tantūmodo dicitur, quàm
ille qui etiam in nobis ambulare mon-
ſtratur: Poteſt enim qui habitat totum
implere quod habitat: qui autem inam-
bulare dicit̃, minor utiq; ſpacio, in quo
ambulat, abſq; dubitatione monſtratur.
Sed hãc cogitationis ineptiam deterior
conſequetur abſurditas. Proculdubio
enim cordis noſtri ſpacia uidebuntur i-
pſa Trinitate maiora, in quibus ſit loc9,
quē Filius atq; Spiritus ſanctus inhabi-
tando

tando implere poſsint, & locus quem in ambulando Patre implere non poſſit. Quod ſi hæc non conueniunt ueritati, credamus habitationem Trinitatis ſecundum immēſitatis illius incomprehenſibilem maieſtatem ineffabiliter deſignari. Et cùm Deum in nobis habitare atq; inambulare audiamus, ita ſpiritaliter cognoſcamus, ut non credamus, quòd Deus localiter moueatur in corde noſtro, ſed quòd cor noſtrum dilatetur in Deo. De qua cordis latitudine Apoſtolus loquebatur, dicens: *Os noſtrum patet ad vos ô Corinthij, cor noſtrum dilatatum eſt. Eandem autem habentes remunerationem tanquā filijs dico, dilatamini & vos*. Vbi paulò pòſt teſtimonium Prophetæ poſuit ſuperiùs memoratum, dicens: *Vos enim eſtis templum Dei viui ſicut dicit Deus: Quoniam inhabitabo in illis & inambulabo.* 2.Cor.6.

Sed nec illud eſt aliquatenus omittendum, quo manifeſtiſsima Trinitatis immenſitas, & per omnia nō localis, ſed diuina mirabiliſq; præſentia demonſtratur, *Trinitatis immenſitas demonſtratur, ex forma baptiſmi.*

tur, dum in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, secundũ ipsius Domini pręceptum credentes, ubi cognoscimus baptizari. Si enim omnis Trinitas in baptismate sanctificare credit, omnis utiq; Trinitas adesse monstratur. Cùm autẽ ubiq; uno tempore per totũ orbem Baptisma celebratur in nomine Trinitatis, si tota Trinitas adest ad significandũ ecce ubiq; mirabiliter exhibet præsentiam maiestatis immensæ, quoniam solius est Dei, simul uniuersa complere. Si autem non tota Trinitas ubiq; pariter adest, si Filius aut Spiritus sanctus putatur deesse, nominãdus utiq; in baptismate nõ est, qui ad sanctificandum adesse nõ potest. Quisquis ergo putat, æqualitatẽ immensitatis paternę denegandã Filio uel Spiritui sancto, nomen, eorum priùs auferat de baptismatis sacramento. In hoc igitur quàm maximè fidei catholicę ueritas agnoscitur, quæ rectè in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti baptizare consueuit, quoniam omnem Trinitatem ubiq; pariter adesse confidit.

Posset

Possetadhuc immensitas diuinitatis Filij Dei testimonijs innumerabilib. demonstrari: sed nos maluimus pauca de plurib. ponere, uolentes etiam secundũ librum celeriùs terminare, quàmmaximè prospicientes, ut in his, quæ uestræ clementię destinamus, animũ regalibus curis fœliciter occupatum, nõ lectionis prolixitas oneret, sed manifestatio ueritatis informet. Proinde quæ de immẽsitate diuinitatis Filij Dei disputata sunt, isto concludamus termino, ut ea quę de Sacramẽto dicẽda sunt Dominicæ passionis, alio rursus incipiamus exordio. *Epilogus.*

BEATI FVLGENTII DE SACRAMENTO DOminicæ passionis, AD TRASIMVNDVM REGEM, LIBER III.



Vanquam secundo libro, superni muneris opitulatione subnixi, diuinitatẽ Filij Dei probauerim9 immẽsam, nec tempore scilicet nec loco cõclusam, ut- *Transitio.*

pote quę omnia replet, omnia continet, omnia sempiternitate præcedit, omnia pariter immensitate concludit, quod idcirco quàmmaximè curauimus demonstrandum, ut si qui nũc usq; spiraliter de Deo nequeunt cogitare, localis in Dei Filio suspicionis absoluerentur errore: nõ minor nobis est sollicitudo residua, tertij quoq; huius uoluminis absoluendi, quo de Sacramento Dominicæ passionis, quod ipse, qui pro nobis passus est, donauerit, sumus utique tractaturi.

Difficultas huius tractationis.

Vbi non minimo timore cõcutimur, nec leui formidine perurgemur. Sumus enim prorsus (quantum ad nos attinet) explicationi tantæ profunditatis inualidi. Sed ille, qui aperuit os mutũ, & linguas infantium facit disertas, ipse (sicut confidimus) dabit sermonem directum & bene sonantem in os nostrum, tantamq; huic operi (quod per nos dignatur misericorditer operari) demonstrandæ ueritatis gratiam largietur, ut manifestis Scripturarum clareat documentis,

tis, & rectitudo Catholici dogmatis, & tortuosus error ac multiplex hæreticæ prauitatis.

Sunt enim quidam, qui de Sacramento Dominicæ passionis aliter, quàm se pietas habet, cogitantes, dum salutem quærunt, dispendium salutis incurrunt: & dum in Deo id accipiunt, quod in hominibus cernunt, quadam uelut lancea peruersæ loquutionis latus percutiunt Saluatoris: & cùm increduli milites detrahere ausi non fuerint morienti quidam nunc sub Christiani nominis fuco non metuunt derogare regnanti. Hi sunt, qui cùm in uno Christo Deo uero hominéque perfecto humanã diuinámque forsitan nequeunt, aut certè negligunt, secundùm naturalem ueritatem considerare substantiam, in id erroris incurrunt, ut non humanam in Dei Filio naturam, manente diuinæ uirtutis immutabilitate considerent, sed ut diuinam substantiam diuinę infirmitatis passibilitate dedecorent. *Error Theopaschitarũ.*

Quod utique diuino Spiritu præuidens,

dens, dicebat Apostolus: *Verbum enim crucis, pereuntibus quidem stultitia est. His autem, qui salui fiunt, virtus Dei est.* Pereunt in uerbo crucis, nō solùm, qui putant Dei Filium, quæ humana sunt in carne pati nō potuisse, uerumetiam, qui credunt diuinitatem Filij Dei, dolores uel passionem substantialiter in cruce sensisse. Quomodo autem uerbum crucis uirtus est Dei, si in cruce diuina substātia potuit infirmari? uel qualiter nos ad immutabilitatis atque incorruptionis gratiam perducturus est Christus, si ipse secundùm diuinam naturam probatur in deterius commutatus? Cùm diuinæ naturę sit proprium nec defectum capere nec profectum.

1.Cor. 1.

Præparatio ad sequentē disputationem.

Igitur quid in Christo semper impassibile, quidúe ante mortem carnis passibile fuerit, tractaturi, primitus libello huic inserenda duximus, quæ de uno Christo Deo homineq́ credimus & tenemus. Ne quis, cùm in uno Christo cœperimus ea, quæ ad proprietatem diuinæ humanæq́ naturæ pertinent, demon-

monſtrare, aut duos Chriſtos nos exiſtimet credere, ſecundum utrãq; naturam, aut quartam à nobis inſeri putet Trinitati perſonam.

Nos enim fidem retinentes Euangelicæ ueritatis, ſic in Mediatore Dei & hominum homine Chriſto Ieſu, propria uniuſcuiuſque naturæ cognoſcamus, ut unitatem perſonæ nullatenus diuidamus: ſcientes, quòd ſic utriuſq; in Chriſto ſubſtantiæ manſerit unita proprietas, ut in carne patiens impaſsibilis Deus, & ueram paſsionem (quia uoluit) in uera carne ſentiret, & in diuinitate prorſus impaſsibiliter permaneret: nec alius in carne paſſus fuerit, niſi ille, qui in uera carnis paſsione, impaſsibilis omnino permanſit: nec alius ſemetipſum morti dignatus ſit tradere, quàm ille qui ſic potuit moriendo mortem uincere, ut mortem non poſſet in morte ſentire. Sed hæc qualiter in unitate perſonæ, ſubſtantiarum in Chriſto proprietate ſeruata, dicamus, profeſsionis noſtræ ſeries ſubiecta monſtrabit.

In Chriſto utraq; natura ſeruat propria ſua, nec tamẽ unitas perſonæ diuiditur.

Cre-

Christi diuinitas asseritur.

Credimus igitur Dei Filium, ante omne prorsus initium, hoc est, sine aliquo suæ natiuitatis initio de Patris substantia genitum, Deum de Deo, Dominum de Domino, non ex nihilo: quia de Patre, non nuncupatiuum, quia nomen habet ex ueritate naturæ, non ex aliqua natura: quia non aliquid fuit coæternum Deo, unde origo Filio præstaretur, nec posteriorem Filiũ eo qui genuit nec minorem, sed (sicut etiam in secundo libello diximus) Patri prorsus & sempiternitate immẽsitatis, & immensitate sempiternitatis æqualem, immutabilem mutabilium conditorem: intẽporalem temporalium factorem & temporum, quẽ nullus continet locus, quo nullus caret locus: quia cũcta replet Creator immensus, qui nõ propterea nõ est Deus: quia dicitur genitus, sed ideo uerus dignè creditur: quia de Patre substantialiter genitus prædicatur.

Natiuitas diuina nõ naturam, sed personam Filij à Patre distinguit.

Quod enim dicitur genitus, non hoc est nomen diuinitatis in Filio, sed nomẽ est natiuitatis in Deo, ut quem constat de

de Patre naturaliter genitũ, constet non aliud esse quàm Deum. Hic itaq; de Patre sempiternus existens, unã tenuit cũ Deo Patre naturam, sed propriam sumpsit ex genitore personã: quia diuina natiuitas, non diuisionẽ naturalis unitatis habuit, sed personam Filij subsistentis à Patre distinxit, & ex uocabulo Patris aliũ qui natus est monstrat, ut errorem Sabellianæ cõfusionis excludat, sicut ipse Filius protestatur, dicens: *Alius est, qui testimonium perhibet de me. Et scio: quia verum est testimonium, quod perhibet de me.* Et ut ostenderet, quem alium diceret, post pauca subiecit: *Qui misit me Pater, & ipse testimonium perhibet de me.* Alio loco similiter suam personã Patrisq; discernens: *Non sum*, inquit, *solus: quia Pater mecum est.* Ad hanc distinctionem geminę personę & professionem unius substantię in Patre & Filio perdocendã, ipse Filius dicit: *Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me: & qui videt me, videt eum qui me misit.* Ioan. 5. Ibid. 8. Ibid. 12.

Vnus est igitur Filius ex Patris natura

ra

Dei Filius cur unigenitus dicatur.

ra genitus, qui ideo unigenitus dicitur, ut ex proprietate paternæ naturæ unus & genitus demonſtretur. Sed hic, qui unigenitus ex Patre naturaliter dicitur, „ ſicut inſeparabilis eſt unitate naturę, ſic „ incõfuſibilis permanet proprietate per- „ ſonæ. Ob hoc ſe tantummodo Dei Filius unigenitum nominat, dicens: *Sic enim dilexit Deus mundum, vt Filium ſuũ vnigenitũ daret, vt omnis qui credit in eũ non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Et paulò pòſt: *Qui credit in eum, nõ iudicabitur: qui autem non credit, iam iudicatus eſt: quia nõ credit in nomine vnigeniti Filij Dei.* De ſolo Ioannes quoque proteſtatur, & dicit: *Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, & vidimus gloriã eius, gloriã quaſi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis.* Verbum caro factũ, plenum eſt gratiæ ſuſceptionis humanæ: quia Chriſtus nihil in ſe minus hominis habet: idemq; unigenitus à Patre, plenus eſt ueritatis paternæ ſubſtãtiæ: quia omnem in ſe diuinitatis paternæ plenitudinem naturaliter habet. Plenũ igitur gratiæ

Ioan. 3.

Ioan. 1.

Plenus gratiæ & veritatis.

gratiæ & ueritatis Euangelista cognouit, quem unum eundemq; uerum hominem gratia ueræ incarnationis ostenderet, & uerum Deum unigenitũ à Patre natiuitatis æternæ ueritas declaret.

Quid autem Filio prodest, ut nuncupetur unigeniti nomine, si priuatur uocabuli ueritate? Frustra nanque unigenitus dicitur, si in eius generatione non naturalis de Deo generante ueritas, sed creationis ex donante largitas prædicatur. *Et alijs* enim, *quotquot receperunt eũ, dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Quod si etiam unigenitus Filius factus dicitur ex gratia, non uerè genitus ex natura, proculdubio nomen & ueritatem unigeniti perdidit, postquam fratres habere iam cœpit. Priuatur enim huius ueritate nominis, si in unigenito non est de Patre ueritas naturalis.

Christus quia unigenitus, ideo naturalis Dei Filius.

Ioan. 1.

Etenim in filijs Dei, qui non de Patris natura subsistunt, adoptiuæ communio dignitatis diuersitatem munerum potest habere non nominum. Et adoptantis gratia, cunctis ex Deo na-

Adoptiui Dei filij differunt nõ nominibus, sed muneribus: non uita, sed gloria.

ſcentibus, quamuis diuerſæ retributionis munus pro laboris merito repromittat, unum tamen cunctis filiorum nomen accommodat, & una per fidem ueram renatis uita cœleſtis regni promittitur: quamuis differens regnaturis gloria tribuatur, Paulo Beato dicente: *Alia*
1. Cor. 15. *claritas Solis, & alia claritas Lunæ, & alia claritas ſtellarum.* Stella enim ab ſtella differt in claritate, ſic & reſurrectio mortuorum, & his tamen omnibus pro illa poteſtate, quam eis dedit, filios Dei fieri, ſimul dicetur dextris: *Venite benedicti*
Matt. 25. *Patris mei, percipite regnum, quod paratũ eſt vobis ab origine mundi*: ſimul etiam de omnibus dicitur: *Iuſti autem ibunt in vitam æternam.* Aequaliter igitur tenebit cunctos Dei filios unigenitas adoptiui nominis, licet meritorum qualitatem monſtratura ſit differentia claritatis. Nec in eo, quòd ſpiritales eſſe cœpimus natiuitatis exortu, diſcernimur nomine, quãuis ex profectu ſimus diſcernendi mercede. In eo nanque, quòd uoluntariè genuit nos uerbo ueritatis, pariter

riter filios nuncupauit gratia genitoris.

Quòd si diuina illa Filij sempiternaq; natiuitas, non de natura Dei Patris, sed ex gratia creditur subßtitiße, non debet unigenitus uocari, sed tantummodo genitus. Quoniam sicut ei nomen geniti largitas adoptionis paternę contribuit, si eũ ab unigeniti nomine, nobis quoque tributa communio paternæ adoptionis exclusit. Vnigenitus enim non uocatur, quamuis genitus poßit uocari cum genitis. Quod si ita est, deleatur, quod Ioannes ausus est nomen unigeniti scribere, ut probetur falsum, quod meruit de pectore ueritatis haurire. Si uerò proprietas unigenita manifestè demonstranda est significationis indicio, sic multi filij Dei dicãtur ex gratia, ut cognoscatur unus genitus ex natura. Quis enim natus est Deus uerus de Deo uero, nisi unigenitus Filius, qui est in sinu Patris? Quem ideo solum à cæteris Dei filijs exceptio segregat incommunicabilis nominis, quia in solo permanet de Patre ueritas naturalis.

Persequitur argumentũ à proprietate unigeniti petitũm.

Christus exinaniuit seipsum, Philip. 2.

Hic uerus Deus & uita æterna, *cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus esse æqualem Deo, semetipsum exinaniuit, formã serui accipiens*, æqualitatem enim Dei ueri Deus uerus non rapuit, quam unitate naturali sempiternus cũ genitore possedit. Idcirco unigenitus Dei Filius, etiam quando formam serui accipiens, semetipsum exinaniuit, plenus gratiæ ueritatisq́ permansit. *Vidimus*, inquit Ioannes, *gloriam eius, gloriã quasi unigeniti à Patre, plenum gratiæ & ueritatis*: Hoc est utique, quod in uno eodemq́ semetipsum exinaniente, & pleno gratiæ & ueritatis, accepta serui forma ueritatem uoluntariæ prorsus exinanitionis ostendit, in coæterna permanens Dei forma, plenitudinem gratiæ ueritatisq́ monstrauit.

Et tamẽ plenus gratiæ ueritatisq́ permansit. Ioan. 1.

Christi exinanitio & plenitudo.

Quæ est igitur illa unigeniti exinanitio, nisi accepta passibilis & mortalis humanitas Christi? Quæ autem est unigeniti plenitudo, nisi permanens impassibilis atque immortalis diuinitas Christi? in quo perfectus homo plenus

est gratiæ, & in quo perfectus Deus plenus est ueritatis. Quod proculdubio plenitudinis nomen, ut diuinitatis esse monstretur, Apostolum de Christo loquentem pariter audiamus: *quia in ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, & estis in illa repleti*. Quæ autem sit, quæ in Christo inhabitat, plenitudo diuinitatis, Ioannes ostendit: *Verbum*, inquit, *caro factum est, & habitauit in nobis*. De ista plenitudine Baptista Ioannes nos asserit accepisse, dicens: *Et de plenitudine eius nos omnes accepimus & gratiam pro gratia*.

Coloss. 2. *Ioan. 1.* *Ibid.*

Vnus igitur idemq; Christus Dei & hominis Filius, qui & semetipsum exinaniuit, & plenus gratiæ ueritatisq; permansit, uerè mutabilis factus, immutabilis manens, uerè passus, passioni nõ subiacens, uerè mortuus, mortem non sentiens, sed extinguens. Hæc autem cuncta unus Christus & gessit & pertulit: quia in uno eodemq; Christo uera diuinitatis ueraq; humanitatis natura permansit, dum Deus non confusus ho-

De Christo contraria dicuntur. *Propter unionem duarum naturarum hypostaticam.*

mini, sed unitus, sic in una persona utriusque naturæ permanentis indicia demonstrauit, ut uerus Deus & plenus ueris diuinisque uirtutib. in homines clareret assumpto, & ueritas infirmitatis humanæ uerum plenumque hominem mõstraret in Deo. Propter quod Beatus Apostolus unum eundemque Christum & crucifixum prædicat, & Dei uirtutẽ sa-
1.Cor.1. pientiamque pronunciat, dicens: *Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam, ipsis autem vocatis Iudæis atque Græcis Christum Dei virtutem & Dei sapientiam.* Et ut infirmitate susceptionis humanæ magnitudinem diuinæ uirtu-
Ibid. tis monstraret, adiecit. *Quod enim stultũ est Dei, sapientius est hominibus, & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.*

Ille igitur Dei Filius, Dei uirtus, & Dei sapientia, in exordio redemptionis nostræ, diuersam quidem peregit in homine, quàm quod semper habebat in Patre. Quia uidelicet aliud ibi maiestatis natiuitas habuit, aliud hic pietas re-

tas redemptionis exegit.

In illo enim ſempiternæ natiuitatis arcano, ſempiternus atque incommutabilis Pater, alterum genuit non diuerſum, & quantum generando protulit, tantus ipſe permanſit, perſonaliter diſtinxit à ſe, quem naturaliter totum habet in ſe. Hoc ipſius Filij nobis manifeſtatur eloquio, dicentis: *Ego in Patre, & Pater in me.* Inconfuſibiliter ergo unit utrunque natura, quamuis inſeparabiliter diſcernat utrunque perſona. Ideo Filius ipſe teſtatur: *Ego & Pater vnum ſumus.* Per hoc quod *vnum* dicit, non ſeparatur à Deo diuinitas: per hoc, quod dicit *ſumus*, non conditur in genitore natiuitas.

Christi natiuitas diuina.

Ioan. 14.

Ioan. 10.

Hic autem dum noſtræ redemptionis cõmercium gereretur, pleno ueroq́; homini plenum uerumq́; Deum decebat uniri: ſic tamen, ut in unitate perſonę, nec in homine Deus, nec homo poſſet in Deo cõfundi. Nunquã enim quiſquam hominum, ad uincendũ humani generis inimicum, fuiſſet idoneus,

Mediatorem conueniebat eſſe uerum et Deum & hominem.

ſi in Mediatore Dei & hominum homi ne Chriſto Ieſu, aut aliquid fuiſſet homi nis minus, aut homo à Deo ſuſceptus, diuina fuiſſet ſuſceptione conſumptus. Non autem humana natura poterat in reparatione conſumi, cuius pars damnata non conſumetur æternitate ſuppli cij. Cùm autem pœnæ ſit conſumere, gratiæ reparare, redemptor humani generis, plenus confitendus eſt Deus, plenum ſuſcipiens hominem, plenus gratiæ, qua homo fieri dignatus eſt Deus, & plenus ueritatis, qua Deus ipſe, qui homo factus, permanet immutatus. Sicut per Prophetam antè iam dixerat;
Mal 3. *Videte, quia ego ſum, & non ſum mutatus.*
Pſal. 101. De quo etiam Paulus Beatum Dauid ceciniſſe commemorat: *Mutabis eos, & mutabuntur, tu autem idem ipſe es.*

Vnus ergo idemq; Chriſtus, in eo quòd plenus gratiæ, nihil minus habẽs humanæ naturæ, plenus homo natus ex homine, & in eo quòd plenus ueritatis, nihil minus paternæ diuinitatis ha bens, Deus plenus generatur ex Patre.

Nam

Nam non erat plenus gratiæ unigenitus à Patre, si in Dei Filio minus fuit aliquid hominis: nec erat plenus ueritatis, si in eodem hominis Filio, minus fuit aliquid deitatis. Ille igitur ineffabilis Deus de Patre naturaliter sine initio genitus, postquam uenit plenitudo temporis, ut missus à Patre fieret ex muliere, fieret sub lege, ut eos qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorũ reciperemus, totus regnans in sinu Patris, totus semetipsum formans in utero uirginis.

Neq; enim pars eius remansit in Patre, & pars eius descendit in uirginem, cùm totus in Patre maneret quod erat, & totus in uirgine fieret, quod non erat: totus cum Patre, totum implens & continens mundum, totus sibi in utero uirginis ædificans domum. Scriptum est enim: *Sapiẽtia ædificauit sibi domum.* Totus in Patre sempiterno, totus in homine suscepto: totus in cœlo, totus in mundo, totus etiam in inferno, sic in se totum hominem uerus Deus & sum- *Deitas cum humanitate quomodo unita in Christo.* *Prouer. 9.*

mus accepit, & sic plenitudo diuinitatis ueritate diuinæ humanæq́ substantiæ, inconfusibiliter permanente, semetipsum pleno coniunxit homini, ut unitate deinceps in æternum manente personę, nec homo Christus à sua diuinitate, nec idem Deus Christus à sua posset humanitate disiungi.

Hoc enim infirmitatis nostrę medela poscebat, ut sicut naturalis unitas in Patre manet & Filio, sic personalis unitas maneret in Christo: & sicut personalis duas non facit in Patre & Filio substantias, sic naturalis discretio duas non faceret in Christo personas. Rursus, sicut unitas naturalis Patrem nō confundit & Filium, sic unitas personalis hominem nō confudisset & uerbū: & quemadmodum à genitore Deo per unitatē naturæ nunquam segregari potest unigenitus Filius, sic à susceptore Deo per unitatem personę nunquam posset homo separari susceptus. Sic tamen, ut quamuis Christus nec confundi posset aliquando nec diuidi, unus tamen atq;
idem

idem Christus & ex ueritate passionis humanæ, quæ nostra fuerant, redderet, & ex ueritate impassibilitatis diuinæ, quæ suæ fuerant tribuisset. Vt dum ille pauper efficeretur, in suis diuitijs manẽs, nos ex pauperibus diuites faceret, quibus suæ paupertatis infinitas diuitias contulisset. Quod Vas electionis manifestò uidetur denũciare sermone, dicens: *Scitis enim gratiam Domini nostri* 2.Cor.8.
Iesu Christi, quia propter vos egenus factus est, cùm esset diues, vt illius paupertate vos diuites essetis.

Hoc igitur personæ inseparabilis unitas, in qua Deus & homo unus est Christus, fecit, ut & homo Christus per gratiam nasceretur ex Deo, salua ueritate ac plenitudine humanæ naturæ & idem Deus Christus uoluntariè pateretur in carne, salua impassibili plenitudine diuinæ substantię. Quoniam sicut unus est, (de quo Apostolus dicit: *Quorum patres, ex quibus Christus secundùm carnẽ, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula,*) sic unus est de quo idem dicit Rom.9.

2.Cor.13. Apostolus: *Nã etsi crucifixus est ex infirmitate, sed uiuit ex virtute Dei.* Vnus est igitur Christus, in quo crucifixo uera fuit infirmitas carnis & in quo uiuente uirtus ueræ claruit deitatis: quod humanum est, habens Deus in ueritate humanæ, & quod diuinum est, habens homo
,, in ueritate diuinæ substantiæ. Hinc
,, incomprehensibilis in cruce, inuiolabi-
,, lis in uulnere, impassibilis in passione,
,, immortalis prædicatur in morte.

Rem ipsam aggreditur, & diuinam naturam in Christo non passam esse ostẽdere incipit.

Hæc dum quidam minus attendunt, diuinitatem Christi non dubitant subijcere passioni, & audientes Christum in carne passum, putant Deum carni fuisse compassum. Minus attendentes diuinam illam atq; immutabilẽ Filij Dei substantiã, & in carne passibili passionẽ suscepisse, & cum carne passionem sentire nõ posuisse. Quod utiq; Beatus Petrus in ueritate diuinæ inspirationis cõ-
1.Pet.4. firmat, & dicit: *Christo igitur in carne passo, & vos eadem scientia armamini.* Qui si sciret Christi diuinitatem fuisse passibilem, suffecisset, ut diceret: Christo

igitur

igitur passo: nec addidisset, in carne. Sed quoniã nouerat, in uno eodemq; Christo, & passibilem ante mortem fuisse humanam naturam & impassibilem semper diuinam manere substantiam, propterea Christum passum fatetur in carne, cuius diuinitatem nouerat prorsus impassibilem permanere.

Obiectio. Sed forsitan dicetur, Christum ideo in carne passum prædicari: quia diuinitas, quæ ante carnem pati non potuit, passibilem suscipiens carnem, passionẽ quoque cum carne persensit: quia pro susceptione passibilis carnis, ipsa impassibilis in passione permanere non potuit.

Responsio. Quod si ita est, primùm mutabilis asseritur diuinitas Christi, & Apostolo cõtraitur, qui Filium Dei Iesum Christum immutabilem prędicans, euidenter Corinthijs dicit: *Dei enim Filius Iesus Christus qui in vobis per nos prædicatus est, per me & Syluanũ & Timotheum, non fuit, est & non, sed est in illo fuit.* Quod ut ipsum, est prorsus immutabile demonstraret, denuo

Diuinitas Christi immutabilis.
2. Cor. 1.

denuo sic ad Hebræos loquitur, ubi euidenter de Filio memorat dictum: *Tu in*
Hebr. 1. *principio Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli. Ipsi peribūt, tu autem permanes, et omnes sicut vestimētum veterascent. Et velut amictum mutabis eos, & mutabuntur, tu autem idem es.* Quid autem est idem esse, nisi immutabilem esse? Sicut de se ipse testatur di-
Exod. 3. cens: *Ego sum, qui sum. Et dices filijs Israël, qui est, misit me ad vos.*

Occupatio. Quod siquis inter Patrē Filiumq; diuinitatis cupiens differentiam demonstrare, locum istum, quo dictum est: *Ego sum, qui sum*: personæ solius Patris asserat conuenire: primùm meminerit, quia Patrem Moysi apparuisse fatebitur: deinde, quia sibi propria substantia Pater apparuit: Ergo Pater inuisibilis fuit. Quod si etiam nunc uisibilis permanet, iam non est corporeis oculis inuisibilis Deus. Si autem tunc quidem substantialiter uisus, postmodum inuisibilis putatur effectus, ergo Deus antè mutabilitati subiacens, imperfectus utiq; fuit,

& poſtmodum perfectum, immutabilis factus, ſtatum plenæ perfectionis accepit. Quod ſi ex imperfecto perfectus eſt factus, quærendus eſt alius, qui ſemper fuiſſe perfectus credatur, à quo iſte qui imperfectus fuit, donum perfectionis accepit. Si uerò hæc Chriſtianæ mẽtes aureſq; nõ tolerãt, credatur Deus nunquam per propriã uiſibiliter hominib. apparuiſſe ſubſtantiã, ſed per ſubiectã (ſicut ipſe uoluit) creaturã, & pariter inuiſibilis, ſicut Pater, credatur & Filius, qui ſicut intẽporalis permanẽs, potuit tẽporalia cõdere, ſic inuiſibilis permanẽs, potuit in his, quæ uiſibilia condidit, uiſibiliter apparere, tametſi perſonæ Patris à quolibet aſsignetur hic locus, quo dicitur. *Ego ſum qui ſum*: nec ſic Filius ab æqualitate immutabilitatis paternæ creditur ſecernendus. Quoniã ſicut Pater dicit: *Ego ſum qui ſum*: ſic de Filio dicit Apoſtolus, ſicut ſuprà poſuimus: *Nõ fuit eſt & non, ſed Eſt in illo fuit*. Et rurſum: *Tu autẽ idẽ es*. Cũ itaq; illud ſingulare EST, ſicut inuenitur in Patre, ſic

Deus hominibus apparuit nõ p propriã ſubſtantiam: ſed per ſubiectam creaturam.

Vt Pater: ita & Filius immutabilis.

ſic reperiatur in Filio, aut uterq; immutabilis creditur, aut uterq; mutabilitati ſubditur.

Sed quoniam ualde impium eſt, ut Patrem mutabilem dicamus, hoc ſine dubio pium eſt, ut ſicut immutabilem Patrem, ſic immutabilem Filium prędicemus. Et ſi immutabilis eſt diuinitas Filij, nihil ei utiq; acceſsit aut deceſsit in tempore, quoniam nihil mutabilitatis recipit, quod immutabile naturali ueritate ſubſiſtit.

Reſtat igitur, ut diuinitatem Chriſti, quam immutabilem ſancta Scriptura commendat, ſic paſſam fateamur in carne, ut eam tamen credamus compaſſam non fuiſſe cum carne. Ideo enim Deus in carne paſſus eſt: quia paſsibilem carnem Deus accepit: ideo autem carni cōpaſſus non eſt: quia in carne patiens impaſsibilis natura diuina permanſit, communem paſsionem diuinitatis & carnis, unitasqúe perſonæ fecit in Chriſto, non diuinæ humanæqúe naturæ confuſio.

Diuinitas nō compaſſa.

Per

Per hāc unitatem personæ Dominus gloriæ asseritur crucifixus, dicente Beato Paulo: *Si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent:* Propter hanc unitatem personę Author uitæ dicitur interemptus, sicut in Actibus Apostolorum Petrus Iudæos increpat, dicens: *Et petijstis virum homicidam donari vobis: Authorem verò vitæ interemistis.* Quis autem quemlibet hominem uitę authorē diceret, nisi pro nobis Deus hominem suscepisset? Ex quo igitur Deus, uitæ Author, hominem in unitate personæ suscepit, ex eo ille homo nomen uitæ authoris obtinuit: sicut ex eo, quod Dei Filius hominem suscepit in utero uirginali, ex eo simul Deus & homo unus cœpit Dei Filius nominari, Angelo dicente ad Mariā: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideoq; quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* De quo etiam paulò superiùs eidem Virgini dicit: *Ecce concipies in vtero, & paries Filiū, & vocabis nomen eius Iesum. Hic erit ma-*

Per communicationem ἰδιωμάτων.

1.
Filius Dei dicitur crucifixus.

Act. 3.

2.
Interemptus.

3.
Christus homo dicitur Dei Filius.
Luc. 1.

gnus, & Filius Altissimi vocabitur.

Homo dicitur Deus: quia Deus dicitur unctus. Non solùm uerò Filius Dei, secundũ id quod natus est de homine, dictus est Christus, uerumetiam homo ille Deus dicitur, pro eo quod est à Deo susceptus. Quod nobis indubitanter Psalmorum liber ostendit, in quo dicitur: *Thronus tuus in sæculum sæculi, virga æquitatis virga regni tui. Dilexisti iustitiam & odisti iniquitatem, propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis.* *Psal. 44.* *Nam unctio Christi ad hominem referenda.* Hanc autem unctionem ad hominem potius referẽdam Beatus Petrus ostendit, dicens: *Iesum à Nazareth, quem vnxit Deus Spiritu sancto & virtute.* *Act. 10.* Quæ igitur à Nazareth, nisi humana in Christo, natura potuit prædicari? Nam in tantum à Nazareth non diuinitas Christi, sed humanitas prædicatur, ut etiam Philippus, quem à Nazareth dicit, Ioseph filium æstimaret, sicut ad Nathanaël loquens: *quem scripsit Moyses,* inquit, *& Prophetæ, inuenimus Iesum, filium Ioseph à Nazareth.* *Ioan. 1.* Hic igitur qui Spiritu sancto unctus dicitur,

Deus

Deus Dauidico carmine nominatur. Qualiter autem homo ille habere potuit Dei nomen, nisi quoniam à Deo susceptus, unam cum eo possedit nominis dignitatem.

Sed si in eo quod dicitur: Vnxit te Deus Deus tuus: diuina creditur accipienda natura, in qua putatur Filius à Deo unctus, eguit profectò Deus uerus sanctificationis munere, priusquam homo uerus idem nasceretur in carne. Dicatur ergo, quid potuit esse Dei Filio sanctius, cuius unctione sanctificatio illi, aut daretur antè non habita, aut perficeretur quæ inerat imperfecta? Et si aliquid dicitur Dei Filio melius, (cui solũ præferendum existimant Patrem) sine dubio, quicquid illud est, Patri fatebuntur æquale. Sed siue coæquetur, siue etiã postponatur Patri, Filio interim, quicquid aliud est, præferatur. Iniustè ergo in Baptismate Patri & Filio Spiritus sanctus iungit̃ cũ potius illud debuerit Patri Filioq; cõiungi, qđ potioris merito sanctificationis Filio debuit anteponi.

Psal 44.

Non autẽ ad diuinam naturam referri potest.

 Qualis

Qualis uerò uirtus illa credetur, quæ diuinitatem Filij Dei unctione sanctificauit, & eius carnem sanctificare nō potuit? Nam utique si posset Christum hominem plenè sanctificare, non opus erat, ut ungeretur sancto Spiritu & uirtute. Attendatur ergo, ne forsitan & ipso Dei Filio & illa, qua unctus uirtute dicitur, potior atque sanctior credendus sit Spiritus sanctus. *Iesum enim à Nazareth*, hoc est Filium Dei secundùm carnem, sicut Beati Petri manifestat assertio, *unxit Deus Spiritu sancto & virtute.* Quod si homo Christus sine sancti Spiritus gratia, plenè sanctificari non potuit, superflua dicetur collatio illius unctionis. Si autem sine sancto Spiritu plenè sanctificari non potuit, & plenam sanctificationis gratiā sine Spiritusancto Christus homo nō habuit, utpote quē Pater sanctificauit & misit in mundum, & qui

Iohan. 10. de seipso dixit: *Et ego sanctifico me ipsum* & in quo sancti Spiritus sanctificatio similiter agnoscitur, quoniam unxit eum Deus Spiritu sancto & uirtute: quomodo quis

do quis Spiritum minorem Patre uel Filio audet dicere, sine quod sanctificationis perfectionem uidet constare non posse?

Quod autem dubitatur olei nomine Spiritũ sanctum demonstratum, cũ Dauid & Petrus, tã olei quàm sancti Spiritus uocabulo, unum prædicent unctionis Dominicę Sacramentum? Dauid enim dicit: *Vnxit te Deus Deus tuus oleo exultationis, præ participibus tuis.* Et uticꝫ hominem significat, cùm participes nominat. Nam illa diuinitas Filij Dei, nullius creaturę habet participiũ, quia cum creatura nõ habet naturale consortium. Deus ergo in carne unctus est, ut in illo homine Christo, quem sine peccato mater & concepit & peperit, plena diuinæ sanctificationis agnosceret gratia, quæ nomine Trinitatis esset fidelibus conferẽda. Propterea Beatus Petrus dicit: *Iesum à Nazareth, quem vnxit Deus Spiritu sancto & virtute.* Et tamen ille Iesus à Nazareth Deus in Psalmo dicitur: Vnde quæso, nisi quoniam Deus & homo

Psal. 44.

Act. 10.

unus est Christus? Et ideo manēte in unitate personæ naturali hominis & Dei inconfusa & inseparabili ueritate: sicut Deus Christus in homine nomen hominis sumpsit, sic idem homo Christus in Dei uocabulum deitatis accepit.

5. Nam si non ex coniunctione naturali, nomen Dei & hominis unitas personalis habet in Christo consequenter secundus homo, quem de cœlo cœlestem prædicat Paulus, nihil habere naturaliter putetur ex uirgine, & secundũ cœlestem naturã, cœlestis carnis dicaẽ habere substantiam. Præsertim, quoniam ipse quoq; de se Dominus profitetur: *Nemo ascendit in cœlũ, nisi qui de cœlo descendit, Filius hominis qui est in cœlo.* Quod si cœleste corpus, & nõ humanum suscepisse credendus est Christus, quomodo ueritate Dauidici Psalmi uaticinatio fulcietur? ubi scriptum est: *Ut inhabitet gloria in terra nostra, veritas de terra orta est.* Christum autem quis negare audeat ueritatem, cùm ipse se hoc nomine nuncupavit, dicens: *Ego sum via, veritas & vita,*

Secundus homo de cœlo cœlestis.

Ioann. 3.

Psal. 84.

Ioan. 14.

ta. Si ueritas igitur de terra orta eſt, quomodo ſecundus homo de cœlo cœleſtis, niſi quoniam à Dei Filio ſuſcepta materies terreni corporis, in cœleſte nomen tranſijt per conſortium Deitatis? Et quomodo rurſus Filius hominis deſcendit de cœlo, niſi quia Filius Dei nō locali motu, ſed pietatis deſcendit affectu? Qui ſicut in carne ſuſcepta, ex homine dignatus eſt naſci, ſic pro una Dei ſuſcipientis & hominis ſuſcepti perſona qui Dei Filius erat, dignatus eſt hominis Filius nuncupari.

Ad hanc unitatē perſonæ ſine ulla cōfuſione utriuſq; ſubſtātię cognoſcendā. Chriſtus diſcipulos interrogat, dicens: *Quē me dicūt homines eſſe? Filiū hominis.* Cumq; illi opinionem uulgi protinùs indicarent, tunc propria ab eis qualitas ueræ fidei experitur, ut erroris humani falſitas auferatur. Hæc igitur eſt Domini interrogatio cōſecuta. *Vos autē quem me eſſe dicitis?* me utiq; Filium hominis. Ibi iam Petrus Apoſtolus reuelationis diuinę firmamento ſubnixus, generalis

Perſona Chriſti una eſt, abſq; naturarum cōfuſione.
Matt. 16.

salutis confessus est Sacramentum: *Tu es*, inquit, *Christus Filius Dei uiui.* Quid est hoc? Quantum ad ignaros congruit interrogationi respõsio. Petrus enim de Filio hominis interrogat, & ipse Dei Filium confitetur. Nunquid interrogantẽ Iesum minùs audiuit, aut ipse ueritatem in confessione non tenuit? Absit. Quomodo error hominis ore laudari poterat ueritatis: Sed quid uerè Christ9 fuit, hoc interrogãs dixit. Et quod uerè Christus fuit, hoc ex ore Petri confitentis audiuit. Filius enim hominis Christus Dei uiui Filius fuit. Nec immeritò diuina uoce promeruit beatitudinẽ qui ꝓpria uoce fidei protulit ueritatẽ. Propter hoc audit: *Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus qui est in cœlis.* Etiam ipse Christus Dei se utiq; iam confessus est Filium, cũ à Patre suo, qui est in cœlis. Petro asseruit reuelatum.

Petri confessio.

6\. *Christus Filius hominis, dicitur Filius Dei uiui.*

Nec hoc tamen ociosè prætereundũ existimo, quod Christo primũ se Filium hominis nuncupato, Petrus dicit: *Tu es*

Christus

Chriſtus Filius Dei viui. Etenim Dei Fi- “
lius carnis humilitate ſuſcepta, debuit “
in ſe Sacramẽtum magnæ pietatis oſten “
dere, homo uerò redemptus, debuit in “
hominis Filio, ueram diuinę natiuitatis “
ſubſtantiã prędicare, ut dum à redẽpto- “
re beneficiũ gratuitæ miſerationis oſtẽ- “
ditur à redẽpto diuinæ cõfeſsionis ob- “
ſequiũ redderetur. Et nemo uerũ Deum “
de natura Patris ambigeret, quẽ ex ho- “
minis natura uerũ hominem cognouiſ- “
ſet. Ac per hoc, quem hominem uerum “
conſtaret eſſe paſsionibus hominis, eun
dem uerum Deum crederemus operib.
deitatis, ipſo Filio dicente: *Si mihi nõ vul* Ioan. 10.
tis credere, vel operibus credite.

Vnus ergo atq; idẽ Chriſtus, qui infir
mitate humana paſsionẽ pertulit, & mi-
racula beneficiorum omnipotentia uir-
tutis diuinæ perfecit. Ab ipſo nanq; cõ- “
ceptionis uirginalis exordio, ſic in Chri “
ſto perſonalis unitas manſit, & ſic utri- “
uſq; naturę incõfuſa ueritas perdurauit, “
ut nec homo à Deo diuelli, nec Deus à “
ſuſcepto poſſet homine ſeparari, ne ta- “

,, men Deus hominē cōſumeret, nec ho-
,, mo Deum in aliquo permutaret. Et li-
,, cet in Chriſti morte carnem morientem
,, fuiſſet anima deſertura, diuinitas tamen
,, Chriſti, nec ab anima nec à carne poſſet
,, ſeparari ſuſcepta.

Chriſtus paſſus ſecundū animam & corpus.

Igitur quia totum hominem Deus ille ſuſcepit, ideo totius hominis in ſe paſſiones in ueritate mōſtrauit. Et animam quidem rationalem habens quicquid fuit infirmitatis animæ, ſine peccato ſuſcepit & pertulit, ut dum humanæ animæ paſsiones, in anima, quam accepit uinceret, noſtras quoq; animas ab infirmitatib. liberaret. Carnē quoq; humanā accipiens, in eiuſdem ueritate carnis, ueritatem uoluntariæ habuit paſsionis, ut in carne mortuus, totā in ſe hominis occideret mortem, & in æternam uitā immortalis reſurgens, æternæ nobis uitæ gratiam condonaret.

In reſuſcitatione Lazari oſtendit Chriſti anima, caro, diuinitas.

Verus ergo in anima humana Chriſtus Lazarum ſuſcitaturus (ſicut Euangeliſta dicit) *fremuit Spiritu*, & turbauit ſeipſum, idemq; uerus in carne humana Chri-

Christus, cũ dixisset: *Vbi posuistis eũ?* Dicunt ei: *Domine veni & vide.* Et lachrymatus est Iesus, idem quoque uerus in diuina natura Christus nec animam suã, dũ semetipsum turbaret, deseruit: quia ipse semetipsum turbauit: nec à carne sua, cũ fleret, abscessit: quia Iesus lachrymas fudit, & tamẽ in ipsa anima carneque diuinitas, immutabilis atque impassibilis manens secundùm diuinam naturã, nec lachrymas proferre, nec turbationẽ potuit inanimi morte sentire. *Ioan. 11.*

Sic etiam passione propinquante, Christus secũdùm animã turbatur, ipso dicente: *Nunc anima mea turbata est:* Itẽ in cruce Christus secundùm carnẽ moritur, Apostolo dicente: *Tradidi enim vobis in primis quod & accepi: quia Christus mortuus est pro peccatis nostris secundùm scripturas. Et quia sepultus est, & quia resurrexit tertia die secundùm scripturas.* Cũ igitur euidẽti fuerit manifestatione discretum, quid in Christo propriũ fuerit animæ, quid carnis, quid etiam Deitatis, cùm unus idemque Christus fuerit *Ioan. 12.* *In passione anima turbata, corpus mortuum: diuinitate imperturbabili & immortali manente.* *1. Cor. 15.*

&

& turbatus & mortuus, ſic tamen eſt utrobiq; ueritas Dei hominisq; ſeruata, ut licet Chriſtus ſecundùm animam turbaretur, propinquante paſsione, & idẽ Chriſtus ſecundùm corpus moreretur in cruce, inperturbabilis manens immortalisq; Chriſti diuinitatis nec ab anima perturbata, nec à corpore moriente diſcederet, non tamẽ, aut turbaretur in animæ turbatione, aut moreretur in corporis morte.

Rom. 4. Vnus nanq; Chriſtus, *qui traditus eſt propter delicta noſtra & reſurrexit propter iuſtificationẽ noſtram*, ſicut uerè mortuus mori non potuit, ſic in uera paſsione impaſsibilis manſit. Qui ad demonſtrandũ in ſe & ueram mortalitatẽ hominis, & ueram immortalitatem deitatis, Iudæis dicentibus: *Quod ſignum oſtendis nobis, quia hæc facis? Reſpondit Ieſus & dixit eis: Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Quod autem fuerit illud templum, ſanctus Euangeliſta monſtrauit dicens: *Ipſe autem dicebat de templo corporis ſui.* Oſtenſa eſt igitur & ueritas

Chriſtus in ſe demonſtrat utriuſq; naturæ ueritatẽ.

Ioan. 2.

ueritas humanæ substantiæ, quam Iudęi possent in Christo, ipso uolente, soluere & ueritas diuinæ naturę: quia Christus templum sui corporis poterat suscitare. Quãdo enim mortuo Christo, anima deseruit carnem, tũc solutũ est illud templum, quod fuit ex anima carneq́; constructum, & cum anima reuerteretur ad carnem, tunc est illud templũ die tertia suscitatum: & tamen, propter unã Christi Dei hominisq́; personam, idem mortuus est in corpore suo, qui suscitauit templum corporis sui. Sic etiam, tamen secundum Esaiæ uaticinantis oraculum, *dorsum suum posuit ad flagella, maxillas suas ad palmas, faciem autem suam non auertit à confusione sputorum*. Hæc omnia Deus in carne passus, non est carni compassus: quia Deus passionem in carne sensit, cum carne non sensit. Esa. 50.

Vna enim persona est Dei hominis Christi, quã etiam Paulus cõmendat dicens: *Nam & ego quod donaui, si quid donaui propter vos in persona Christi*. Et quamuis una sit in Christo persona, nõ una

In Christo nõ est alius et alius, sed aliud et aliud. 2. Cor. 2.

una tamen in Christo substãtia: quia sic uerus Deus uerum suscepit hominem, ut in ueritate humanæ susceptionis, ueritatem nõ amitteret Deitatis: & sic dignatus est fieri quod antè nõ erat, ut nõ desisteret esse quod semper erat. Sic etiã uoluit unam cum homine personã Deus habere, ut licet non alius esset Christus Deus, & alius Christus homo, uerus tamẽ Deus permaneret in homine, & uerus homo permaneret in Deo: atq; ita, in uno Christo diuinę humanęq; naturæ esset inconfusa pariter & indiuisa perfectio.

Quæ humanitatis respectu Christo tribuuntur, Deitati non conueniunt.

Non tunc nata est Christi diuinitas in se, cùm nata est pro nobis in carne. Fuit infans uerbum secundùm carnem, & fandi non habuit facultatem, sed idẽ uerbum Deus, nullo unquam potuit coërceri silentio: quia ipse est Patris sempiterna loquutio. Crescebat puer ætatis accessu, sed quia in Deo nulla est ætas, in puero crescente nõ crescebat diuina maiestas. Sapientia quoq; nouimus Christum secundùm animam profecisse,

se, sed sapientia Christus non potuit cũ anima proficiente proficere. Ac per hoc idem Christus, & in carne sua creuit & in anima sua profecit, qui tamen & in carne sua crescens, & in anima sua proficiens, nec cum anima sua proficere, nec cum carne sua potuit ætatis incrementa sentire. Item secundùm susceptam animam Deus tristis fuit, sed in anima tristitiam sensit, cùm anima tristitiam sentire non potuit. In sua Deus anima suam uoluit esse tristitiã, & in sua carne suã Deus esse uoluit passionem: quia totus in toto homine permanẽs inseparabilis Deus nec animæ tristanti defuit, nec carnẽ suam in passione deseruit.

Sed in Christo tristi & passo, licet Deitate separare non posset patiẽs & tristis humanitas: in toto tamen homine tristi nõ est diuinitas tristata, & in homine toto patiente, nõ est diuina natura cõpassa: sicut moriẽte carne, nõ solũ Deitas, sed nec anima Christi potest ostendi cõmortua. Aliud est enim in carne passum Deum dicere, aliud carni prædicare cõ- *Diuinitas nec compassa nec contristata.*

passum:

passum aliud in anima contristatum, & aliud cum anima contristatũ. Passus est Deus in homine: quia una est Dei hominisque persona: non est compassus Deus homini: quia in uno Christo non est cõfusa Dei hominisque substantia.

Probatur Scripturæ testimonijs. Quod euidẽtibus, scripturarũ potest testimonijs comprobari, ut cognoscatur ita tristitiam passionémque toto deputandam Christo, officiorum naturaliũ ueritate monstrata nõ sit aliqua Dei hominisque confusio. Matthæus narrat, Dominum propinquante tempore passionis, dixisse discipulis: *Sedete hîc, donec vadam illuc & orem. Et assumpto Petro & duob. filijs Zebedæi, cœpit cõtristari & mæstus esse.* *Matt. 26.* Marcus uerò sic posuisse cognoscitur: *Et veniunt in prædium, cui nomen Gethsemani, et ait discipulis suis: Sedete hîc donec orẽ. Et assumpsit Petrum & Iacobũ & Ioannem secum, & cœpit pauere & tædere.* *Marc. 14.* Nõ ignoro, quàmmaximè nũc nostrę cõgruet respõsionis officio, ut nõ solũ uocabulis, sed etiã affectib. sit in Dei Filio carnis animęque mõstrãda proprietas.

Tunc

Tunc enim diuinæ impaſsibilitatis natura ſplendebit, cũ quid animæ quidúe carnis ſit proprium, non ſolùm ratione, ſed etiam diuinarum Scripturarum authoritate claruerit.

Matthæus itaq; dicit, *Ieſum contriſtari & mæſtum eſſe:* Marcus *pauere tædereq́;* commemorat. Dicant igitur, quibus in Chriſtó diſplicet animæ humanę ſuſceptio, utrum triſtitiam, mœrorem, tædiũ, & pauorẽ diuinitati an carni exiſtiment deputãda? Et ſiquidem carnis hæc fuiſſe reſponderint, ab omnibus paſsionum generibus erit excepta diuinitas, quæ particípes paſsionum generibus carnis non fuit, licet ſuſceptæ carni nec in paſſione defuerit. Si autem deitatem Chriſti aſſerunt triſtitia, mœrore, tædio, & pauore concuſſam, paſsibilem dicentes deitatem, animabus noſtris fatebuntur æqualem. Reſtat autem, ut angelorum imparem dicãt, quem paſsioni ſubiacere pronunciant.

Dilemma, quo probatur vera in Chriſto animæ ſuſceptio.

Hoc enim noſtris ſunt animabus angeli quammaximè potiores: quia ſicut

Angeli nũc ſunt: ſancti olim erunt à peccatis & paſsionibus liberi.

à peccatis, ita sunt à passionibus alieni. Quod etiam rectè se colentibus, & sanctè conuersantibus in retributione Dominus repromittit, dicens: *Erũt sicut angeli Dei in cælo*. Tunc utiq;, cùm (secundùm beati Pauli testimonium) *corruptibile* (hoc est, mortale) *ita induetur incorruptione & immortalitate*, ut corruptio incorruptionem possidere non possit. Quę non solùm in peccato consistit, sed etiam infirmitate quæ præuaricatori ex pœna cognoscit̃ accidisse peccati. Nam peccato nos & infirmitate tunc omnimodis carituros Apostolus testatur & dicit: *Tunc fiet sermo, qui scriptus est: Absorpta est mors in victoria. Vbi est mors contentio tua? Vbi est mors stimulus tuus? Stimulus autem mortis peccatum est*. Absorpta ergo morte in uictoria, nulla erit animæ carnisúe corruptio. Quoniam cũ à nobis amota fuerit omnis iniquitas, nulla remanebit infirmitas. De talibus utiq; dicit Esaias: *Gaudium & lætitiam obtinebunt, & fugiet ab eis dolor & gemitus*. De his etiam Ioannes in Apocalypsi

Matth. 22.
1. Cor. 15.
Ibid.
Esa. 35.

calypsi loquitur: *Non esurient, neq; sitient, neq; cadet super eos sol, neq; vllus æstus:* Apoc. 7.
Et ut ostendat, hanc eos Christi dono gratiam adepturos, sequutus adiunxit: *Quia agnus, qui in medio throni est, reget eos et deducet eos ad vitæ fontes aquarum, & absterget Dominus omnem lachrymam ab oculis eorum.* Ibid.

Cùm ergo talis hodie sit angelorum beata securitas & lętitia, passionũ prorsus ignara, ut ullo peccati casu, nullo infirmitatis quatiãtur incursu, tandem resipiscant, in quod blasphemiæ barathrũ deuoluuntur, qui diuinitatem Christi passionibus subijcientes humanis, Dominum angelorum conantur in substantia, quam habet ex Patre, inferiorem angelis demonstrare. Falsum igitur est, quod ipse dicit: *non est seruus maior domino suo?* An illud abijciendum putant, quod Dauid dicit de Filio hominis: *Domine quid est homo, nisi quòd memor es eius, aut filius hominis, quoniam visitas eum? Minorasti eum paulò minus ab angelis.*

Absurda in quæ deuoluũtur Theopaschitæ.

Matth. 10. Ioan. 13.

Psal. 8.

Paulus in Christo naturas distinguit.

Sed aduertant Paulum Apostolum, hunc locum ad mortis humanæ intelligentiam referentem, ita, ut istam minorationem non solùm naturæ humanitatis assignet, quinetiam diuinitatē Christi à consortio, passionis & mortis exceptet. Ita nanque ad Hebræos loquitur:

Heb. 2.

Eum autem qui modico quàm angeli minoratus est vidimus Iesum, propter passionem mortis gloria & honore coronatum, vt sine Deo pro omnibus gustaret mortem. Non autem hic Christum diuisit Apostolus, sed ostendit, in uno Christo, quæ substantia passibilis & mortalis fuerit, quæ autem impassibilis immortalisq; permanserit. Sine Deo igitur homo ille gustauit mortem, quantum ad cōditionem attinet carnis, nō autem sine Deo, quantum ad susceptionem pertinet deitatis: quia impassibilis atq; immortalis illa diuinitas, cùm in ueritate formæ seruilis, & pati uolūtariē pro nobis dignaretū & mori, sicut in morte solius carnis immortalis fuit, sic in passionib. totius hominis, impassibilis omnino pmansit.

Sed

Sed nunc oſtendendum à nobis eſt, paſsionem triſtitię, mœroris, tædij, & timoris, ad animæ ſubſtantiā proprie pertinere, ut in eo, quod ingrati gratię Christi, diuinitatem eius cupiūt ſubdere paſsioni, appareat, quid cuiuſq; naturæ ſit propriū: & in eo magis agnoſcatur Domini mirabilis inuictaq́; clementia, cùm probauerimus animæ carnisq; ſubſtantiam ob hoc cū ſuis paſsionibus à Deo ſuſceptam, ut ſicut ſaluo diuinæ impaſsibilitatis ſtatu, uoluntaria ſuſceptione mortis in carne ſua, mortem noſtrā cognoſcitur occidiſſe, ſic uoluntaria ſuſceptione triſtitiæ ad hoc cognoſcatur animam rationalem cum ſuis paſsionib. ſuſcepiſſe, ut animas noſtras ab omnibus dignaretur paſsionibus liberare. *Triſtitia & ſimiles affectus ad animam pertinent.*

Oſtendamus igitur triſtitiam Christi non ad diuinitatis, nec ad carnis, ſed ad animæ pertinuiſſe ſubſtantiam. Atq; ut hoc integra poſsit manifeſtatione cognoſci, attendamus, quid diſcipulis pene ſub ipſo dixerit tempore paſsionis, ut ſeruatam animæ ſubſtantiam nō mi-

nus officio quàm nomine demonstraret: *Tristis est*, inquit, *anima mea usq; ad mortem*. Quis autem ambigat, nec in diuinitatem posse tristitiam cadere, nec ad carnis officium pertinere? Animæ nanque est proprium metuere, desiderare, tristari, gaudere. Sicut etiam carminis Dauidici textus ostendit, dicentis: *Quare tristis es anima mea, & quare cõturbas me?* Anima tristatur, ipsa turbatur. Ideo & ipse Saluator, ut ostenderet perturbationem istam non carni, sed animæ deputandam sic discipulos suos consolatur, cùm de futuro eius contristarentur abscessu: *Non turbetur cor vestrum, neq; formidet*. Ad eosdẽ denuo sic loquitur: *Nunc vado ad eum qui me misit, & nemo ex vobis interrogat me quò vadis? Sed quia hæc loquutus sum vobis, tristitia impleuit cor vestrum*. Quis carni uel diuinitati audeat asignare, quod ad officium cordis Dominus dicit propriè pertinere? Nam cùm superiùs dixerit: *Non turbetur cor vestrum, neq; formidet*, ubi propriè cordis nomine humanam demonstrauit animam,

Tristitia est in anima. *Matth. 26.* *Marc. 14.* *Psal. 41.* *Ioan. 14.* *Ioan. 16.* *Ioan. 14.*

nimam, ac deinde dixerit: *Tristitia impleuit cor vestrum* ut euidentiùs ostenderet, & tristitiam & gaudium ad animã pertinere. Rursus Apostolis dicit: *Amen, amen, dico vobis: quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit, vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium: Mulier cùm parit, tristitiam habet: quia venit hora eius: cùm autem pepererit puerum, iam non meminit pressuræ, propter gaudium, quia natus est homo in mundum. Et vos igitur nunc quidem tristitiám habetis. Iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrũ, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Ecce propriè in homine tristitia, formido, & gaudium cordi (id est, animæ) deputantur. Propterea & Apostolus dicit: *Ipse autem Do[minus I]esus Christus, & Deus & Pater noster, qui dilexit nos, & dedit consolationem æternam, & spem bonam, in gratia consoletur corda vestra, & confirmet in omni opere & sermone bono.* Vbi autẽ potest adhiberi consolatio, nisi ubi potest irrepere mœstitudo? Quę quia pro-

Ioan. 16.

2. Thess. 2.

prie ad animam pertinent, propterea de Christo scriptum est: *Quia cœpit contristari & mœstus esse, & cœpit pauere & tædere.* Et ipse dicit: *Tristis est anima mea vsq; ad mortem.* Et: *nunc anima mea turbata est.*

Matth. 26. Marc. 14. Ioan. 12.

Gaudium in Christo.

Gaudium quoq; in sua Saluator anima monstrauit, cum discipulis de Lazaro diceret: *Lazarus amicus noster mortuus est, & gaudeo: vt credatis: quia non eram ibi.* Substantia hominis utiq; gaudebat in Christo, quæ pro naturali consortio gaudium iam habuit de Lazaro suscitando, simul ut & discipuli uerum Deum intelligerent in homine, quẽ cognouissent etiã longè posita non latere. Atq; ut omnia in se Christus animæ officia demonstraret, etiam desiderium à sua anima fieri noluit alienũ dicens discipulis: *Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar.*

Ioan. 11.

Desiderium.

Luc. 22.

Neq; carni, neq; Deitati ista conueniunt.

Nemo potest hæc omnia uel naturæ deputare carnis, uel substantiæ Deitatis: quoniam caro nec uiuere potest per semetipsam, nec sentire, nec tristari, nec desi-

desiderare, nec metuere, nec mœrere. Deitas nihil metuit, quoniam omnium dominator in nullo tristatur, quoniam ei nihil passionis infertur: in nullo metuit: quia nulla est illi naturalis infirmitas: nihil desiderat: quia omnia potest, & omnia possidet. Hæc ergò cuncta in anima, quam susceperat, pertulit Christus, ut ueram totamq; in se cum suis infirmitatibus hominis demonstraret accepti substantiam, & infirmitatibus, quas pro infirmis accepit, uirtutem perficeret, quam infirmis attribuit. Qui & hominis carnem propterea mortalẽ habuit, ut mortalibus plenam conferret immortalitatis gratiam: Et hominis animam cum infirmitatibus suis sine peccato suscepit, ut nostris animab. impenderet medicinam: quia sicut, Esaiæ teste, *vulneratus est propter iniquitates nostras* (quod propriũ carnis fuit, quippe cùm iam defuncti latus lancea percuteret miles) *ita infirmatus est propter peccata nostra*, quod est animę, cuius pro nobis infirmitatem suscepit.

Ergò animæ tribuenda.

Esa. 53.

Christus habet animæ ponendæ ac resumendæ potestatem.
Ioan. 10.

Huius animæ ponendæ ac resumendæ habens plenissimam potestatem, dicebat: *Propterea me Pater diligit: quia ego pono animam meam, & iterum sumam eam, nemo tollit eam à me, sed ego ponam eam, à meipso potestatem habeo ponendi eam, sed potestatem habeo iterum sumendi eam. Hoc præceptum accepi à Patre meo.* Quæro in hoc loco ab his, qui in Christo humanam animam dicũt omnimodis non fuisse, quam hic substantiam credant animæ uocabulo nuncupatam? utrum diuinitatis, an carnis? uel quæ in Christo substantia ponendæ animæ sibi uindicet potestatem?

Quid animæ vocabulo intelligendum.

Quod si diuinæ substantiæ hanc potestatem tribuunt, ut carnem dicant animæ uocabulo nũcupatam quam in passione fuerat positura diuinitas, ut secundùm eorum uoluntatem nunc interim disputemus. Si diuinitas de carne dicit: *Potestatem habeo ponendi animam meam:* dum carnem, uocabulo animæ nuncupat, carni sine dubio cunctas etiam infirmitates asignat, dũ dicit: *anima mea*

turbata est. Dum dicit: *Tristis est anima mea usque ad mortem*. Cùm ergo non dixerit Christus: Tristis sum usque ad mortem: sed dixerit: *Tristis est anima mea usque ad mortem*. Nec dixerit: Turbatus sum, sed *anima mea turbata est*: has utique passiones carnis esse monstrauit: diuinitatem uerò suam impassibilem omnino perdocuit. Ioan. 12. Matth. 26. Marc. 14.

Quòd si fortè substantiæ carnis hanc tribuunt potestatem, tanquam caro de diuinitate dixerit: *Potestatem habeo ponendi animam meam*: tantum ne eos diuinã Christi delectat minorare substantiam, ut eam carnis suæ potestati subijciant: ut ipsa obedierit carni, cùm ei caro debuerit famulari.

Illa ergo uox, qua dictum est: *Potestatem habeo ponendi animam meam*: totius hominis esse, credenda est. Sicut enim totus semetipsum tradidit, & totus homo semetipsum obtulit. (De quo dicit Apostolus: *Ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationẽ & hostiam* Ephes. 5.

Deo,

Deo, in odorem ſuauitatis) ita totus homo animam ſuam poſuit, cùm anima in cruce carne moriente diſceſsit. Quam tamen carnem nec in morte diuinitas deſeruit, ſicut nec in inferno animam dereliquit. De qua etiam Propheta dixerat: *Non derelinques animam meam in inferno.*

Pſal. 15.

Diuinitas Chriſti impaſsibilis.

Cùm ergo homo Chriſtus tãtam acceperit poteſtatem, ut cùm uellet animam poneret & cùm uellet, denuo reſumeret: quantam potuit habere Chriſti diuinitas poteſtatem, cui hoc eſt ſemper uelle quod poſſe? Nam in hoc loco uerè impaſsibilis atq; inuicta diuinitas, uniuerſa prorſus hæreticę falſitatis commenta deſtruxit. Si enim integra fuit dicentis poteſtas, uoluntaria fuit patientis infirmitas. Voluntas autem, quæ ex poteſtate uenit, naturalem utiq; ueritatem diuinitatis humanitatisq; ſeruauit. Nã poteſtas naturalis proculdubio defuit, ſi in diuinitate Chriſti quælibet infirmitas fuit. Qualiter autem patiendi poteſtatem humanitas habuit, ſi plenam impaſsi-

passibilitatem diuinitas habere non potuit? Cognoscatur ergo, quoniā ubi naturaliter plena est potestas, nulla potest esse passionis infirmitas: quoniam potestas Christi, qua immortalis permansit, cū moriens in carne Christus animā poneret, ipsa sine tristitia permansit, cū uoluntariā ex potestate Christus in anima tristitiam sustineret. Ideo aūt ille homo potestatē ponendæ animæ habuit: quia eum diuina potestas in unitatem personæ suscepit. Quæ autem plena est potestas, nisi sola diuinitas? de qua dicitur: *Omnia quæcunque voluit fecit*. Et cui dicitur: *Subest enim tibi, cùm voles, posse*. Propterea in illo dignè plena potestas creditur, cui tantum posse quantum uelle, & tantum uelle quantum posse, naturaliter suffragatur. *Psal. 134.* *Sap. 12.*

Adhuc autem ueram se Christus animam suscepisse tàm nomine dignatur monstrare quàm opere, dicens: *Maiorem hac dilectionem nemo habet, quàm vt animam suam quis ponat pro amicis suis.* Vnde sciens Petrus animā Christi pro- *Christus veram animā suscepit.* *Ioan. 15.*

prio

prio substantialiq; uocabulo nuncupatam, ne quisquam putaret, à Domino carnem, nomine forsitan animæ designari, perfectæ mutationis, quàm fuit postmodum accepturus cupiens sectari uirtutem, dicente Domino: *Quo ego vado, non potes me sequi modò, sequeris autem postea. Respondit: Domine, quare non possum sequi te modò? Animam meam pro te ponam.* Ostendit utique Christum pro se animam positurũ, cùm se in hoc eum sequi diceret, ut etiã ipse pro Christo animam posuisset. Nam quia diuinitatis naturam communem Petrus cum Christo non habuit, non ei de diuinitate potuit dicere: Animam meam pro te ponam. Rursus, si carnem pro se nosset Christum tantummodo posuisse, posset etiam ipse dicere: Corpus meum pro te ponã, sicut propriè corpus ostendit Paulus, ubi dixit: *Si tradidero corpus meum vt ardeam.* Sed quoniam sciebat Petrus, Christum pro nobis animã positurum, propterea in eo se Dominũ uelle sequi monstrauit, in quo pro eo animę ponendæ

Ioan. 13.

1. Cor. 13.

dæ demõstrauit affectum, ut quam pro se Christum posuisse sciret, hanc ipse pro Christo similiter posuisset.

Et ut omnis prauæ caligo sententiæ, clarissimo prorsus Catholicæ ueritatis lumine dissipetur, Ioannis informemur eloquio, qui ad imitationem Christi fideles exhortans, quod in capite nouerat factum, hoc in membris præcipit faciendum: *In hoc*, inquiens, *cognoscimus charitatem: quoniam ille pro nobis animã suam posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere*. Animam igitur ponere, dilectionis est proprium. Vbi autem dilectio non est, corpus tradi dicitur, anima poni non dicitur, sicut Vas electionis, plenum dilectionis, omnino testatur: *Si tradidero corpus meum, vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*. Ostendit sine charitate corpus posse tradi, non animam poni. Vbi autem dilectionis suæ significare nititur puritatem, sic Thessalonicensibus scribit: *Cupidè volebamus tradere vobis, non solùm Euangelium Dei, sed etiam ani-*

Idem confirmatur testimonio Ioannis.

1. Ioan. 3.

Animam ponere dilectionis est proprium.

1. Cor. 13.

1. Thess. 2.

mas

mas nostras. Et ut charitatis hoc esse demonstraret, adiecit: *quoniam charissimi nobis facti estis*. Ideo etiam Petrum, qui se pro Domino animã sponderat positurum; ut agnosceremus, officium ponendæ animę in dilectione constare, primitus Christus ad confessionem amoris inuitat, & ut facultatem ponendæ animæ suo deinceps amatori concedat, sic eum denique interrogat: *Simon Ioannis, diligis me plus his? Dicit ei: Etiam Domine, tu scis quia amo te*. Cumq; hoc etiam secundò dixisset: *Dicit ei tertiò: Simon Ioannis amas me?* Cumq; ille tertiò interroganti trinum amoris sui testimoniũ reddidisset, statim Dominus Petro ponendæ pro se animę largitus est facultatẽ, dicens: *Amen amen dico tibi: Cùm esses iunior, cingebas te, & ambulabas vbi volebas. Cùm autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò nõ vis. Statim Euangelista subiecit dicens: Hoc autem dixit significans, qua morte clarificaturus esset eum. Et hoc cùm dixisset, dicit ei, sequere me*. Ecce qualiter eum, &

Ioan. 21.

Ibid.

antea

antea ſe qui Petrus uolebat, quãdo pro eo animam ponere cupiebat, ſicut eum poſtea recto dilectionis itinere ſequi meruit, quando pro èo animam in paſſione depoſuit.

Quocirca, quia manifeſtè Scripturarum atteſtatione probatum eſt, dilectionem deeſſe ubi ſolum corpus ponitur, ibi autem charitatẽ eſſe, ubi anima cum corpore ponitur: Chriſtus ex Virgine plenus credẽdus eſt Deus: & plenus homo: id eſt, anima rationalis & caro: & ſicut fidei catholicæ ueritas habet, in uno eodemq; Chriſto credamus, ſecundùm ueram ſubſtantiam carnis, uoluntariã & ueram famem, cũ eſuriens ad ficulneam ueniret: uoluntariam & ueram ſitim, cũ bibere à Samaritana depoſceret, uel cũ ſe ſitire in cruce dixiſſet: uoluntariam & ueram laſsitudinem, cùm fatigatus ab itinere ſuper puteum ſederet: uoluntarium & uerũ uulnus, cum militis lancea percuteretur in latere: uoluntariam & ueram mortem, cum inclinato capite ſpiritum emiſiſſet in cruce: uolũtariam

Chriſtus plenus Deus & homo.

Chriſtus infirmitates carnis veras & voluntarias habuit.

& ueram sepulturam, cùm eum depositum de ligno Ioseph & Nicodemus ponerent in sepulchro.

Has enim carnis omnes infirmitates, uoluntarias quidem, sed ueras Christus habuit: quia carnis humanæ naturam, nõ in phantasia, sed in ueritate suscepit: Quas passiones propterea in carne uoluntarias habuit, ut in ueritate carnis, diuina potentia, quæ nec pati potuit aliquando nec mori infirmitatẽ mortemq; deuinceret, & carnem suam in uitã uirtutemq; perpetuam suscitaret. Quod Paulus sic ore ueridico protestatur: *Christus surgens à mortuis, iam non moritur, & mors ei vltra non dominabitur. Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel. Quod autem viuit, viuit Deo.* Quis autem ignoret Christum nec diuinitate, sed in solo corpore mortuum & sepultum?

Vt diuinâ potentiâ infirmitatem & mortem vinceret.

Rom. 6.

Quod euidenter Ioannes his uerbis ostendit: *Post hæc autem,* inquiens, *rogauit Pilatum Ioseph ab Arimathia, eò quòd esset discipulus Iesu, occultus autem propter*

Ioãnes Euãgelista naturas in Christo ita distinguit, vt vnitatem personæ interim nõ diffiteatur.

metum Iudæorum, vt tolleret corpus Iesu. Et permisit Pilatus. Venit ergo, & tulit corpus Iesu. Venit autem Nicodemus, qui venerat ad Iesum nocte primùm, ferens mixturam myrrhæ & aloës, quasi libras centum. Acceperunt ergo corpus Iesu, & alligauerunt eum linteis cum aromatibus, sicut Iudæis mos est sepelire. Ecce facta distinctione diuinitatis, carnis & animæ quantum ad proprietatem substantiæ attinet, solum corpus Iesu dicit de cruce depositum, aromatibus conditum, & linteis obuolutum. Propter unitatem uerò personæ quoniam Deus hominẽ, quem ex Virginis utero suscepit, nec in morte nec in sepulchro deseruit, propterea secutus Ioannes adiecit: *Erat autem in loco vbi crucifixus est, hortus, & in horto monumentum nouum, in quo nondum quisquam positus erat. Ibi ergo propter Parasceuem Iudæorum: quia iuxta erat monumentum, posuerunt Iesum.* Verè diuino Spiritu plenus, sanctus Euangelista loquutus est, ut primitus, quid in Christo mortuum fuerit, & sepul-

Ioan. 19.

Ibid.

tum, oſtendens, diceret acceptum corpus Ieſu, & ligatum linteis cum aromatibus. Et quia quod Deus coniunxit, homo non ſeparat, propterea non corpus Ieſu, ſed Ieſum dicit in monumento poſitum. Sciebat enim quod ille ſuſceptor pleni hominis Deus, totus eſſet cum carne ſua in ſepulchro, totus cum anima ſua in inferno, totus in mũdo, totus in cœlo, totus in unitate naturæ in Patre, de quo extitit, totus per omnipotentiam diuinitatis ſuæ in tota creatura quam fecit.

Sic etiã D. Paulus.

Hanc in Chriſto unitatem perſonæ ſeruans Apoſtolus, ſic Corinthiorum in fide ueritatis confirmat eccleſiam: *Tradidi enim vobis in primis, quod & accepi: quia Christus mortuus eſt pro peccatis noſtris ſecundùm Scripturas, & quia ſepultus eſt, & quia ſurrexit tertia die ſecundum Scripturas.* Mortuum dixit non corpus Chriſti, ſed Chriſtum, ut unitatem perſonæ Dei hominisq́ſ ſeruaret. Vt aũt ſubſtantialem proprietatem Deitatis & humanitatis oſtenderet, alio loco (ſicut ſupe-

1.Cor.15.

ſuperiùs iam poſuimus) dicit: *Nam etſi crucifixus eſt ex infirmitate, ſed viuit ex virtute Dei*. Attendenda eſt Apoſtolicorum uirtus præclara dictorum. Si & Paulus dixiſſet de Chriſto: quia crucifixus eſt ex infirmitate, ſed uiuit ex uirtute, & non addidiſſet, Dei: nec ſic debuit infirmitas paſsibilitatis humanæ cum diuinæ uirtutis impaſsibilitate confundi: At cùm uirtutem deitati Paulus aſsignet, quis non uideat, quod ea, quę infirmitatis uidentur, hominis eſſe denunciet. Nam & quod dicit de Chriſto: quia uiuit ex uirtute Dei, ex ſua deitate utiq; uiuit, quod ipſe eſt uirtus Dei, & ſic uiuit, ſicut Pater uiuit. Quoniam ipſe eſt uia, ueritas & uita. 2. Cor. 13.

Nam ut unam uitam Patris Filijq; Ioannes nobis inſinuaret Apoſtolus, epiſtolę ſuę hoc ponere curauit exordium: *Quod erat ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis noſtris, quod inſpeximus, & manus noſtræ contrectauerunt de verbo vitæ, & vita palam facta eſt. Et vidimus & teſtamur, & nũciamus vobis vitã* *Vna Patris Filij'q; vita.* 1. Iohan. 1.

æternam, quæ erat apud Patrē et palā facta est nobis. Filium Dei, quam uerbum Dei superiùs dixit, uitam in subsequentibus nominauit. Quod est autem uerbũ uitæ, nisi uerbum Dei? Et quoniã uerbum uitæ uita est, una est utiq; uita. Illud uitæ uerbum, & uita cuius est uerbum.

Ideo ergo Christus, qui mortuus est ex infirmitate, uiuit ex uirtute Dei: quoniã illi diuinitati hoc est uitã esse, quod est uirtutem esse, & propterea hoc est illi posse, quod uiuere. Et ideo nec in passione uirtutem uita deseruit, nec in morte Christi uirtus à uita discesit: quoniã Christi diuinitas (quæ uirtus & uita est) mutari non potuit.

Alia D. Pauli testimonia. Rursus pro unitate personæ in Christo firmissimè commendanda sic Paulus, scribens Romanis, potuit, dicens de *Rom. 8.* Deo: *Qui Filio proprio nõ pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Atq; ut illa traditio uolũtaria ex potestate Filij monstraretur effecta, Filiũ quoq; pro nobis se memorat tradidisse, dicens alio loco:
Gal. 2. *Quod autem nũc uiuo in carne, in fide ui-*

uo Filio Dei, qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me. Sed ut ostenderetur, quid in Christo potuerit tradi, prophetice dicit liber Iob: *Terra tradita est in manus impij.* Et tamen pro unitate personæ, non solùm humanitatem Christi, sed Christum traditum tenet & confitetur Ecclesia: quoniam in illa traditione, salua proprietate utriusque naturæ, nec homo susceptus separari potuit à Deo, nec Deus potuit ab homine segregari suscepto.

Iob. 9.

Non solùm humanitas Christi: sed Christus traditus est.

Sicut ergo passionem mortis & mortem propter unitatem personę, Dei quidem Filio Scriptura prorsus assignat, & tamen Deitatem impassibilem immortalemq; pronunciat: ita & animæ tristitiam & perturbationem quam uoluntariam in anima Dei Filius habuit, sic habuisse credatur, ut etiam ipsas humanæ animæ passiones, & uoluntate ueras & in ueritate uoluntarias non negemus. Ipsa quoque Christi diuinitas, quę secundùm animam contristari & secundùm carnem dignata pro nobis est mori, se-

Deus passus & mortuus, non Deitas.

ri, ſecundùm ſubſtantiæ proprietatem, ſicut immortalis, ſic eſt impaſsibilis prędicanda. Quæ quia uerum hominem ſuſcepit, ideo cunctas naturæ humanæ infirmitates, ueras quidem, ſed uolũtarias in eadem ueritate naturæ duntaxat humanæ ſuſtinuit.

Infirmitates dictæ ita ſũt humanitatis propriæ: vt deitati tribui non poſſint.

Quis autem tam mortiferam ſectetur improuidus de Chriſto ſententiam, ut famem illam, ſitim, laſsitudinem, paſſionem, mortem, & rurſus triſtitiã, perturbationem, metum & tædium (quæ carnis & animæ eſſe, nemo poteſt aliquatenus dubitare) ſic uera fuiſſe credat in natura hominis; ut ab his immunem non credat ſubſtantiam deitatis? cum ſperantibus in ſe, hoc ut ſuperent Chriſtus dederit, quod pro nobis ipſe uoluntate perſenſit.

Quod Chriſtus tribuit hominibus: id diuinitati eius non eſt denegandũ. Eſa. 40.

Propter quid diuinitùs inſpiratus, perfidis ac mortiferis cogitationibus Eſaias obnititur, dicẽs: *Deus æternus, Deus qui fecit fines terræ, non eſuriet neque laborabit, neque inueniri poteſt prudentia eius, præſtans eſurientibus vires, & non dolen-*

dolentibus mærorem. Esurient enim iuuenes, & laborabunt adolescentes, & electi sine viribus erunt. Qui verò expectant Dominum exultabunt cum virtute perducent pennas sicut Aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt & non esurient. Ipse quoque panis, qui de cœlo descendit, credentibus in se perfectam satietatem ueraciter repromittit, dicens: *Qui venit ad me, non esuriet, & qui credit in me, non sitiet in æternum.* Rogo, qualiter hæc uirtus concedetur hominibus si eam habere nõ potuit Deus? Aut quomodo Christus in sua diuinitate non habuit, quod ab eo Paulus, ut haberet, accepit? Ipse enim de se similibusq; testatur, dicens: *Tribulationem patimur, sed non coangustamur.* Et alio loco: *Quasi morientes, & ecce viuimus: ut castigati, & non mortificati: quasi tristes, semper autem gaudentes sicut egẽtes, multos autem locupletantes, tanquam nihil habentes, & omnia possidentes.* Quàm graue atq; incongruũ est, & à uera fide modis omnibus alienum, ut Paulus in una eademq; ani-

Ioan.6.

2.Cor.4.

2.Cor.6.

mæ ſubſtãtia cùm triſtatur, poſsit in domo Chriſti ſemper gaudere, & de Chriſti diuinitate dicatur, quòd triſtis eſt anima, quam ſuſcepit, non potuit in ſeipſa ſine triſtitia permanere. Non timet Ioan-
1. Ioan. 4. nes, qui dicit: *Timor non eſt in charitate: nam perfecta charitas forâs mittit timorẽ.* Qui autẽ timet, non eſt perfectus in cha-
Matth. 10. ritate. Audierat enim à Domino: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam aũt non poſſunt occidere.* Timorẽ nullus audet aſcribere Ioanni, & timor mortis adſcribitur Deitati? Sperat in illo Dauid
Pſal. 56. & dicit: *In Deo ſperabo, non timebo quid faciat mihi homo.* Idemq́; confidenter inge-
Pſal. 26. minat: *Dominus illuminatio mea, & ſalus mea: quem timebo? Dominus defenſor vitæ meæ: à quo trepidabo?* Et ipſe Dominus
Ioan. 14. Apoſtolis dicit: *Non turbetur cor veſtrũ neq; formidet.* Idem denuò: *Gaudete,* inquit, *quia ego vici mundum.* Expectãtes igitur eum, fortitudinẽ ſumunt, pennas producũt, quibus ad cœleſtia ſubleuentur, currentes neſciunt laborem, ignorãt ambulantes eſuriem, in tribulatione nõ patiun-

patiuntur angustiam, morientes retinẽt uitam, tristes quidẽ uidentur, tamẽ semper gaudentes exultant, egeni diuitias pluribus cõferunt, & omnia possident, dum nihil habere contendunt, dilectione Christi repleti, carent timore ab ipso illuminati, fatentur se nullum metuere, ipso defensore, nequeunt ab aliquo trepidare, de corde eorum turbatio propellitur & formido: gaudent, quia uident mundum à Christo deuictum. Si hæc seruis accipientibus, nemo potest adimere: qualiter Domino largienti perfida cęcitas, uel potius cęca ꝑfidia, quod diuinum naturaliter habet, conatur auferre? Quis autem nõ uideat in illis passionibus Christi quędam nostrarum uirtutum semina contineri?

Vnus ergo idemq́; Christus in humanitate quę humana sunt sensit, in diuinitate autẽ impassibilis immortalisq́; permansit. Dei enim Filius uerbũ & sapientia Patris, ipse est salus, de quo Propheta dicit: *Salus nostra citò ueniet*. Ipse uirtus & sapientia. *Christus enim Dei virtus*

Diuinitatem in Christo non passam probatur ex quibusdam eius appellationibus.
Esa.46.
1.Cor.1.



& Dei sapientia. Ipse saturitas: quia *panis est qui de cælo descendit*. Idem *via*, ipse *veritas*, ipse *vita*. Idem gaudium & lætitia nostra, de quo Propheta dicit: *Et factum est mihi verbum tuum in gaudium & lætitiam cordis mei*. Ipse *lumen, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. His nominibus superiùs designatis incommutabilis atq; impassibilis inuenitur. Aegrotare non potest salus, infirmari non nouit uirtus, nescit saturitas esurire, uia nequit errare, sapientia non mutatur, uita non moritur, lumẽ non extinguitur, nec ueritas deprauatur, nescit tristari lætitia, Deitas non potest superari.

Ioan.6. *Ioan.14.* *Ierem.15.* *Ioan.1.*

Christus peccata propria non habuit: aliena portauit.

Propterea utiq; etiam Christi humanitas sine peccato permansit: quia eam in unitate personæ diuinitas accepit, quæ naturaliter peccare nõ nouit. Homo ergo Christus, quoniã peccata non habuit propria, portare dignatus est aliena. Illorum autem à se uoluit peccata portari, cum quibus tenebatur consortio naturali, dicente Apostolo: *Qui enim*

Heb.2.

im ſanctificat, & qui ſanctificantur, ex
no omnes. Propter quã cauſam nõ con-
nditur fratres eos uocare, dicẽs : *Nun-* *Pſal. 21.*
abo nomen tuum fratribus meis.

Eſaias etiam Propheta, pietatis hu- *Eſaias in*
us taliter effectum prænunciat, ut ho- *Chriſto di-*
ninis in eo nomen euidenter oſtendat, *uinitatem*
hæc dicens : *Domine quis credidit audi-* *& humani-*
ui noſtro, & brachium Domini cui reue- *tatem oſten-*
latum eſt? Cùm dicit brachium Domi- *dit.* *Eſa. 53.*
ni, diuinitatem Filij Dei oſtẽdit. Ac de-
inceps incipit incarnationis & paſsio-
nis myſterium prædicare : *Annunciaui-*
mus coram ipſo, vt Pater, vt radix in terra *Ibid.*
ſitienti. Non eſt ei ſpecies neq; gloria. Et vi-
dimus eum & non habuit ſpeciẽ neq; decõ-
rem: ſed ſpecies eius ſine honore, & abiecta
præ omnibus hominibus, homo in plaga, &
ſciens ferre infirmitatem: quoniam aduer-
ſatus eſt, facies eius dehoneſtata eſt, nec ali-
quid æſtimata eſt. Hic peccata noſtra por-
tat, & pro nobis dolet, & nos exiſtimaui-
mus eum in doloribus eſſe, & in plaga, & in
vexatione: ipſe autem vulneratus eſt pro-
pter iniquitates noſtras, & infirmatus eſt
pro-

propter peccata nostra. Eruditio pacis nostra in eum, liuore eius nos sanati sumus. Omnes, vt oues errauimus, homo à via sua errauit, & Dominus tradidit eum pro peccatis nostris, et ipse, quia malè tractatus est, non aperuit os, vt ouis ad immolandum ductus est, & vt agnus ante eum qui se tondet sine voce, sic non aperuit os suum. In humiliatione iudicium eius sublatum est. Generationem eius quis enarrabit? quoniam tolletur à terra vita eius, ab iniquitatibus populi mei ductus est ad mortem. Et ut Propheta plenam in Christo substantiã hominis demonstraret, paulò inferiùs adiecit: *Peccata eorũ ipse portabit. Ideo ipse hæreditate poßidebit multos, & fortium partietur spolia, propter quod tradita est in morte anima eius, & inter iniquos deputatus est. Et ipse peccata multorum sustinuit, & propter iniquitates eorum traditus est.* Ex his Prophetæ uerbis, & anima tradita cognoscitur Saluatoris & caro, qui totus pro nobis ad crucẽ ductus est homo. Sic enim oportuit nostrorum peccatorum deleri Chirographum ut dum

Ibid.

uetus

cretus homo nôster, simul cruci affigitur, tanquam in trophæo, triumphatoris uictoria panderetur.

Restabat tamen, ad plenum nostræ redemptionis effectum, ut illuc usque homo sine peccato à Deo susceptus descenderet, quousque homo separatus à Deo, peccati merito cecidisset: id est, ad infernum, ubi solebat peccatoris anima torqueri, & ad sepulchrum, ubi consueuerat peccatoris caro corrumpi, sic tamen, ut nec Christi caro in sepulchro corrumperetur, ne inferni doloribus anima torqueretur. Quoniam anima immunis à peccato, non erat subdenda supplicio: & carnem sine peccato non debuit uitiare corruptio. Nam quia peccans homo meruit in seipso per supplicium diuidi: quia maluit à Deo, qui diuidi non potest, præuaricationis reatu disiungi, propterea factum est, ut peccatoris mors carnem peccati ad sepulchrum corrumpendam perduceret, animam inferno torquendam protinus manciparet. Sed hæc ulciscentis Dei æqui-

Christus vt redemptionem nostrã absolueret, descendit ad infernum et sepulchrũ.

æquitas fecit, quæ ideo taliter peccatorem addixit: quia ne peccaret antè prædixit. Hæc fuit retributio peccatori reddenda, ut iustè peccati suppliciũ lueret, qui Deo isto iniustè peccasset. Vt autem peccator fuisset gratuito munere liberatus, factum est, ut mortẽ corporis quàm à Deo iusto peccator homo pertulerat, iustè Dei Filius à peccatore pateretũ iniustè: & ad sepulchrum perueniret caro iusti, quousq; fuerat caro deuoluta peccati: & usq; ad infernum descenderet anima Saluatoris, ubi peccati meritò torquebatur anima peccatoris.

Fructus descensus Christi ad infernum & sepulchrum. Hoc autem ideo factũ est, ut per morientem temporaliter carnem iusti, donaretur uita æterna carni: & per descendentem ad infernum animam iusti, dolores soluerentur inferni.

Vtrunq; autem Scriptura sancta non tacuit. De resurrectione quidẽ carnis sic beato Paulo loquẽte: *1.Cor.15.* *Per hominẽ mors, & per hominem resurrectio mortuorũ. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur.*

Idem

Idem homo Christus est qui pro nobis & pontifex factus est, dum semetipsum passioni obtulit, & hostia factus est, dum passionem ipse suscepit. Huic dicitur: *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Et sacerdos tamen & hostia, humanæ naturæ tã officia cognoscuntur esse quàm nomina. Et quoniam idem pontifex infirmitates nostras suscepit & habuit, propterea de ipso Apostolus dicit: *Non enim habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris.* Et ut se de natura humana loqui doceret, adiecit: *Tentatum autẽ per omnia pro similitudine absq; peccato.* Et paulò inferiùs subdidit: *Omnis enim pontifex ex hominib. assumptus, pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis, qui condolere possit his qui ignorant & errant: quoniam et ipse circundatus est infirmitate.* In eo ergo, quo circundatus fuit infirmitate, in eo condoluit ignorãtiæ & erroribus nostris, & in eo compassus est infirmitatib. nostris. Ibi enim

Christus pro nobis pontifex & hostia factus, in natura humana nobis cõpassus est.

Psal. 109.

Heb. 4.

Heb. 8.

est unitas cōpaſsionis, ubi est unitas naturalis. In eo autē nobis pontifex ille cō passus est, in quo etiā nos cōpatimur, dicente B. Apostolo: *Ipse Spiritus testimoniū reddit Spiritui nostro, quòd sumus filij Dei: si autem filij, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi: si tamen compatimur, vt & glorificemur.* Beatus quoque Petrus ad huius nos gratiam cōpaſsionis hortatur, dicens: *Chariſsimi, nolite expauescere in feruorem: quia ad tētationem vobis sit. Nolite pauere, tāquam noui vobis aliquid contingat, sed vt communicantes Christi paſsionib. gaudete, vt & in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes.* In natura ergo humana pontifex ille ueritatem sustinens paſsionis in ea utique nouit compati membris suis. Propterea & Beatus Paulus dicebat: *Vt adimpleam ea quæ desunt paſsionum Christi in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia.*

Cōpatimur nos quoque Christo.

Rom. 8.

1. Pet. 4.

Col. 1.

Morimur cū Christo.

Quid autem mirum, quoniam pontifici nostro naturali communione compatimur, cùm nos Beatus Apostolus

etiam

etiam cum illo mortuos esse testetur his uerbis: *Si mortui estis cum Christo, quid adhuc tanquam viuentes in mundo discernitis?* Dicit etiam Timotheo: *Memor esto Iesum Christum resurrexisse à mortuis, ex semine Dauid, secundùm Euangeliũ meum, in quo laboro vsque ad vincula, quasi malè operans, sed verbum Dei non est alligatum. Omnia autem sustineo propter electos, vt & ipsi salutem consequantur, quæ est in Christo Iesu cũ gloria cœlesti.* Sciens ergo Apostolus Iesum Christum ex semine Dauid à mortuis surrexisse, in quo utiq; cõmunio naturæ manifestatur humanæ, in quo eum mortuum nouerat, in eo nos illi commortuos esse commemorat, dicens: *Fidelis sermo. Nam si commortui sumus, & conuiuemus: sustinebimus, & conregnabimus.* Col. 2. 2. Tim. 2. 2. Tim. 2.

Pontifex ergo ille, *qui semetipsum pro nobis obtulit* (sicut Apostolus dicit,) *oblationem et hostiam Deo in odorẽ suauitatis,* sicut mortuus pro nobis, omnes nos sibi commori fecit, sic, solutis dolorib. inferni, omnes fideles ab ijsdem dolorib. Eph. 5. *Cũ Christo ut morimur: ita à doloribus inferni liberamur.*

liberauit. Sicut B. Petrus testificatur, & dicit: *Iesum à Nazareth, virum approbatum à Deo in vobis virtutibus & signis & prodigijs quæ fecit per illum Deus in medio vestri, sicut vos scitis, hunc definito cõsilio & præscientia Dei traditum per manus iniquorum affigentes interemistis, quem Deus suscitauit, solutis doloribus inferni, iuxta quod impoßibile erat teneri illum ab eo.* Vbi etiam Dauidicũ illud (quod in primo libro posuimus) testimonium ita protulisse monstratur. *Dauid enim dicit in ipsum: Prouidebam Dominũ corã me semper, quoniam à dextris est mihi ne cõmouear. Propter hoc iucundatum est cor meum, & exultauit lingua mea, insuper & caro mea requieuit in spe: quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionẽ. Notas mihi fecisti vias vitæ, & adimplebis me iucunditate cum facie tua.* Ibi Beatus Petrus diuino uerè Spiritu illuminatus, & secundùm Domini sermonẽ, lux mũdi effectus, qualiter hunc locum intelligere deberemus, clarißima luce prædicationis

Testimoniũ D. Petri de resurrectione carnis & animæ Christi.

Act. 2.

Ibid.

cationis ostendit, ne quis in Christo ueram carnem sic intelligeret, ut ueram in illo animam denegaret. Sequitur ergo: *Viri fratres, liceat audenter dicere ad vos de Patriarcha Dauid: quia & defunctus est, & sepultus est, & sepulchrum eius est apud nos usq; in hodiernum diem. Propheta igitur cùm esset, & sciret, quia iureiurando iurasset illi Deus, de fructu lumbi eius sedere super sedem eius, prouidens loquutus est de resurrectione Christi: quia neque derelicta est anima eius in inferno, neq; caro eius vidit corruptionem.* *Ibid.*

In hoc igitur diuinitas Christi uirtutem suæ impassibilitatis ostendit, quæ ubiq; semper atq; ineffabiliter præsens, & secundùm animã suam in inferno sine doloribus fuit, & secundũ carnẽ suã in sepulchro sine corruptione iacuit: qa nec carni suæ defuit, cùm animam suam in inferno dolere non sineret, nec animã suam in inferno deseruit cùm in sepulchro carnem suam à corruptione seruaret. Dignum nanque fuit, ut carnem sepulchri non corrumperet locus, quam

Diuinitas Christi, neq; carnẽ in sepulchro, neq; animã in inferno deseruit.

,, peccati nõ corrupit affectus: & animam
,, dolor non contigisset inferni, quam ser-
,, uitus nequiuit tenere peccati.

Christus liber à peccato. Propter hoc in Psalmo, cũ ex forma serui, in qua Christus nostra peccata portauit, diceret: *Psal. 88.* *Quia repleta est malis anima mea, & vita mea in infernum appropinquauit:* ut ostenderet eandem animã suam à peccato liberam, in infernũ pro nobis peccatoribus descendisse, subdidit, dicens: *Ibid.* *Factus sum sicut homo sine adiutorio, inter mortuos liber.*

Propter personæ unitatẽ Filius Dei dicitur mortuus. Veruntamen cũ sola caro moreretur & resuscitaretur in Christo, propter unitatem personæ Dei & hominis, Filius Dei dicitur mortuus. Quod euidenter his uerbis Paulus Apostolus protestatur: *Rom. 5.* *Si enim, cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filij eius, multo magis reconciliati salui erimus in vita ipsius.* *Et resurrexisse.* Rursus, Filiũ Dei resurrexisse, Petri prosequutione firmatur, Iudæos ad credulitatem Christi taliter exhortãtis: *Act. 3.* *Vos estis filij Prophetarum & testamenti, quod disposuit Deus ad Patres nostros, dicens*

cens ad Abraham : Et in semine tuo benedicentur omnes familiæ terræ, vobis primū suscitans Deus Filium suum, misit eum benedicentem vobis, vt conuertat se vnusquisq; à nequitia sua. Etiam in hoc capitulo, quem semen Abrahæ memorat, eundem Filium Dei B. Petrus appellat: Non enim diuíditur Christus, qui tamē non secundùm id quod ex Deo Patre, sed secundùm id quod ex semine Abrahæ, cognoscatur surrexisse pro unitate personę, in qua Deus & homo unus est Christus, non incongruè Dei Filius dicitur suscitatus.

Cuius, ut secundùm diuinitatem una probaretur natura cū Patre, unus simul fuit effectus in opere. Sicut enim carnē suam in Virginis utero faciēte Patre etiam ipse fecit (quia secundùm humanam naturam de Christo scriptum est, *& Dominū eum & Christū Deus fecit, hūc Iesum quē vos crucifixistis*. Scriptū est etiam: *Quia sapiētia ædificauit sibi domū*) sic etiam cū traderetur à Patre, ipse quoque se cognoscitur tradidisse. Scriptum

Nihilominus secundū diuinitatem Patri ὁμοούσιος. Quia eadē opera tribuuntur Filio, quæ Patri.

1. Incarnatio.

Act. 2.

Prou. 9.

2. Traditio.

Rom. 8. est enim: *Quia Deus Filio proprio nō pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illū.* Et
Gal. 2. de ipso Filio dicitur: *Quod autem nūc viuo in carne, in fide viuo Filij Dei, qui dilexit me, & tradidit seipsum pro me.* In re-
3. Resuscitatio. surrectione quoq; eius inuenitur operis æqualitas; quia una est Patris Filijq́; Maiestas. De Patre quippe sic Beatus
Act. 3. loquitur Petrus: *Vobis primùm Deus suscitans Filium suum, misit eum benedicentem vobis.* De ipso uerò sic Dei Filius lo
Ioan. 2. quitur ad Iudæos: *Soluite templum hoc, & in tribus diebus suscitabo illud.* Quod Ioannes aperuit dicens: *Ipse autem dicebat de templo corporis sui.* Collossensibus quoq; Paulus loquens ipsum Deum Filium humanitatē suam his uerbis signi-
Col. 2. ficat suscitasse: *Videte ne quis vos seducat per philosophiam, & inanem fallaciā, secūdùm traditiones hominum secundū elemēta mundi, & non secundū Christum: quia in ipso habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, et estis in illo repleti, qui est caput omnis principatus & potestatis. In quo & circuncisi estis, circuncisione nō manu fa-*

nu facta, in expoliatione corporis carnis, in circuncisione Christi, consepulti ei in Baptismo, in quo & consurrexistis per fidē operationis Dei, qui suscitauit illū à mortuis, & vos, cū mortui essetis in delictis & præputio carnis vestræ, cōuiuificauit cū illo, donans vobis omnia delicta, delens quod aduersum nos erat Chirographum decreti, quod erat cōtrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci, exuens se carne principatus & potestates traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso. Non nescimus, hunc locū ad personam Patris à nonnullis referri, sed ex cōnexione uerborum, sicut & legentis accedat intentio, magis id capituli huius sensus ostēdit, ut unus idemq; Filius, nō solùm Christus, qui suscitatus est, sed etiam Deus ipse, qui Christū suscitauit, appareat. Vt cōstet Apostolū in hoc loco Dei nomē ad illā sempiternam Filij, quæ est ex Patre, substantiā: nomē uerò Christi ad eā, quā ex homine Dei Filius, sumpsit, retulisse naturam. Dignum prę omnib, ducens Doctor gentiū, in fide

Interpretatur hunc D. Pauli locum de persona Filij.

& ueritate, ut ſicut eundẽ Chriſtũ, qui ſuſcitatus eſt prędicauit hominẽ, (dicẽs:
1. Cor. 15. *Per hominẽ mors, et per hominẽ reſurrectio mortuorũ. Sicut. n. in Adã omnes moriuntur, ita in Chriſto omnes viuificabuntur,*) non minore cautela eundẽ Filium, qui ſuã carnem illa (quæ æqualis eſt Patri) potẽtia ſuſcitauit, Deum uerißimè prędicaret: ſicut huius loci textus clara manifeſtatione uulgauit. Deus enim qui ſuſcitauit Chriſtum à mortuis, quiq; nos, cũ mortui eſſemus in delictis & præputio carnis noſtrę, conuiuificauit cũ illo, idẽ nobis delicta omnia donauit, & qui donauit delicta, Chirographũ, qd' aduerſum nos erat, deleuit, & ſublatum de medio, cruci affixit: Qui Chirographũ cruci affixit, idẽ ſe carne exuit: q ſe carne exuit, ille etiã principatus & poteſtates traduxit confidenter, palã triũphans illos in ſemetipſo. Hęc aũt Paulo teſte, omnia Deus fecit, q Chriſtũ à mortuis ſuſcitauit. Attendat itaq;, ſi Pater Chirographũ cruci affixit, ſi Pater ſe carne exuit, ſi Pater principatus & poteſtates traduxit,

duxit, palā triūphans illos in semetipso. Et si hæc omnia paternæ potuerint coaptari psonę, dignè negabitr Filius hic Apostolo designatus, ille scilicet Deus, q Christū à mortuis suscitauit. Si aūt omnia superiùs designata, Filio magis quā Patri cōueniunt, cognoscat̄ unus atq; idē ab Apostolo p̄dicatus Christus, q à mortuis resurrexit, & Deus q Christū à mortuis suscitauit. Igitur & q suscitauit semetipsum & suscitatus est Christus. Quia sicut in eo qđ in se fecit, ipse dignatus est fieri: & in eo qđ in se tradidit, ipse dignat9 est tradi: in eo qđ in se occidi p-misit, ipse dignat9 est mori: Sic in eo, qđ in se suscitauit, ipse dignat9 est suscitari.

Humanitas ergo uera Filij Dei, nec tota in sepulchro fuit, nec tota in inferno, sed in sepulcho secūdū uerā carnē Christus mortu9 iacuit, & secundū animā ad infernū Christus descēdit. Secundū eādem animā ab inferno ad carnē (quā in sepulchro reliquerat) redijt: secundùm diuinitatem uerò suā, quæ nec loco tenet, nec fine cōcluditur, totus fuit in sepulchro

Summa eorū quæ hactenus de persona Christi docuit.

,, pulchro cũ carne,totus in inferno cum
,, anima. Ac per hoc plenus fuit ubique
,, Christus: quia non est Deus ab humani
,, tate,quam susceperat, separatus, qui &
,, in anima sua fuit,ut solutis inferni dolo-
,, ribus,ab inferno uictrix rediret:& in car
,, ne sua fuit,ut celeri resurrectione corrũ-
,, pi non posset.

Recta fides de humanitate Christi.

,, Totum igitur hominem cũ suis infir-
,, mitatib. sine peccatò Dei Filius pro no-
,, bis accepit:in tota traditus idẽ Christus
,, secundùm solam carnẽ mortuus, totus
,, Christus secũdùm solam animam ad in-
,, fernum descendit.Idem atq; inseparabi-
,, lis Christus, secundùm solam carnẽ de
,, sepulchro surrexit: idem atq; inseparabi
,, lis Christus, secundùm totũ hominem,
,, quem accepit, terrã localiter deserẽs,ad
,, cœlum ascendit, & in dextris Dei sedet,
,, secundùm eundẽ totũ hominem uentu
,, rus ad iudicandũ uiuos & mortuos,co-
,, ronaturus fideles & pios, illos scilicet,
,, qui eum in utraq;,id est,in humana diui
,, naq; substantia, uerũ plenum & perfe-
,, ctũ credentes, nec Dei Filio aliquid pa-

ternæ

ternæ ſubſtantiæ minuũt, & totũ pro ſe ‟ ſuſceptũ hominem ſine peccato cogno- ‟ ſcunt, condemnaturus autem infideles, ‟ qui diuerſos cuiuslibet perfidiæ ſectan- ‟ tur errores, quiq; in eis ita ſimul obdu- ‟ rato corde perdurant, ut eos uſq; ad ui- ‟ tæ præſentis obitum non relinquant. ‟

Hæreſes circa perſonam Chriſti. In quib. ſunt illi, qui in Chriſto phantaſiam carnis audent credere. Et cũ eum ueritatem carnis denegant accepiſſe. *Marcionitæ. Ebionitæ.* Illi etiã qui in eo diuinitatẽ omnimodis abnegantes, ſolã hominis putãt fuiſſe ſubſtantiã. *Arriani. Eunomiani. Apollinariſtæ.* Sed & hi qui eum uel de Deo Patre Dominũ denegant naturaliter natũ, uel totã non credũt hominis in Chriſto ſubſtantiã. *Noëtiani. Sabelliani.* Similiter & illos cõdemnaturus adueniet, qui ex operationis unitate unum Deum Patrem & Filium credentes, alterum ex altero ſic natũ denegant, ut perſonaliter Patrem Filiumq; cõfundant. *Patripaſsiani.* Quiq; Patri humanam pariter natiuitatem aſsignãtes & mortem, ipſum Patrem dicunt natum ex uirgine, ipſum etiam paſſum fatentur in carne. Illos etiam æterno condemnabit gehennalis

tormenti

Valentiniani & Apollinaristæ.

tormenti ſupplicio, qui corpus Chriſti non ex Virgine fatentur ſubſtantialiter ſumptum, ſed confingunt de cœlo depoſitũ. Cùm Dei Filius própterea de homine naturam fuerit dignatus corporis terreni ſuſcipere: quia nõ uenerat eos q in cœlo, ſed eos qui fuerant in terra ſaluare, ſicut Apoſtolus dicit: *Nuſquã enim angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit, vnde debuit per omnia fratribus ſimilari.* Suſcepit ergo Filius Dei animã noſtrã, id eſt, melius noſtrũ: (quia melior eſt meliore noſtro, de quo Ioãnes dicit: *Maior eſt Deus corde noſtro*) ſed non ſpreuit etiã carnem noſtram, id eſt, infimũ noſtrum ſuſcipere: quia totũ hominem uenerat liberare, nec potuit infimo noſtro infimus fieri, per quẽ infimũ noſtrum in illud nomen, quod ſuper omne nomẽ eſt, meruit exaltari, *vt nomine Ieſu omne genu flectatur, cæleſtiũ, terreſtrium, & infernorum, et omnis lingua cõfiteatur, quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris.* Qui etiam illos tormentis eſt interminabilibus traditurus, qui ſancti Spiritus

Dei Filius naturam corporis terreni aſſumpſit.

Heb. 2.

1. Ioh. 3.

Philip. 2.

Hæreſis Pneumatomachorum.

Spiritus naturã à ſubſtãtia Patris Filijꝗ diſcernunt, ut uel omnino eũ perſonaliter eſſe nõ putẽt, uel tanquã miniſtrum meriti prorſus inferioris exiſtiment. Ipſi ſibi ſua profeſsione contrarij, qui ſe uel in illo, qui omnino non eſt, uel in eo, qui Deus non eſt, credere confitentur.

Vt enim pauca huius operis cauſa ſubijciam. Dicatur, quid minus habet Spiritus ſanctus, quã habet Pater & Filius? qui & in initium creationis noſtræ cum Patre ab Filio ſimul fecit, & effectum redemptionis noſtræ cũ Patre ſimul Filioꝗ perfecit. Cœlum feciſſe dicitur Deus, ſed operante Patre ſimul & Filius inuenitur cooperator & Spiritus ſanctus. *Verbo enim Domini cœli firmati, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Quid Patre uel Filio minus habere creditur, à quo uirtus omnis cœlorum firmata monſtratur? Vitam dare nullus poteſt, niſi qui ſubſtantialiter Deus eſt. Sicut autem uiuificat Pater, ſic uiuificat Filius, ſic uiuificat Spiritus ſanctus. Nã ſicut Pater ſuſcitat mortuos & uiuificat, ſic

Spiritus S. Patri & Filio ὁμοούσιος. Quia eadẽ illi quæ Patri & Filio tribuunt opera & effectus.

1. *Creatio.*

Psal. 33.

2. *Viuificatio.*

ſic & Filius, quos uult, uiuificat. Et de
2.Cor.3. Spiritu Apoſtolus dicit: *Litera occidit, ſpiritus autem viuificat.* Idem rurſus: *Si*
Rom.8. *autem Spiritus eius, qui ſuſcitauit Ieſum à mortuis, habitat in vobis, qui ſuſcitauit Ieſum Chriſtũ à mortuis, viuificabit & mortalia corpora veſtra, propter inhabitantẽ*
3. *Spiritum eius in vobis.* Regenerat Pater,
Regeneratio. regenerat Filius, regenerat Spiritus ſanctus: quia cũ Baptiſma datur in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, ex eo unuſquiſq; regeneratur, in cuius nomine baptizatur. Cùm ergo in nomine Trinitatis datur Baptiſma, ſimul tota Trinitas regenerat, quę unus & ſolus eſt Deus. Propterea de fidelib. Ioannes dicit:
Ioan.1. *Qui non ex ſanguinibus, neq; ex voluntate*
4. *carnis, neq; ex volũtate viri, ſed ex Deo na-*
Charitas in nobis. *ti ſunt.* Eſt in nobis charitas Patris, qua dicit Paulus: *Commendat autem ſuam*
Rom.5. *charitatem Deus in nobis: quoniam ſi, cùm adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt, multò igitur magis iuſtificati nũc in ſanguine ipſius ſalui erimus ab ira per ipſum.* Eſt in nobis charitas Chriſti, di-

ſti, dicente Apoſtolo: *Quis nos ſeparabit* Rom. 8.
à charitate Chriſti? vt impleamini in omnem plenitudinem Dei. Eadem eſt in nobis etiã charitas Spiritus ſancti, de qua
Paulus dicit: *Obſecro igitur vos fratres,* Rom. 15.
per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum & per charitatem Spiritus. Et alio loco: *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, per*
Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis. Et Rom. 5.
denuo dicit: *Fructus autem Spiritus eſt* Gal. 5.
charitas, gaudium, pax. Habitat in nobis 5.
Pater, habitat Filius, habitat Spiritus Habitare in nobis.
ſanctus. Quia ſcriptum eſt: *Inhabitabo* 2. Cor. 6.
in illis & inambulabo. De Filio quoque
dicit Apoſtolus: *In interiore homine ha-* Eph. 3.
bitare Chriſtum per fidem in cordibus veſtris. Spiritum quoque ſanctum his uerbis in nobis habitare confirmat: *Ne-*
ſcitis, quia templum Dei eſtis, & Spiritus 1. Cor. 3.
Dei habitat in vobis? Et ut oſtenderet, eundem eſſe Spiritũ Dei: qui Spiritus ſan
ctus eſt, Timotheum ſic ammonet, di- 2. Tim. 1.
cẽs: *Bonũ depoſitũ cuſtodi per Spiritũ ſan-* 6.
ctum qui habitat in nobis. Dat gratiam Dare gratiã.
Pater, dat gratiam Filius, dat gratiã Spi-

ritus sanctus. Sicut prędicator ueritatis, Christo in se loquēte, testatur: *Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro, & Domino*
Rom. 1. *Iesu Christo.* De Spiritu quoque sancto scriptum est in Actibus Apostolorum, cùm Petrus ad docendum Cornelium
Act. 10. ab ipso Spiritu mitteretur: *Loquente autem Petro verba hæc, cecidit Spiritus sanctus super omnes, qui audiebant verbum, & obstupuerunt ex circumcisione fideles, qui venerant cum Petro, quia & in nationes gratia Spiritus sancti effusa est.*
7. Sumus templum Patris, sumus templũ Filij, sumus templum Spiritus sancti, sicut à Paulo doctore didicimus, qui ait: *Vos enim estis templum Dei viui.* Et alio loco: *Si quis autem templum Dei violauerit, disperdet illum Deus: Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.* Filij quoq; templum sumus, cuius domus sumus. Nam & ipse Filius templum domũ uocauit, dicente Euangelista: *Ascendit Iesus*

Templũ habere nos quĩ sumus membra Christi.
2. Cor. 6.
1. Corint. 3.

Ioan. 2. *Hierosolymam, & inuenit in templo vendentes boues & oues & cætera.* Quos cùm de templo protinùs eiecisset, uēdentib.
colum-

columbas dixit: *Auferte ista hinc, & nolite facere domum Patris mei domum negociationis.* Similiter Dauid idem esse templum Dei quod domum in Psalmis ostendit dicens: *Ego autem in multitudinẽ misericordiæ tuæ introibo in domum tuã, adorabo ad templum sanctũ in timore tuo.* Cũ hoc ergo sit templũ Dei, quod domus, Dei tẽplum nos filij demõstrat Apostolus, cuius nos domum, ita scribẽs Hebræis appellat: *Christus autẽ tanquã Filius in domo sua, quæ domus nos sumus, fiduciam & gloriam spei vsq; ad finem firmã retineamus.* Nam & ipsum corpus Filij & domum Scriptura sancta nominauit & templum, cùm dicit Salomon: *Sapientia ædificauit sibi domum.* Et Euangelista huic sensui concordans ait: *Ipse autem dicebat de templo corporis sui.* Si ergo quod corpus est Christi, templum est Christi, nos quoq; templum eius sumus, quos corpus eius esse confirmat Apostolus, dicens: *Vos estis corpus Christi & membra.* Templum etiã Spiritus sancti nos esse manifestè commendat: *Nescitis,* inquiens:

Ibid. Psal. 5. Hebr. 3. Prou. 9. Ioan. 2. 1. Cor. 12.

1. Cor. 6. quiens: *quia membra vestra templũ sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo?* Vbi eum Deum quoq; mõ-
Ibid. strauit, ista subijciens: *Et non estis vestri: empti enim estis pretio magno, glorificate & portate Deum in corpore vestro.* Hoc tamen templum Spiritus sancti, mem-
Ibid. bra Christi esse testatur, dicens: *Nescitis: quia corpora vestra membra Christi sunt?*

Repetuntur summatim quae dicta sunt, de Spiritu S.

Dicatur igitur, 1 si cœlorum uirtutem potuit firmare qui non est Deus: 2 si potest uiuificare, qui non est Deus: 3 si potest in Baptismatis regeneratione sanctificare, qui non est Deus: 4 si potest charitatem tribuere, qui non est Deus: 5 si potest in credẽtibus habitare, qui nõ est Deus: 6 si potest gratiam dare, qui nõ est Deus: 7 si potest templum membra Christi habere, qui non est Deus: Et dignè Spiritus sanctus negabitur Deus. Rursus dicatur: Si ea, quæ de Spiritu sancto commemorata sunt, potest aliqua creatura facere: & dignè Spiritus sanctus dicetur creatura. Si autẽ hæc Creaturæ possibilia nunquam fuerunt, & inueniuntur

ueniuntur in Spiritu sancto, quæ tamē soli competunt Deo, non debemus naturaliter diuersum à Patre Filioq́ꝫ dicere, quem in operum potentia diuersum non possumus inuenire.

Ac sic ex unitate operis unitas est cognoscenda uirtutis, nec quisquam dubitet Patrem & Filium & Spiritum sanctum, personarum Trinitate seruata, unū Deum naturaliter dicere, qui potuit uniuersa sola uoluntate condere, qui cūcta potest uirtutis omnipotentia gubernare, qui omnia potest immensitate diuinitatis implere. *Deus Trinus & Vnus.*

Hæc ut Dominus dedit, Clementissime Rex, malui tuę pietati scribere, quā omnimodis reticere, ne silendo, aut ęstimarer superbus, aut de fidei nostræ ueritate putarer ambiguus. Cùm Ecclesiā Catholicam solam Christus columbam suam uoluerit appellari dicens: *Vna est columba mea, una est dilecta mea.* In quo colūbæ nomine charitas & simplicitas designatur. Sola autem ueram posſidet charitatem, quæ Filium Dei, quem dili- *Conclusio.* *Ecclesia appellatur columba. Cant. 6.*

git, non dicit in diuinitate minorem, sed Patri fatetur æqualem. Sola uerò possidet ueritatem simplicitatis, quæ unam, ueram & simplicem credit substantiam Trinitatis.

Exhortatio ad Trasimũdum à uoto incipiens & in uotũ desinens.

Oramus autem Deum, ut aures clemẽtiæ tuæ uerbo ueritatis placidas reddat, & pio cordi tuo lumen sapientię spiritalis infundat, ut Filiũ Dei Deũ Dominum Iesum Christũ sic honorifices, sicut honorificas Patrẽ. Meretur enim hoc à te, ut eum qui te fecit patre tuo meliorẽ, Patri suo secundùm diuinã naturam fatearis æqualem. Quæso gloriose rex, ut in te consideres largitatem diuini muneris, & potestatem nõ minuas largitoris, ut qui tibi temporale donauit regnum, donet etiam sempiternum. Ipse enim dicit: *Eos qui me glorificant, glorificabo.* Quod ipsa Trinitas faciat, quæ unus & uerus est Deus, qui potest omnia facere, supra quàm petimus aut intelligimus. Ex ipso enim & per ipsum sunt omnia, ipsi gloria in sæcula sæculorum, Amen.

1. Sam. 2.

BEATI

Beati Fulgentij

EPISTOLÆ VII.

QVARVM

Prima est de Coniugali debito & Voto continentiæ à coniugibus emisso.

II. Ad GALLAM, de Consolatione super morte mariti & de statu viduarum.

III. Ad PROBAM, de Virginitate & Humilitate.

IIII. Ad eandem, de Oratione ad Deum & compunctione cordis.

V. Ad EVGYPIVM Abbatem, de Charitate & eius dilectione.

VI. Ad THEODORVM Senatorem, de Conuersione à seculo.

VII. Ad VENANTIAM, de recta Pœnitentia & futura retributione.


EIVSDEM

De Fide Orthodoxa, & diuersis Erroribus hæreticorum ad DONATVM, LIBER VNVS.

BEATI FVLGENTII DE CONIVGALI DEBITO, ET VOTO CONTI-*nentiæ à coniugibus emiſſo,*

EPISTOLA I.

Exordiũ ab excuſatione tarditatis.



PISTOLAM tuam, ſanctę ſolicitudinis indicem, ante aliquot menſes accipiens, cùm perſoluere cuperẽ ſine dilatione reſpõſum, ſic ſum repentina corporis ægritudine correptus, ut febrium uiolenta nimietas com meatum mihi uitæ præſentis auferret, niſi uerus animarum corporumq; medicus qui ſanat omnes languores noſtros, & redimit de interitu uitam noſtram, ad remouendum tantæ infirmitatis flagellum dignaretur medicinę ſuę largiri ſubſidium, recepta quoq; ſoſpitate, non defuit quidẽ reſcribendi uolũtas, ſed ad dirigẽdum obſtitit hyemalis aſperitas. Nũc itaq;: quia creator & moderator

derator temporum, tēperiem dignatus eſt donare uentorum, conſultationi tuæ, quod miſeratione atq; inſpiratione superni largitoris accepi, redhiberi non deſtiti.

Dicis itaque filiam noſtram, coniugem tuam, penè uſq; ad extremum nuper ęgrotaſſe periculum, & ſicut plerunque contingit, accepta manus impoſitione, pœnitentiam ſecundùm morem (quem habet Chriſtiana religio) peregiſſe. Verùm, quia poſtmodum diuinæ bonitatis munere plenam accepit corporis ſoſpitatem, fragilitatem carnis allegans, ætatis inſuper iuuenilis incontinentiam cōfiteris. Et in hac ambiguitate cogitationis, qua carnem conſideras, maieſtatemq; formidas, uelut nauta locorum ignarus, & fluctibus uentisq; iactatus, dum periculorum incerta pręcaues, noſtra tibi reſponſione demonſtrari flagitas portum, ubi poſsis animæ uitare naufragium. *Narratio.*

Tenor ergo interrogationis tuæ duo quædam me compellit non ſegniter cō- *Partitio.*

 ſideran-

ſideranda penſare, ſcilicet, 1 non ſolùm quid in ſe coniugalis ammixtionis qualitas habeat, 2 ſed etiam, quid in unaquaque re pollicitatio uouentis exposcat.

Pars prima, qua coniugium licitũ eſſe docet.

Igitur ſi per ſeipſam quis fidelium cõiugum commixtionem, duce ratione, conſideret culpabilis uſus non in coniugali concubitu, ſed in concumbentiũ reperietur exceſſu. Neq; ex commixtione maris & fœminæ, ſed ex immoderatione libidinis culpam trahit coitus cõiugalis. In coniugibus ergo exceſſus iure reprehenditur, nuptialis tamen dignitas collati ſibi diuinitùs honoris munere non priuatur.

Non coniugium, ſed cõiugũ immoderatio culpanda.

Coniugium honeſtũ eſt.

Heb. 13.

1. Corint. 7.

Ideo clamat Apoſtolicæ prædicationis authoritas: *Honorabile cõnubiũ in omnibus, & thorus immaculatus.* Corinthios quoq; ſuper matrimonij honeſtate ſeruanda Paulus informans, cũ præmiſiſſet, *bonum homini mulierem non tangere,* quorundam infirmitatem uidens, atq; Apoſtolica ſatagens charitate, tãquam parieti inclinato, & maceriæ impulſæ, non

non neglexit Doctor egregius, consolationis destinam, Christo in se loquente, supponere. Deniq; subsequenter adiungit: *Propter fornicationes autem vnusquisq; suam vxorem habeat, & vnaquæq; suum virum habeat. Vxori vir debitum reddat, similiter autem vxor viro.* Ibid.

Apostolicę itaq; lectionis tenor ostēdit, uxorem uiro, & uirum uxori quadā debiti cōmunione misceri. Quod proculdubio non appellaret Apostolus debitum, nisi legitimum sciret esse reddendum, nec iuberet reddendum mutuæ consensionis officium, si esset iniqua reposcentis exactio. *Debitum cōiugale.*

Vsq; adeo nanq; nuptias operi diuino applicare non ambigit gentium Doctor, ut & mulieris in corpore uiri, & in uxoris corpore uiri potestatem æquali prorsus iure cōfirmet, dicens: *Mulier sui corporis potestatem non habeat, sed vir. Similiter autem & vir sui corporis potestatem nō habeat, sed mulier.* Alio autem loco idem dicit: *Quia non est potestas nisi à Deo.* *Potestas cōiugalis.* 1. Cor. 7. Rom. 13.

Huius

Coniugij finis procreatio sobolis.

Huius igitur potestatis inculpabilis est usus, officio gignendi diuinitùs attributus, si iustitiæ terminum transgredi libidinosus non permittatur excessus. Iustitia uerò utendi coniugij hæc est, ut non explendæ libidinis, sed substituendæ prolis obtentu sibi coniuges congruo tempore misceantur. In illis nanque bonis quæ fecit Deus, inuenitur casta copulatio uxoris & uiri, in quibus Dei operibus libido non potest inueniri: nec aliquando iustitiæ congruit, quę non hominibus ex dono conditionis, sed peccatorib. ex uitio primæ præuaricationis accesit. Sed quia sine illa in corpore mortis hui9 proles humana non seritur, non eam affectant coniugia casta, sed tolerant, eiq; imponit nuptialis honestas modum, sine qua nō potest in carne peccati naturalis explere fœcunditatis officium.

Cui tamen accidit uitium.

Sic ergo quæri debet ex nuptijs fructus, ut cohibendus sit lubricæ uolupta tis excessus. Quocirca, si coniugalis usus eatenus temperetur, ut non æstuanti libi-

Coniugio quomodo recte utendũ.

ti libidini animus seruiat, sed prouentũ nascituræ prolis attendat, & cùm nata fuerit, diluendam celeriùs spiritali generatione non negligat, non deputatur fidelibus coniugibus ad peccatum, carnis indulta commixtio: quia & coniugalis seruat confœderatio castitatem, & uerecundia custodit modesta temperiem, & Deo dicandam coniugalis exhibet fœcunditas prolem, ut & redemptoris ope homo iam natus reformetur baptismatis Sacramento, cuius opere priùs formatur in utero: & illum habeat humana natura beneficio secundæ natiuitatis patrem, quem in prima natiuitate suæ conditionis agnoscit authorẽ.

Coniugatus ergo si fornicetur, damnabiliter peccat: si uerò thori fidem non deserat, sed in uxore sua naturali duntaxat usu aliquantulũ intemperatus excedat, non solũ scilicet generationẽ quærens, sed aliquando libidini carnis obediens, hoc equidem sine culpa nõ facit: talis autem culpa citiùs bene operanti atq; oranti remittitur: quia ipsi coniugi seruat

Coniugium medetur quoq; infirmitati carnis.

seruat maritalis charitas fidem, in quâ non poteſt maritalis infirmitas cuſtodire temperiem: & ſi nuptialis in uxore modeſtia non tenetur, à nuptiali tamen fide nulla immoderatione diſceditur.

Seruata thori fides maculam libidinis diluit.

Retenta ergo thori fides maculam diluit, quàm contrahit infirmitas carnis, ſi mulieri non miſceatur alteri, quiſquis nõ pro ſola generatione, ſed etiam propter fragilitatem carnis ſuæ miſcetur uxori. Quia & ſi præfixum concumbendi modum tranſit, tamen coniugalem terminum non excedit. Et licet contrahat carnalis infirmitas culpã, impetrat tamen nuptialis integritas ueniam.

Accipit ergo talis indulgentiam, non pro eo quod ab una debitum coniugale plus quàm oporteat exigit, ſed quia una legitima accepta cõtentus, alteram non requirit. Si tamen non deſunt miſericordiæ opera, quæ tantum ualent in religione Chriſtiana, ut non ſolũ qui cõiugijs utuntur, aut qui cõtinentes ſunt, ſed etiam uirgines ad pręmium uirginitatis peruenire nõ poſsint, ſi opera miſericor-

sericordię charitatisq; neglexerint. Si uerò quis intẽtus operibus bonis, tantam seruauerit in uxore temperiem, ut filiorum procreandorum causa tantummodo misceatur uxori, multa laude talis est proculdubio dignus, si quis hoc nostris potest implere temporibus.

Fornicatio tamen nunquã potest esse sine graui crimine, in qua licet nõ dubitem, dãnabiliter peccare hominẽ ab uxore disiunctũ, dãnabilius tamẽ fornicari existimo coniugatũ. Vtrunq; aũt Scriptura sancta iudicandum, & regno Dei ꝓnunciat alienũ. Scriptũ nanq; est in Epistola ad Hebręos: *Quia fornicatores & adulteros iudicabit Deus*. Et in Epistola, quã ad Corinthios scripsit Apostolus, dicitur: *Nolite errare: neq; fornicarij, neq; idolis seruientes, neq; adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebriosi, neq; maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt*. Rursus inter opera carnis idem Apostolus Paulus fornicationem immunditiam, luxuriamque dinumerati

Fornicatio graue crimẽ.

Heb. 13.

Gal. 5.

in

2.Cor.12. in quorum conclusione dicit: *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequuntur.* Præmonet etiã ne lugeat multos ex his qui antè peccauerunt, ut non egerunt pœnitentiam super immunditia & fornicatione & impudicitia quã gesserunt.

Trãsit ad secundam par t m de uoto continentiæ. Igitur quia de qualitate coniugij, qđ Dominus donauit, diximus, illud est cõsequenter tota solicitudine pertractandum, quidnam uestræ uoluntatis pręfixerit (si qua nunc potuit esse) deuotio.

Vota sunt reddenda. Neq; enim quia rebus à Deo concessis usus hominibus non interdicitur, ideo debet homo quod uouerit Deo non reddere. Cũ scriptum sit: *Reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea.* Et ne quisquam sibi uellet excusationem tribulationis ad frustrandę licentiam promissionis assumere, nec se putaret uoti reum, si se dixisset aliquid uouendum non uoluntate, sed tribulatione cõpulsum, docens Beatus Dauid omnia esse Deo reddenda, quæ fuerint legitimè duntaxat etiã in tribulatione promissa,

Psal.66.

Etiam in tribulatione promissa.

cùm

cùm dixiſſet Deo: *Reddã tibi vota mea, quæ diſtinxerunt labia mea:* cõtinuò ſubdidit: *Et loquutum eſt os meum in tribulatione mea.* Nam & in Deuteronomio ſcriptum eſt: *Si autem voueris votum Domino Deo tuo, non tardabis reddere illud: quia exquirens exquiret Dominus Deus à te, & erit in te peccatum. Si autem nolueris vouere, non erit in te peccatum. Quæ exeunt per labia tua custodies, & facies quemadmodum voueris Deo tuo votum, quod loquutus es ore tuo.* Dicit & Salomon: *Statim vt voueris votum Domino, non tardabis reddere illud:* Tu itaq; quæ uoueris redde. Bonum eſt non uouere, quàm uouiſſe & non ſoluere.

Ibid.

Deut. 23.

Proinde licitarum rerum uſus licitè cum temperantia geritur, donec rei licitæ renunciatio non uouetur, & quamdiu non tenetur ex utriuſq;: id eſt, mariti uxoriſq; conſenſu, perpetua continentiæ promiſsio, non eſt illicita coniugalis ammixtio. Scriptum eſt enim: *Si duxeris vxorem, nõ peccaſti: & ſi nupſerit virgo, non peccauit.* Veruntamen non pec-

Res licitæ poſt votum fiunt illicitæ.

Sic cõiugiũ quoq; licitũ & illicitum.

1. Cor. 7.

Ee cet

cet uirgo quę nubit, inuenitur tamen aliqua uirgo peccare ſi nupſerit. Non enim peccat uirgo nubens, ſi uirginitatē Deo priuſquam nuberet in corde non uouit. Cæterùm ſi, quemadmodum dixit Apoſtolus, ſtatuit in corde ſuo firmus, non habens neceſsitatem, poteſtatem autē habens ſuæ uoluntatis, & hoc iudicauit in corde ſuo ſeruare uirginitatem ſuam, grauiter poſtmodum peccat, ſi poſt dicatam uirginitatē Deo, uoluerit humano ſeruire connubio. Nam & uiduas quaſdam beatus Paulus uinculo pronunciat damnationis obſtrictas: quia ſcilicet poſt continentiæ profeſsionem, nubendi receptam non abijciunt uoluntatem. De quibus euitandis Timotheum ſic inſtruit: *Adoleſcentiores autem viduas deuita, cùm enim luxuriatæ fuerint, in Chriſto nubere volunt, habentes damnationem: quia primam fidem irritam fecerunt.*

1. Tim. 5.

Adimit igitur concumbendi licentiā continentiæ promiſsio, nec ſola talibus fornicatio interdicitur, ſed etiam maritalis

Continentiæ vota obſtrictis coniugiū redditur illicitum.

talis ammixtio prohibetur, & præuaricatricem uoluntatē tenet culpabilis nexus, etiam ſi nullus in opere conſequatur effectus. Neq; enim fruſtra ſcriptum eſt: *Quia concupiſcentia cùm conceperit, parit peccatum.* Quocirca non ſolùm à uirginibus integritas, uerumetiam à uiduis atq; coniugibus debet Deo dicata continentia cum timore & tremore ſeruari. Quia priuſquam ſit aliquis uoti reus non condemnatur, ſiue uirgo licitè nubat, ſiue maritus & uxor coniugale ſibi debitum reddant: Poſtquàm uerò quiſque meliora conſectans, profeſsione ſeipſum continentiæ ſiue integritatis obſtrinxerit, grauiſsimè delinquit, ſi ſibi deinceps licere putat, quod antè licitum fuerat. In talib. quippe rebus, quod uouens Deo ſibi adimit uolūtas, nulla deinceps impunè ꝑmittit uſurpare neceſſitas, nec temerator uoti excuſationē iuſtam ſuę pręuaricationis inueniet, quem nemo compulit ut uoueret. *Iacob. 1.*

Eſt planè aliquid diſcernendum, inter uotum uirginis aut uiduæ, & inter *Coniuges nō poſſunt uouere.*

uotum eorũ qui tenentur uinculo con-
iugali. Nec enim tanta eſt uouẽdi licen-
tia uel libertas uiro ſiue mulieri, poteſta
tem ſui corporis nõ habenti, quanta eſt
uiduæ cuilibet aut uirgini. Coniugato
enim uel coniugatæ corporalis conti-
nentiæ uouendæ facultas plena nõ ſup
petit, cuius corpus non in ſua, ſed in cõ-
iugis poteſtate conſiſtit, ſecundùm illud
Apoſtoli dictũ, quod ſuprà poſuimus:
1.Cor.7. *Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir: ſimiliter autem & vir ſui corporis poteſtatem nõ habet, ſed mulier.* Non ita-
que ſinitur abſq; cõiugis uoluntate con
tinentiam aſſumere, cuius corpus nõ eſt
in propria poteſtate. Hoc enim quiſque
recta & firma deuotione ſolus promit-
tit, quod ſui tantùm iuris eſſe cognoue-
rit. Tale eſt enim, ut uelit quiſq; corpo-
ris ſui, quod eſt in coniugis poteſtate,
continentiã profiteri, quale, ſi quis de al
terius ſubſtantia aut eleemoſynã facere,
aut ſacrificiũ conetur offerre. *Deus autẽ noſter* (ſicut ipſe teſtatur) *diligit iuſtitiã,*
Eſ.61. *& odio habet rapinam in holocauſto.*
Illa

Illa itaque inter coniuges est continentiæ certa promissio, quæ fuerit utriusque consensione firmata. Quam cùm uir & mulier sibi consentientes concordi uoluntate, tãquam sacrificium in odorem suauitatis, super altare fidei Deo uero ac summo in templo sui cordis obtulerint, nec mulier ulteriùs in uiri nec uir in mulieris corpore, ad reposcẽdum debitum coniugale potest habere legitimam potestatem. Sicut enim, priusquam Deo simul uouerent, reprehensibilis fuit unius oblatio: quia legitimi consortis deerat assensus: ita cum pari obtulerit uterque consensu, quod est inseparabiliter utriusque commune, non erit impunitus, si quis munus, Deo uolũtaria deuotione oblatũ, illicito crediderit opere temerandum.

Nisi id fiat ex vtriusque consensu.

Quod si fortè quis non toto animo uouisse causetur, eo magis damnabilis erit, quòd non simplex ad Deum, sed fictus accessit. Scriptum est autem: *Quia Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus quæ sunt sine*

Qui non toto animo vouit, magis etiam damnabilis est. *Sap. 1.*

intellectu. Alio quoque loco ficta sancta Scriptura sic increpat: *Væ duplici corde, & labiis sceleratis, & manibus malefacientibus, et peccatori ingredienti terram duabus viis.*

Eccli. 2.

Res Deo deuota nõ repetẽda vel retinenda.

Quàm sit autem malum, quamq; solicitè effugiendum, si quis de hoc quod Deo uouerit, aut retinere aut repetere aliquid, mortifera præuaricatione pertentet: exemplo sunt Ananias & Saphira, quos de precio agri quandam partem infideliter subtrahentes, non solùm uox Apostolica, tâquam diuini iuris peruasores increpauit, sed etiam seueritas iustitiæ cœlestis occidit. Beatus deniq; Petrus non solùm fraudis uitio memoratũ Ananiam dixit obnoxium, quinetiam, cor eius à Sathana pronunciauit impletum, dicens: *Anania, cur impleuit sathanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto, vt fraudares de precio agri? Nónne manẽs tibi manebat, & venundatũ in tua erat potestate? Qui vtiq; fecisti hoc, non hominibus mẽtitus es, sed Deo.* Si quis igitur rem Domino iam deuotam, carnali uictus

Act. 5.

ille-

illecebra, crediderit denuo reposcendã, non est legitimus rei suæ possessor, sed diuini iuris pronunciatur inuasor. Nec immeritò continentiæ iam deuotæ uiolator immundus audit, quod auarus pecuniæ fraudator audiuit.

Proinde cuncta quæ superiùs disputata sunt, cõscientia uobis testimonium perhibente, perpendite. Et siquidẽ continẽtiam pari uouistis assensu, tenorem uestræ dilectionis cum Dei timore seruate. Et siquando carnis infirmitas mentem pulsat, animus ad auxilium diuinæ miserationis accurrat, ne cedat libidini, sed Deum tota humilitate fidelis exoret, & carnali desiderio militanti aduersus animã non consentiat, sed repugnet. Si uerò cõtinentiam unus uestrûm sine alterius uouit assensu, temerariè se uouisse cognoscat, & debitum coniugi casta synceritate redhibeat. *Respondet ad quæstionem ab initio propositam.*

Veruntamen, ut omnia uestra honesta fiant, in redditione coniugalis debiti, sic infirmitatem carnis usus excipiat coniugalis, ut non caro libidini seruiat, *Instruit fideles coniuges.*

ſed animi uirtus adiuta diuinitùs, carnalis concupiſcentiæ fræna reſtringat. Negocium nanq; ſubſtituendæ prolis ita debet à coniugibus peragi, ut ſubſeruiente uerecundia, dum ſe ad opus fœcunditatis animus fidelis inclinat, modeſtiam ſimul naturalis honeſtatis Deo adiuuante cuſtodiat. Præcipuè autem obſeruandum eſt fidelibus cõiugibus, ut illa fugiant opera, quæ diuina ſeueritas & facienda prohibet, & facta condemnat. Hæc enim nec Apoſtolica doctrina fidelibus inſinuare ceſſauit, ut ad cuſtodiendam uitæ bonæ regulam prudenter inſtrueret, ſalubriterq; terreret.

An fideli uxor ſit ducenda.

Magnum itaq; bonum eſt, mulierem non tangere, quod debet omnis fidelis principaliter obſeruare. Propter fornicationes tamen quiſquis ſiue coniugatus, ſiue à coniugio liber, ſi continentiã Deo non uouit, & ſeipſum ad implendam continentiam cernit inualidum: (quamuis ubi plena fuerit continendi uoluntas, & ab oratione atq; operibus bonis non deſtiterit uera cordis humili-

1. Cor. 7.

tas,

ſtas. Ille qui dixit: *Petite & dabitur vobis, quærite & inuenietis, pulſate & aperietur vobis:* quia ueritas eſt, & mentiri non poteſt, & bene petenti det, & quærenti adinuentiones ſuas præparet, & bene pulſanti ipſe aperiat, ut ad penetralia uitæ melioris introëat) tamen ſiquis adhuc plus eſt de ſua infirmitate ſolicitus, quã de Domini uirtute ſecurus, ſi continentiam non nouit carnis, contineat ab iniquitate, & ſicut decet utatur uxore, malitiam atq; auaritiam fugiat, & non condemnatur, ſi coniugi debitum reddat. Matth. 7.

Non ſit ebrioſus, nõ inuidus, nõ contentioſus, non fictus, non malignus, nõ litigioſus, non ſuperbus, non rapax, nõ auarus. Quantum ad ipſum attinet, pacem habere cum omnibus quærat, perniciem non teneat, nulli detrahat, cum amicis fidem teneat, inimicis nunquam perfidus aut periurus exiſtat, aliena non rapiat, æquitati pecuniam non præponat: ſit in negocijs iuſtus, in operibus pius, mitis ad tolerandas, tardus ad retribuendas iniurias, in fide ſtabilis, ama- *Officiũ fidelis mariti.*

tor castitatis & pacis. Attendat Saluatoris nostri dictum, quo nobis & quid faciamus praecipit, & quid accipiamus ostendit. Ait enim: *Dimittite & dimittetur vobis, date & dabitur vobis.* Sit ergo quantum potest in eleemosynis largus & hilaris, & ad dimittendum peccantibus facilis ac suauis, nec tamen se putet ita peccantibus tribuere ueniam, ut disciplinam suae domus existimet negligẽdam, sed uigoris retinens clementiaeq; temperiem, seruet in correptione modestiam, & in remissione censuram. Arguat, moneat, terreat, increpet, consoletur, oblectet. Nec tantum faciat in subditis peccantibus, quantum impetus furoris impellit, sed quantum modus consultationis exposcit: Et si uerberãdus est pro peccato famulus, non ulciscendi libido pręualeat, sed ęquitas Christiana potiùs illi clementer cõsulat, quem flagellat: ac sic & quando iustitia persequitur culpã, non desit misericordia, quę modestè nouit tenuare uindictam.

Luc. 6.

Nutriantur filij secundùm Apostoli prae-

præceptum, in disciplina & correptione Domini, nec permittãtur impudicè aut luxuriosè uiuere, cùm non lasciuiæ, sed castitati ac temperantiæ proles debeat Christiana seruire. Neq; enim & de malis operibus filiorum non erit in illa terribili examinatione parentum negligentia iudicanda: cùm & in hoc sęculo propterea Heli sacerdos à Domino reprobatus fuerit & abiectus: nõ quia filijs in iniquitate consensit, sed quia peccantes mansueto quamuis sermone monuerit, prohibere tamen competenti seueritate cessauit. Magis autem parentes, qui uerè diligunt filios, bene operando eis cõsulant, quàm diuitias colligendo dum filijs tenaciter substãtia colligitur, oportunitas boni operis omittatur.

Quomodo liberi educandi.

1. Reg. 2.

Præ omnibus autem fideles meminerint coniugati, semper orationibus atq; eleemosynis insistendum, nec uelint iugiter in ipsa carnis infirmitate iacere, sed festinent gradum uitæ potioris ascendere. Et ut ad uirtutem continentię perueniat animus, magis magisq; carnalis

Fideles coniuges aspirẽt ad vitã meliorem.

concupiſcentiæ comprimatur exceſſus, Vt dum Deo adiuuante illum ſuperauerint gradum, in quo coniugalis infirmitas ueniam poſtulat, celſiorẽ poſsint laudabiliter obtinere, in quo continentiæ uirtus palmam uitæ melioris expectat.

BEATI FVLGENTII DE CONSOLATIONE ſuper morte mariti, & de ſtatu uiduarum, AD GALLAM: EPISTOLA II.

Dominæ verè illuſtri, & in Chriſti timore venerabili, filiæ Gallæ, ſeruorum Chriſti famulus.

Occaſio ſcribendi obitus mariti & ſanctũ propoſitum Gallæ.



ANte menſes aliquot Diaconi mei, ex urbe meãtis, certa narratione comperi, non ſolùm tui coniugis obitum, uerumetiam ſanctum propoſiti tui tramitem, in quo iam ambulas, illo deducente, qui eſt uia, ueritas & uita, qui fidelibus ſuis nouit per momentaneam triſtitiam donum ſempiternæ largiri lætitiæ, & quos uult

Ioan. 14.

uult ſalubriter de terrenis ad cœleſtia paternæ benignitatis diſpenſatione transferre.

Neque enim fruſtra Dominus (cuius incomprehenſibilia iudicia, & inueſtigabiles uias Apoſtolus prædicat Paulus) coniugem tuum religione ſyncerè fidelem, corde humilem, moribus mitem, operibus miſericordem, conuerſatione penitùs innocentem, ætate iuuenem, de peregrinatione huius uitæ ad æternam cœleſtis patriæ celeriter tranſtulit manſionem: niſi ut & illi gaudia æterna conferret, & tibi facultatem melius uiuendi concederet. Illi donauit ut corpore ſpoliatus, ſit cum Chriſto ſine fine uicturus: tibi donauit, ut quæ ſunt Domini ageres, & ſecundùm Apoſtoli ſermonem, ſis ſancta & corpore & ſpiritu. Proinde, ſine dubitatione crede, quod diuinitùs dicitur: & cum dilectione ſpera, quod promittitur, ut poſsis benefacere quod iubetur.

Conſolatio Gallæ.

Laus mariti defuncti.

Primò igitur de mariti morte per Apoſtolum Paulum, quid debes fideliter tenere,

Chriſtiani de mortuis non debent

contristari, sicut infideles. 1. Thess. 4.

tenere, cognosce. Ait enim: *Nolumus autem vos ignorare fratres de dormientibus, ut non contristemini, sicut & cæteri qui spem non habent. Si enim credimus, quòd Iesus mortuus est, & resurrexit, ita & Deus eos qui dormierũt per Iesum adducet cum eo.* Si ergo ueræ fidei tenaces sumus, si de sermonibus Dei nihil ambigimus, si ad futuram uitam spe certissima tendimus, si dignè Deum proximumq; diligimus, si nõ ab hominibus inanem, sed à Deo ueram gloriam Christiani nominis expectamus, non debemus utiq; de fidelibus mortuis, & (ut propriè dicam) de dormientibus nostris aliquam (sicut infideles) habere tristitiam.

Tristitia duplex.

Salubris etenim noxiæq; tristitiæ debet in nostro corde manere discretio, qua fit ut nec de amissione solatij temporalis concidat animus æternis rebus deditus, & de his salubrem tristitiam sumat, in quibus se aut minus aliquid aut secus quàm oportuit fecisse considerat. Propter quod Paulus utranq; tristitiam non minus opere docet, quàm retributio-

tio-

tionem discretam. Deniq; in una salutis prouentum, in altera mortis positũ demonstrat exitium, dicens: *Quæ enim secundùm Deum est tristitia, pænitentiam in salutẽ stabilem operatur, sæculi autem tristitia mortem operatur.* 2.Cor.7.

Ne igitur ultra fidei Christianæ modum indiscretam teneas de mariti morte tristitiam, nec amissum existimes, sed præmissum, nec ipsius iuuentutem putes immaturè præcisam, quam interminabili uides æternitate firmatam Fideli quippe animæ dicitur: *Renouabitur sicut aquilæ iuuentus tua.* Psal. 103.

Absit autem ut infideliũ consentientes erroribus æstimemus aut dicamus: quia illum iuuenem Christianum: *Fideles non aufert atra dies.*

Abstulit atra dies, & funere mersit acerbo. *Virg. Aeneid. 6.*

Illos nanque atra dies aufert, qui secundùm Ioannis Apostoli dictũ, *in tenebris sunt, et in tenebris ambulãt, & nesciũt vbi ambulãt: quia tenebræ obcæcauerũt oculos eorum*. Illos abstulit atra dies, quos ipsa lux uera uehementer obiurgãs: *Hoc est aũt*, inquit, *iudiciũ: quia lux in mũdũ venit,* 1.Ioan.2. Ioan.3.

nit, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem: erant enim eorum mala opera. Tales ſunt qui uiuunt, ut cùm audierint uocem Filij Dei, non ad uitam, ſed ad iudicium ſuſcitentur, dicente Domino: *Quia veniet hora, quando omnes qui in monumentis ſunt, audient vocem eius, & procedent qui bona fecerunt in reſurrectionem vitæ, qui mala egerunt in reſurrectionem iudicij.* Et quia his nec breuis uita poteſt prodeſſe, nec longa, cõſequenter de talibus in libro Sapientiæ dicitur: *Et ſiquidem longæ vitæ erunt, in nihilum computabuntur, & ſine honore erit nouiſſima ſenectus illorum. Et ſi celeriùs defuncti fuerint, non habebunt ſpem, nec in die magnitudinis alloquutionem.*

Ioan. 5.

Sap. 3.

Dies magnitudinis eſt dies extremi iudicij.

Quæ eſt autem dies magnitudinis, niſi dies in qua non iudicandus, ſed iudicaturus ueniet Dominus. Nunc enim cùm uenit ut pro nobis iudicaretur, nõ fuit dies magnitudinis, ſed minorationis, in qua minoratus eſt paulò minus ab angelis: tunc autem erit dies magnitudinis, quando ſecundùm Ioannis atteſta-

testationem, omnes mali abscondi cupient in cauernis montiũ, dicentes montibus & petris: *Cadite super nos & abscondite nos à conspectu Patris sedentis super thronum, & ab ira agni: quoniam venit dies magnus iræ illorum, & quis poterit stare?* In hac die magnitudinis, mali non habebũt alloquutionem, sed increpationem. Non enim audient: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnũ, quod vobis paratum est à constitutione mundi?* sed dicetur eis: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & angelis eius.* Tales igitur, quantumlibet longæui moriantur, acerbo funere demerguntur, & quamuis ætas eorum matura uideatur in corpore, mortifera tamẽ mundi dilectio immaturæ mentis acerbitatẽ retentat in corde.

Apoc. 6.

Matth. 25.

Christianus autem qui in timore Dei uixerit, quacunque fuerit defunctus ætate corporis, non acerbo funere mergitur, sed placita Deo subnixus maturitate transfertur. Legimus nanq; in eodem Sapientiæ libro: *Quia senectus honorabilis*

Christianus etiam iuuenis si moriatur, non tamen mergitur funere acerbo.

Sap. 4.

lis est non diuturna, neque numero annorum computata. Cani sunt autem sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata, quæ placita Deo facta dilecta est. Denique in subsequentibus bene uiuentem quendam Deoq; placitum, ob hoc raptum celeriter dicit, ut nullam mutationem perferret malitiæ secularis, nec anima eius aliqua fuisset fictione decepta. Sic ergo dicitur: *Raptus est, ne malitia mutaret illius intellectum, aut ne fictio deciperet animam illius.* Fascinatio autẽ nugacitatis obscurat bona, & instantia concupiscentiȩ transuertit sensum sine malitia, consummatus autem in breui, repleuit tempora longa. *Placita enim erat Deo anima illius, propter hoc properauit de media iniquitate illum educere.* His nempe uerbis, sancta Scriptura nos docet in hoc sæculo Christianis fidelibus nõ uitam longam prodesse, sed bonam. Et ad cognoscendum, quãtum possibile est, cuiuslibet defuncti meritum, non quantum uixerit, sed qualiter quisq; uixerit intuendum. Sicut enim uita mala, quan-

Ibid.

Ibid.

Non quàm diu, sed quã benè.

quantò magis fuerit temporaliter prolongata, tantò magis delinquentib. multiplicat pœnam: sic in uita bona, quamuis hic breui tempore terminata, magnā sempiternamq; conquirit bene uiuentibus gloriam. Vita igitur mala immaturos acerbosq; senes demergit in Tartarum: uita uerò bona defunctos iuuenes maturos perducit ad regnum.

Non ergo sis tristis quòd te ille præcesserit diebus paucis, sed esto solicita, & sic uiam mortalis huius uitæ perage, ut ad æternam uitam ualeas peruenire. Proinde Apostolici te oportet indesinenter meminisse sermonis, quo ait: *Mulier innupta & virgo solicita est quæ sunt Domini, vt sit sancta & corpore & spiritu*. Innuptam hîc uiduam dicit, nō quia omnino nō nupserit, sed quia uiro mortuo soluta fuerit uinculo nuptiali. De qua alio loco dicit: *Si autem mortuus fuerit vir eius, soluta est à lege viri*. Hanc ergo sanctam iubet esse & corpore & spiritu. Quid autem aliud est, corpore & spiritu sanctam esse, nisi quod sanctū est,

Transit à consolatione ad statū viduarum.

Vidua sit sancta spiritu & corpore.

1. Cor. 7.

Rom. 7.

est, & in opere & in cogitatione seruare? Etenim quæ mundi sunt, illa cogitare permittitur, quæ corporali uincta connubio detinetur, eodem Apostolo dicente: *Quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro.* Illic est ergo mundanæ cogitationis subeunda necessitas, ubi mortalis caro morituro carnaliter nubit. Et quia illos ipsa carnis necessitas durioribus uinculis tenet innexos, propter hoc de illis Apostolus dicit: *Tribulationem autem carnis habebunt huiusmodi.* Mulier ergo, innupta: id est, uidua, cui præcipitur ut sit sancta & corpore & Spiritu, sicut corpore desiit marito seruire, sic non debet corde carnalia cogitare.

1. Cor. 7.

Ibid.

Sancta quidem sunt Christianorum coniugia: quia & coniugalis ibi castitas custoditur in corpore, & puritas fidei seruatur in corde. Nam & Apostolica dicit authoritas: *Honorabile connubium in omnibus & thorus immaculatus.* Non est ergo connubium ex colluuione peccati, sed institutione Dei, & in eo quod sibi con-

Sancta sunt Christianorum coniugia.

Heb. 13.

coniuges inuicem carnis debitum reddunt, inquantum id modestè faciunt, Christi pręcepta custodiunt: quia nullatenus à coniugali charitate & castitate discedunt. Execratur autem adulterinos concubitus castitas coniugalis, & honestatis uerecundiæ tenax, ab una unus, & ab uno una expetit, quod uterq; se uni tantùm legitimè debere cognoscit. Illic equidem carnis debitum redditur uiro, coniugalis autem castitas magis debetur Christo, quàm uiro: quia & corpus tũc uerę castum est, quod fornicatione carnali non polluitur, quando spiritalis integritas Christi timore ac dilectione seruatur.

Innupta in altiori gradu est quàm nupta.

Attamen à muliere nupta mulier innupta & uirgo nõ parua gradus dignitate discernitur, quando quidem nupta cogitationibus mundanis tenetur obstricta: mulier autem innupta & uirgo carnalibus tribulationibus non subijcitur: quia carnalis matrimonij uinculo non tenetur. Vbi certior est corporalis atque spiritalis continentiæ libertas:

quia nulla est ex coniugali seruitute necessitas. Vtrunque igitur donum Dei est, & cõiugalis pudicitia, & cõtinentia uidualis. Vnusquisque enim propriũ habet donum ex Deo, & illud quidem, quantum in se est, laudabile: quia bonũ: hoc autem laudabilius: quia melius. Coniugali nanque seruitute turpitudo uincitur fornicationis: uiduali uerò libertate crescit dignitas castitatis. Illic fides consulit infirmitati, ne cadat in uitium: hic se fidelis animus ad uirtutis extendit augmentum. De coniugatis enim dicitur:
1.Cor.7. *Propter fornicationes autem vnusquisque suam vxorem habeat, & vnaquæque suum virũ habeat.* De uidua uerò dicitur:
Ibid. *Beatior autem erit, si sic permanserit.* Beata ergo quæ illicitum concubitum turpitudinis horrore non appetit, sed beatior quæ licitum maiore puritatis amore cõtemnit. Beata quę alligata uiro sic uiuit, ut soli uiro carnis suæ debitum reddat; sed beatior, quæ soluta sic permanet innupta, ne debeat.

Consolatio viduæ. Proinde in eo quòd ex coniugata facta

cta es uidua, donum Dei auctum tibi magis existima, non ablatum. Neque enim te deseruit, qui tibi sequẽdam uiam uitæ melioris ostendit. Gradibus te uoluit Dominus ad meliora conscendere, ut primitus coniugata cum uno uiro fideliter uiueres, quo postmodũ sine difficultate absq; uiro uidua permaneres. Ad hoc igitur animũ tuum diuina gratia coniugali castitate nutriuit, ut quæ didiceras, illo uno uiuente, alterum non quærere, disceres ab omni uiro uidua continere. Noli ergo negligere gratiam quæ in te est. Et tu enim nosti, quanto melius sit iugiter à concubitu continere, quàm uel pro coniugali necessitate concumbere. Maritus qui tibi datus fuerat ad tempus, discessit in tempore, datus enim tibi fuerat non ad patrię beatitudinem, sed ad itineris consolationem.

Alia quippe sunt Dei dona, quę Deus ita suis largitur fidelibus in pręsenti tempore, ut eorum usus in hac tantùm uita necessarius habeatur, quo futuræ uitæ meritum comparetur, sicut est credulitas

Tria genera donorum Dei.

1. Eorũ quæ in hac tantũ uita sunt necessaria.

tas rectam uitam tenens, & operatio iustitiam misericordiamq; custodiens, ut fides recta non deseratur charitatis auxilio, quę in operatione cognoscitur, propter quod Apostolus eam fidē probat quæ per dilectionem operatur. Recta igitur fides & misericors operatio post hanc uitam desinent, cùm per speciē uidebitur, quod nūc cùm creditur nō uidetur. Nec inter beatos erit aliquis miser, cui misericordia prærogetur. Hęc autem duo: id est, fides & operatio, ita post huius uitæ finem non sunt necessaria, ut ante finem non sint ullatenus deserenda. Quisquis enim ante finem uitæ pręsentis à fide recta siue bona operatione discesserit, etiam si in his antea strenuè uigilanterq; cucurrerit, pro eo quòd ab itinere recto desistit, perdit meritum totius itineris quod cucurrit.

Gal. 5.

Item sunt alia, quæ sic hominibus in hoc tempore pietas diuina largitur, ut non solùm in hac uita cum hominibus debeant cōtinua, uerumetiam crescant in retributione diuina: sicut est peccatorum

2. Eorū quæ hîc inchoantur, in altera vita perficientur.

rum mundatio, ueritatis agnitio, Dei proximiq́ dilectio. Hæc enim siquis in hoc tempore perseueranter in se custodierit, & diuino munere proficiendo augere curauerit inchoata, in futuro habebit æterna secum perfectione mansura. Tunc enim perfecta mundatio perfectã cognitionem ueritatis accipiet, & perfecta cognitio nihil in nobis perfectæ charitatis deesse permittet.

Alia uerò sunt, quę sic à Deo tẽporaliter donantur, ut tẽporaliter auferãtur, sicut est copulatio coniugum, procreatio filiorum, abundantia diuitiarum, incolumitas corporum, & si qua similia, quę per se nec miseros homines possunt facere, nec beatos. Ideo hæc & bonis & malis à Domino dantur, & nonnunquã bonis malisq́ diuinitùs auferuntur. *3. Eorũ quæ à Deo temporaliter donãtur & auferuntur.*

Beatus fuit Iob, cùm in diuitijs iustè uiueret: sed beatior, cùm in paupertate iustior extitisset. Beatus fuit cùm decem circundaretur filijs: sed beatior, cum una cũctorum simul orbitate percussus, in Dei dilectione permansit immobilis. *Exemplum Iob.*

Beatus etiam fuit in corporis sospitate: sed beatior est factus in uulnere. Beatior etiam in aceruo squalorib. pleno, quàm in palatio marmoribus adornato. Attẽde etiam duos, unum in diuitijs & sanitate miserum, alterũ in egestate & uulnere multum beatum.

Exemplum Diuitis & Lazari. Luc. 16.

Diues ille qui induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splẽdidè, quàm inanis fuit in illis epulis, quàm pauper in multitudine diuitiarũ, quàm nudus in pulchritudine uestium, quàm infirmus in sanitate corporis, quàm famelicus in saturitate uentris, quàm miser in gaudijs, quàm desolatus inter amicorum colloquia, quàm deiectus inter obsequia seruulorum. Attende quoque Lazarum in paupertate diuitem, in miseria beatum, in infœlicitate fœlicem, in uulneribus sanum, & quidem sine domo, sed non sine domino: sine ueste, sed non sine fide: sine bona ualetudine corporis, sed non sine robore charitatis: sine cibo, sed non sine Christo: canib. expositum, sed socium angelorum, qui nõ acci-

accipiebat de micis quæ cadebãt de mẽsa diuitis, ſed cœleſtem panem uiſceribus ructabat internis.

Hæc ſunt igitur quæ nonnunquam benè habentur, nõnunquam malè: nõnunquã benè contemnuntur, nonnunquam malè. Benè quippe habẽtur, cùm in eorum uſu timor Dei ſeruatur. Benè autem contemnuntur, cùm in eorũ contemptu à ſummo Deo gloria, nõ ab hominibus quæritur. *Tertij generis dona ſunt indifferentia.*

Tales ſunt etiam nuptiæ, quæ & benè ſuſcipi poſſunt, & benè contemni. Quàm benè nuptiarum opus in caſtitate cõiugali Suſanna ſeruauit? quàm meliùs in continentia uiduali Iudith atque Anna contempſit? quàm optimè in integritate uirginali Maria inſtituit? *Tales etiam nuptiæ.*

Non eſt igitur inter præcipua Dei dona coniugiũ æſtimandum, licet non negetur donum eſſe diuinum. Nec eſt dicendũ, beatitudinis munus, quod cum bono poſsit propoſito teneri, poteſt etiã propoſito meliore cõtemni. Nam ſi hoc inter pręcipua Dei dona æſtimari oporteret, *Coniugium eſt donum Dei, non tamen præcipuum.*

teret, nō ore Saluatoris nostri laudarentur, qui seipsos castrauerunt propter regnum cœlorum, nec pro se patrem, matrē, fratres, sorores, uxorē, filios, agros, relinqui Saluator ipse cum centupla retributionis & uitæ æternæ promissione
Matth. 19. iussisset, dicens: *Omnis qui reliquerit domum vel fratres, aut sorores, aut patrē aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Hoc autem „ dicens, Christus nō diuortium fieri iussit, sed iusta discretione, quāuis Dei munera, tamen temporalia æternis, caduca permanentibus, parua magnis à suis fidelibus postponenda monstrauit. Non damnat bona, sed meliora plus laudat. Illa non odit, sed ista plus diligit. Illorum enim siue adeptio siue amissio, non est retributio fidei, sed probatio.

Fides non corporalibus, sed æternis sit intenta.

Fides autem nostra non temporalibus, sed æternis esse debet intenta. Propter quod Vas electionis ad tollerantiam nos præsentis tribulationis exhortans, præcipit, ut à contemplatione tem-

pora-

poralium rerum cordis nostri penitùs auertamus obtutum, dicens: *Id enim quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, nō contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ nō videntur. Quæ enim videntur temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna sunt.* 2. Cor. 4.

Ambula igitur sicut scriptum est, de uirtute in uirtutem, & animus tuus ab intentione temporalium ad contemplationem transeat æternorum, transiensq; à uirtute coniugalis pudicitiæ ad potiorem uirtutem continentię uidualis, non minore continentia cordis prædicata debes esse quàm corporis, & post obitum temporalis mariti, omnes in corde tuo reliquiæ debent mundanæ cogitationis extingui. *Apostrophe exhortatoria ad Gallam.*

Cur enim uidua Christiana gerat animum uinculo cuiusquam mundanæ cogitationis innexum, quæ mortuo uiro mundum debet æstimare commortuū? Causa igitur mundanę cogitationis desisten- *Vidua ne sit cogitationibus mundanis implicita.*

ſiſtente, debet ipſa quoque cogitatio mundana ceſſare. Et ſicut antea corporaliter ornabaris uiro, qui delectaretur ſpecie corporis: ita nunc ſpiritaliter ornanda es Chriſto, qui ſolam in te quærit pulchritudinem mentis.

Ornatus & habitus viduarũ qualis eſſe debeat.

1. Pet. 3.

Attende quid beatus Petrus etiã coniugatis mulieribus mandet, quibus exterioris habitus interdicit ornatum, hęc loquens: *Mulieres ſubditæ ſint viris ſuis, vt ſi qui non credunt verbo Dei, per vxorum ſuarum conuerſationem ſine verbo lucrificentur, conſiderantes veſtram in timore caſtam conuerſationem, qua inſit non extrinſecus capillorum implicatio, aut auri circumpoſitio, aut in habitu veſtimentorum ornatus, ſed ille abſconditus cordis homo incorruptibilitate quieti & modeſti Spiritus, qui eſt ante Deum locuples*. Hoc præceptum beatus Apoſtolus ſanctarum mulierum firmauit exemplo, dicens: *Sic enim & aliquando mulieres ſanctæ, quæ ſperabant in Deum, ornabant ſe, ſubiectæ viris ſuis*. Si ergo ſanctæ mulieres etiam coniugatæ, nõ ſunt mo-

Ibid.

nilibus

nilibus commendæ, ſed moribus, & eò magis humilitate debent ornari quàm ueſte: qualis debet eſſe uiduæ habitus & inceſſus, quæ non homini uiro cupit placere, ſed Chriſto? quę neceſsitate corporalis abſoluta connubij, ſpiritalia tantum debet ornamenta ſectari?

Habitus ergo talis ſit, qui nõ ad laſciuiam excitet, ſed ad continentiam prouocet: qui non inliciat ad libidinem, ſed comprimat ad timorem, qui non attendat carnis concupiſcentiam, ſed extinguat: qui nõ inlicet ad concubitum, ſed excitet ad profectum: ex quo cordis cõpunctio, carnis libido naſcatur, unde Filio Dei placeas, unde te caſtam obtutui ſpõſi cœleſtis oſtendas. Ille etenim ſponſus carnem tuam maceratam uult uidere, non nitidam. Animæ connubio utitur, nec carnis, ſed animæ pulchritudine delectatur: Quocirca caſtigatione corporis acquire pulchritudinẽ cordis. Vilibus caro tegatur operimentis, & præcioſis anima ueſtib. induatur. Nec quæras ut placeas oculis hominum, ſed ut

Chriſti

Christi non offendas aspectum. Ille in te quod diligit uideat, quod dedit inueniat, quod delectatur agnoscat. *Cōcupiuit* Psal. 45. enim *rex speciem tuam*, sed *omnis gloria filiæ regis intrinsecus.*

Officiũ viduæ adhærere Deo & instare orationibus. Transijt tempus amplectendi, nunc tempus est longè fieri ab amplexu. Adhæreant uiris quæ cōiugali uinculo tenentur astrictę. Tibi dicendũ est cũ Propheta: *Mihi autem adhærere Deo bonũ est,* Psal. 73. *ponere in Deo spem meã.* Vnde & Apostolus ait: *Quæ aũt verè vidua est & desolata, sperauit in Domino, & instat obsecrationibus & orationibus nocte & die.* 1. Tim. 5. „ Oratio ergo tibi sit in postulatione crebra, in „ sancta uerò cogitatione atq; operatione „ continua. Sic enim poteris implere quod Apostolus iubet, ut sine intermissione oremus. Oratio nanq; est in conspectu Dei omne opus bonũ, quo delectatur nihil indigens Deus. Et ut agnoscamus bona opera locũ orationis apud Deũ habere, Scriptura nos sancta sic ammonet: *Absconde eleemosynam in corde pauperis, & ipsa exorabit pro te.* Eccli. 29.

Coram Deo oratio est omne opus bonum.

Caue

Caue ne carnis curam in desiderijs facias, ne semper gulæ quod poscit indulgeas. Refectione tua non uoluptas expleatur, sed sustentetur infirmitas. Tales autem conuiuij debes habere participes: quæ non carnis solent delicias laudare, sed cordis: quæ angelorum panem interioris hominis auiditate perquirũt: quæ post sponsum tuum in odore unguentorum eius currunt: quæ suauitate Deum gustus interioris percipiunt: quę puro affectu esuriũt, sitiuntq; iustitiam: quę operantur cibum, non qui perit, sed qui permanet in uitam æternam. Cum talibus & colloquia tibi conserenda, & frequentanda cõuiuia, ut cùm eas cibis corporalibus pascis, ad meritum tibi sanctæ operationis accedat: & cum earum uerbis spiritalibus pasceris, profectus tibi sanctæ conuersationis accrescat. Nec uelis talibus nunc mensam tuam replere delicijs, qualibus eã replebas, quãdo carnali cõnubio seruiebas. Audi Magistrum gentiũ, quid de uidua dicat: *Quæ in delicijs est*, inquit, *uiuens mortua est*.

Quomodo in cibo & cõuiuijs uidua se gerere debeat.

1. Tim. 5.

Exempla imitāda proponit. Habes & in ueteri & in nouo Testamento sanctarum uiduarum, quibus ædificeris, exempla. In ueteri Testamento Iudith: Anna cōsideretur in nouo, quarum, si Domino adiuuāte, imitatrix fueris, & delicias carnis, & iactantiam sæcularem, uera cordis humilitate calcabis, ut illius in te sponsi semper uiuat affectus, qui semper est uiuus, sicut eodē resurgente uocis angelicæ attestatione firmatur, cum mulieribus dicitur: *Quid quæritis viuentem cum mortuis?* De quo etiam Apostolica sic auctoritas loquitur: *Viuus est enim sermo Dei & efficax.* Viuus est ergo ille qui est uerbum Patris, & ideo ipse est fidelium uita. Hunc sanctæ uiduæ cordis contritione, & corporis castigatione quæsierunt: huic cordis & corporis plena continentia deuotissimē seruierunt. *Luc. 24.* *Hebr. 4.*

Iudith. De Iudith enim scriptum est: *Et erat Iudith in domo sua vidua annis tribus & mensibus quatuor, & fecit sibi tabernaculum super solarium domus suæ & imposuit super lumbos suos cilicium, & erant super* *Iud. 8.*

eam

eam vestimenta viduitatis suæ & ieiunabat Iudith omnibus diebus viduitatis suæ. Ac ne quis illam sanctam uiduam non deuotione cordis, sed necessitate paupertatis existimet ieiunasse, audi quid de ea in subsequentib. dicitur: *Et erat Iudith bona aspectu, & formosa facie valde, & prudens corde, & bona intellectu, & erat honesta valde. Quia reliquerat ei Manasses, vir eius, filius Achitob, filij Melchis, filij Heliab, filij Nathanaël, filij Surisada, filij Simeon, filij Israël, aurum & argentum, seruos & ancillas, & pecora & prædia.* Ecce uidua præclara natalibus, facultatibus diues, ætate iuuenis, specie mirabilis, diuitias contempsit, delicias respuit, carnis incentiua calcauit, & induta uirtute ex alto non quęsiuit secundo famulari connubio. Propterea testimonio tā præclari operis apparuit, quātum Deo dilecta sit continentia uidualis. Deniq; cùm Olofernes innumero Bethuliam obsedisset exercitu, & omnis Israëlitarū uirtus perturbata languesceret, egreditur castitas, oppugnatura lasciuiam, Ibid.

& ad interitum superbię, humilitas sancta procedit. Ille pugnabat armis, ista ieiunijs. Ille ebrietate, ista oratione. Igitur quod omnis Israëlitarum populus facere nō potuit, sancta uidua castitatis uirtute perfecit. Obtruncauit una mulier tanti agminis ducem, & insperatā Dei populo reddidit libertatem.

Anna Prophetissa. Videamus & in nouo Testamento, qualiter nobis sanctæ Annæ conuersatio demonstretur, de qua sanctus Lucas sic refert: *& erat Anna prophetissa, filia Phanuel de tribu Asser, & hæc processerat in diebus multis, & vixerat cum viro suo annis septem à virginitate sua. Et hæc vidua vsque ad annos octuaginta quatuor, quæ non discedebat de templo, ieiunijs & obsecrationibus seruiens nocte & die.* *Luc. 2.*

Comparatio Judithæ & Annæ. Istæ duæ uiduæ, licet tempore fuerint diuerso, unius tamen fidei seruierūt ambæ mysterio. Quia Christum quem Anna cognouit in carne natum, ipsum Iudith nouerat nasciturum. Quàm uerò multum Deus in utraque uidua continentiam sibi placitam demonstrauit? Nam

Nam Iudith ſpiritalib. armis accincta, caput laſciui prædonis abſcidit: Anna uerò ipſum caput Eccleſiæ Spiritu ſancto repleta cognouit. Datus eſt Iudith Olofernis interitus: Annæ reuelatus eſt Saluatoris aduentus. Illi Deus dedit à populo repellere peſtilentiam: huic tribuit humani generis agnoſcere medicinam. Et quia ſanctimoniam uirginalem uidualis continentia gradu inferiore ſubſequitur, idcirco poſtquam de Virgine natus eſt Filius Dei uidualis linguæ dignatus eſt officio prædicari. Nec tamen de illo loquuta eſt uidua delicijs dedita (quæ uiuens mortua) ſed quę non diſcedebat de templo, ieiunijs & obſecrationibus ſeruiens nocte & die.

De quibus ieiunijs & obſecrationib. non eſt nunc latiùs differẽdi locus. Diſponimus enim, ſi Dominus uoluerit, & ſi uixerimus, ad ſororem tuam, ſanctam Chriſti Virginem Probam, quam Dominus hoc tempore pręcipuum in urbe Roma dare dignatus eſt uirginitatis & humilitatis exemplar, de ieiunio &

Diſſertationẽ de ieiunio et oratione in alium locũ reijcit.

oratione aliquid ſcribere, ſicut in Epiſtola quam ad eam nuper dedi, mea pollicitatio continetur, cuius tibi præcipuè ſancta conuerſatio eſt in omnibus imitanda. Quæ cùm ſit auis, atauisq; nata consulibus, & delicijs regalibus enutrita, tanta illi eſt humilitas dono gratiæ cœleſtis infuſa, ut amore ſubiectionis & uſu ſeruiendi Dominam ſe aliquando fuiſſe iam neſciat, cùm omnes dominos habere delectatione ſanctę ſeruitutis affectat. Scit enim à Domino (cui uirginitatem uouit & cordis & corporis) pro liberatione noſtra humilitatem formæ ſeruilis acceptam. Et ob hoc delectatur ſpōſo in huius ſeruitutis humilitate placere, ut conſortio quinq; ſapientum uirginum deputata, cum ſponſo poſsit in æterna claritate regnare. Delicias uerò corporis quanta uirtute contempſerit, & quomodo ſuam famem ſatiandis faciat deſeruire pauperibus, nec ob aliud ipſa uilibus tegatur indumentis, niſi ut & humilitatis propoſitum impleat & ueſtiendis pauperibus iugem curā ſan-

Laudes Probæ quæ erat ſoror Gallæ.

ctæ

ctæ pietatis impendat, plenius ipsa uidendo cognoscis, quã id à me uelis audire, quod minus possum sermonibus explicare.

Hanc ergo tibi tanquam speculũ pone, & ex ipsius consideratione, quid tibi iam insit, uel quid adhuc desit, sanctorum studiorum operumq; cognosce. Et licet illa egregio præcellat uirginitatis munere, comitem te debet in cæteris habere uirtutibus. Disce igitur tu quoque nihil tibi nobilitate generis asignare: & licet auo patre, socero, marito consulibus pridem fueris inter seculares illustris, nunc in eo te illustrem fieri cognoscere, in quo tibi uirtus humilitatis accrescit. Disce à Domino, quia mitis & humilis corde, & inuenies requiem animæ tuæ: Nobilitatem carnis, quę superbiæ fomes est, abijce, & nobilitatem Spiritus perfecta cordis humilitate sectare.

Hortatur Gallam ad imitationem sororis.

Gallæ nobilitas.

Matt. 11.

Orationibus operam da; ieiunijs insta, & quicquid tuis apparatibus subtrahis esurientib. tribue, & quicqd tibi deducis, egenis expende. Voluntarium ieiu-

Homo sibi superuacanea in uictu & amictu subtrahat: ut eo liberalior possit esse erga pauperes.

ieiunium tuum, esuriem subleuet ieiunantium, ut in fructu misericordiæ tuorum posſit ieiuniorum fœcunditas apparere. Proſit etiam tibi uilitas ueſtium: & pauperũ per te nuditas ueſtiatur. Tũc enim utiliter fugies noxium precioſæ ueſtis ornatum, ſi nudos ueſtias, ut uerè conſortem te pauperum Chriſti, nõ inanitate uerborum, nec oſtentatione fallaci, ſed teſtimonio ſanctæ operationis edoceas.

Fugienda iactantia in operibus bonis.

Nec te illis, quos paſcis aut ueſtis, ſuperiorem credas, aut pro eo quod tu tribuis & illi accipiunt, merita tua Chriſti pauperib. anteponas, tanquam tu ideo potior ſis, quod plura cõtempſeris. Fruſtra enim contemnis facultates tuas, ſi noxias iactantiæ teneas in corde diuitias. Non enim illi ſoli peccant, qui pro diuitijs quas habent aliquam geſtant in corde iactantiam, imò grauius delinquunt, qui uolunt iactantiam cordis de diuitijs habere contemptis, aut qui ſe propterea uolunt pauperibus præponere, eo quod plura uidentur pauperib. erogare.

erogare. Nō autem idem ordo eſt apud "
Deum, qui non quantitatem cōtemptæ "
facultatis, ſed qualitatem uoluntatis at- "
tendit. Plures diuitias pauperib. ꝑ Chri "
ſto dicitꝰ expendiſſe Zachæus, pro quo
uiliſsima piſcatoriȩ artis inſtrumēta Petrus reliquit Apoſtolus, & tamē à Chriſto non Zachæus diues pauperi Petro, ſed pauper Petrus diuiti Zachæo præponitur, ut diuitibus Chriſti nulla de contemptis diuitijs iactantia naſceretur.

Abſit autē ut aliquid tibi theſaurizes in terra in qua non es carnis filios relictura, cùm etiam illi qui ex carne filios habent, non ſine peccato theſaurizare ſibi delectētur in ſȩculo. Cunctos enim fideles unà Saluator noſter dignatꝰ ammonere ſermone, dicens: *Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra, vbi ærugo & tinea exterminat, & vbi fures effodiūt & furantur. Theſaurizate autem vobis in cœlo, vbi neque ærugo neque tinea extermi nat, & vbi fures non effodiunt nec furantur.* Multum metuenda eſt illa increpa-

Non theſaurizandum in terra: ſed in cœlo.

Matt. 6.

tio Domini, quam ſtultus diues illico moriturus, audiuit: *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te, quæ autem paraſti cuius erunt?* Omnes ergo diuitias tuas ad Chriſtum præmitte, in cœlo tibi theſaurum reconde, quem perdere non poſsis, & in æternum ualeas poſsidere.

Luc. 12.

Fugienda laus hominũ, ut Deus laudetur in nobis.

In omnibus autem operibus bonis caue ne laudis humanæ deſiderio uentileris: laudari quippe in bonis operibus debes, ſed in eo quod operaris, hominum laudes expectare non debes. Laudet te quidẽ humana lingua, ſed tu laudem à ſolo Deo deſidera. Atque ita fiet, ut dum tu laudem ab hominibus non quęſieris, Deus laudetur in operib. tuis. Memento qualiter nobis Dominus interdicat, ne iuſtitiam noſtram laudis humanæ faciamus obtentu, dicens: *Attendite, ne faciatis iuſtitiam veſtram coram hominibus vt videamini ab eis. Alioquin mercedem non habebitis apud Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt.* Veruntamen ipſe rurſus ait: *Luceat lux veſtra coram hominibus vt videntes veſtra bona opera glori-*

Matt. 6.

Matt. 5.

ficent

ficent Patrem vestrum qui in cœlis est. Cũ ergo dicit, ut Attendamus, ne faciamus iustitiam nostram coram hominibus ut uideamur ab eis: & iterum iubet, ut lux nostra luceat coram hominibus, nunquid contraria præcepit? Absit: sed sic iubet opera bona fieri, ut non nosipsos, sed Deum, uelimus in nostra operatione laudari. Nam & Apostolus in suis operibus gloriam humanam uitabat, sed diuinam gloriam quærebat. Propter quod dicit Thessalonicensibus scribẽs: *Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis, neque in occasione auaritiæ, Deus testis est. Nec quærentes ab hominibus gloriam, neq; à vobis, neq; ab alijs.* Et tamen idem in suæ conuersationis auditu Deũ ab Ecclesijs glorificatũ, cũ exultatione sic memorat: *Erã aliquãdo ignotus facie Ecclesijs Iudeæ, quæ erant in Christo: tantum autẽ auditũ habebant, qui persequebatur nos aliquãdo, nũc euangelizat fidẽ, quã aliquando expugnabat, et in me glorificabãt Deũ.* Proinde manus qdẽ ab opere bono nõ desinat, nec tamẽ

Antilogia apparens.

1. Thess. 2.

Gal. 1.

animus

animus ita operetur, ut merces boni operis humanæ laudis intentione cassetur: Apostolus enim, sicut ipse testatur, uult ut simus *synceri & sine offensa in diē Christi, repleti fructu iustitiæ, per Iesum Christum, in gloriam & laudem Dei.*

Philipp. 1.

Bonum op9 non propriæ uirtuti, sed gratiæ Dei acceptum referendum.

In studio ergo bonorum operum, & laudis humanæ contemptu, caue ne bonum quod facis, non gratiæ Dei, sed tuę uelis asśignare uirtuti: imò firmiter tene, nullam tibi facultatem inesse posse uolūtatis aut operis, nisi id gratuito munere diuinæ miserationis acceperis. Scito ergo Deum in te operari & uelle & perficere pro bona uoluntate. Proinde cum timore & tremore tuam salutem operare. Humiliare in conspectu Domini, exaltet te. Ab illo posce uolūtatis exordium, ab ipso postula bonæ operationis effectum, ab ipso perseuerantiæ donum pete. Nec aliquando te putes, illius adiutorio desistente, aliquid posse boni uelle seu facere. Illū roga, ut auertat oculos tuos, ne uideant uanitatem. Ipsum postula, ut demonstret tibi uiam

in qua ambules. Ipsum obsecra, ut gressus tuos dirigat secundũ uerbum suũ, & non dominetur tibi omnis iniquitas. Illum ora, ut opera manuum tuarum dirigat super te. *Viriliter* ergo *age, & confortetur cor tuum.* Psal. 26. *Iacta in Deum cogitationem tuam, & ipse te enutriet.* Psal. 55.

Non diffidẽdum de auxilio Dei.

Nec quia dixi, nihil te debere propriẹ asignare uirtuti, ideo tibi est de diuina uirtute ac pietate in aliquo diffidendũ. *Fidelis est* enim *Deus in verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis.* Psal. 145. Nec tibi auxilium denegat in hoc seculo, nec præmium subtrahet in futuro. Qui tibi demonstrauit rectam uiam, & ipse tibi deductor ad patriam. Spera ergo in Domino, & fac bonitatem, nec te putes posse deficere, si te ille dignatus fuerit custodire. Scriptum est enim: *Quis sperauit in Domino, & confusus est? Aut quis permansit in mandatis eius, & derelictus est? Aut quis inuocauit, & despexit illum?* Eccl. 2. Ne igitur amittas confidentiam tuã, quæ magnam habet remunerationem. Esto stabilis, & immobilis, sciens, quòd labor

tuus

tuus non erit inanis in Domino. Potiora semper appete, & animum tuum ad incrementa uirtutis extēde. Nunquam cesses à diuinis eloquijs, & totam delectationem cordis tui Scripturis sanctis indulge. Nō tenearis nexibus humanæ delectationis, & de Diabolo prosperè triumphabis.

Delectatio in sacris literis quærēda.

Et ut sanctæ Scripturę testimonio atque admonitione præsens tibi terminetur Epistola, cunctis quæ superiùs dicta sunt hoc quoque subnectam: *In mansuetudine opera tua perfice, et super omnium gloria diligeris.* Quantò magis magna es, humilia te in omnibus coram Deo inuenies gratiam. Dominus te in uia uirtutis suæ dirigat, & ad regni cœlestis promissa perducat, Domina illustris filia.


Conclusio: constans exhortatione ad humilitatem.

Eccl. 3.

BEA-

BEATI FVLGENTII DE VIRGINITATE SIMVL ATQVE HVmilitate, AD PROBAM:

EPISTOLA III.



Piritali desiderio atq; instituto tuo, Sancta famula Dei Proba, quantum congratuler atq; congaudeam, uellem competenter uerbis exprimere, si pari modo cogitationem loquutio posset ęquare. Neq; enim parui propositi debet indicium æstimari, quod cùm te constet (illo in te operante à quo est omne datum optimum & omne donum perfectum) spiritalibus uirtutibus præditam, arbitraris te tanquã expertem de uirtutibus ammonẽdam. Hoc itaq; studium, quo me sancto fratre nostro, Tuto scilicet, Dei seruo scriptis frequentibus insistente, uehementer instigas, ut tibi exhibeam sermonem de Virginitate atque Humilitate aliquid

Congratulatur Probæ, de sancto eius studio.

Iacob. 1.

aliquid continentem, in Deo in quo lau danda eſt anima tua, multum laudo: ſed quantum laudare debeo, laudare non ualeo.

Non poſſe ſe denegare Probæ, quod petierat.

Et quantum me huic deſiderio dignè laudando imparem cerno, tanto magis in te Deũ, ſeu dura negatiône, ſiue diuturna dilatione offendere timeo. Quippe Chriſtus offenditur, ſeu quando debita ſeruitus membris ipſius denegatur: cũ non ob aliud ipſe uoluerit malè quondã liberos à peccati ſeruitio liberare, niſi ut nos doceret nobis inuicem libera charitate ſeruire.

Seruitus peccato noxia, Deo bona.

Quos enim compreſſos inuenit iugo ſeruilis ac peſsimæ libertatis, ſubleuauit dono liberalis atq; optimæ ſeruitutis. Illius deniq; noxiæ libertatis, in qua magis libet peccato ſeruire quàm Deo, Apoſtolico nobis intimatam tenemus ſermone lætitiam. Dicit nanq; : *Cùm enim ſerui eſſetis peccati, liberi fuiſtis iuſtitiæ.* Et adijciens, ait: *Quem ergo fructum habuiſtis tunc, in quibus nunc erubeſcitis? Nam finis illorum mors eſt.* Illam quoq; ſeruitu-

Rom. 6.

tem,

tem, quam liberati accepimus, ut liberatori Deo liberaliter seruiremus, in subsequentibus eiusdem doctrinę sermonibus inuenimus, cùm dicit: *Nunc autem liberati à peccato, serui autem facti Deo habetis fructum vestrum in sanctificatione: finem verò vitam æternã.* Ecce quò ducit ac pducit hæc sancta seruitus? in qua ueræ libertatis est munus: ad uitam scilicet æternã, in qua semper uiuitur, semperq́ regnatur: In qua nemo tamen hominũ uiuet, nisi qui mortificatur huic mũdo: in qua nemo regnabit, nisi qui humilis perseueret in Deo. Illa nanq; uita huic mortificationi promittitur, & illa celsitudo huic humilitati seruatur. *Ibid.*

Ipsi humilitati, quam scilicet efficaciter sectaris, & in qua sanctam uirginitatem, Deo custodiẽte, custodis, me quoque deuotè libenterq́ seruire compellis. Et ego quidem, Sancta filia, in quantum me charitas Dei, quæ diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum qui datus est nobis, tàm delectabiliter quàm liberaliter seruire Christi mẽbris

Se Probæ humilitate cõpelli: charitate insita instigari ad seruiendũ ipsi.

Mēbra Christi sibi inuicē seruire debent.

instigat, uolo, quod iniunxisti, cōpetenter implere, sciens illū uerè Christo seruire, qui per illā charitatē Christi membris seruit, per quā ut eiusdē Christi membrū fieret, prior ꝓ eo Christus ipse seruiuit. Propter quod Apostolus, ut ad libertatem perueniamus æternam, seruitutem liberam inuicem Christi membris imperat exhibendā, dicens: *Vos enim in libertatem vocati estis fratres tantum, ne libertatem in occasionē carnis detis, sed per charitatem seruite inuicem.*

Gal. 5.

Virium autē suarum imbecillitate et rei magnitudine se deterreri.

Quanto magis igitur reddere, quod exigis huius seruitutis præcepta compellor, tanto magis uirium mearum cōsideratione deterreor. Est enim talis utriusq; uirtutis copula, de qua mihi est aliquid, in quantum Deus donauerit, disputandū ut in præsenti uita ipsi sit omnium perfectio culmenq; uirtutum. Quia nec in corpore est aliquid integritate melius, nec in anima est aliquid fideli humilitate sublimius.

Confidere tamen se in diuino auxilio.

Est mihi tamen confidentia diuinæ opitulationis, in eo quòd adiuuor orationibus

tionibus uestris. Ob hoc enim Deus sancti desiderij feruorem filijs filiabusque suis inspirat, ut cùm à conseruis suis spiritale debitum flagitant, ipsi quoque pro eis orare Dominum non quiescant: atque, ita mutuæ charitatis officio sic debitum, quod sic debetur, exigant, ut debitoribus quod exigunt, reddant.

Nemo est enim fidelium, qui sic sibi charitatem flagitet reddi ut ipse nõ illã suo debeat reddere debitori. Quæ licet in diuersis donationibus, secundũ gratiam quæ data est nobis, differentibus, diuerso reddi uideatur effectu, in adiutorio tamen mutuæ orationis omnes facit unius debiti participes, in qua facit singulos omnibus debitores. Vide qualiter ille, qui se debitorem sapientibus, & insipientibus profitetur, debitum orationis & cunctis reddat & ab omnib. exigat. Romanis ait, reddens hoc dabit: *Testis enim est Deus, cui seruio in spiritu meo, in Euãgelio Filij eius, quod sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis.* Sed huius debiti cu-

Debitũ mutuæ Charitatis et orationis.

Rom. 1.

ius eſt deuotus redditor, uide quã ſit auarus exactor, iiſdem denuo ait: *Obſecro igitur vos fratres per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & per charitatem Spiritus, vt adiuuetis me in orationibus pro me ad Dominũ.* In hoc debito quod exigitis à nobis & redditis nobis adiuuari me non dubito: ut Deus, qui operatur in ſuis & uelle & perficere, pro bona uolũtate ipſe donet quod dignè cogitem, dignè dicam.

Rom. 15.

Phil. 2.

Sufficientia noſtra ex Deo.

In bonis enim cogitationib. non ſumus idonei cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. Et ob hoc non deficimus indigentia: quia gratuito munere ab illo ſufficientia noſtra eſt, in quo indigentia ulla non eſt. Qui ſicut bonorum noſtrorum non eget, ſic ſemper abundat ut donet. Nec donando fit indigus: quia hoc donat quo ſemper eſt plenus. Nec eſt quod illi à nobis afferatur cogitationis, ſermonis, aut operis placitum munus, quod ipſe non fuerit gratuita benignitate largitus.

Idcirco autē gratuita semper est Dei sancta largitio, quia humanorum meritorum nulla unquam præcedit exactio. Quia etsi quod est bonū cuiuslibet hominis meritū, ab ipso est utiq;, à quo est omne datum optimum, & omne donū perfectum: quod nec habere potest homo nisi ab ipso fuerit datum nec perseueranter habere, nisi fuerit ipso custode seruatum. Ab ipso igitur posco reddi huius debiti facultatem, à quo reddendi uoluntatem accepi. Neq; enim uel reddere aliquatenus, uellem, nisi misericors ipse donaret ut uellem.

Dei dona sunt gratuita.

Iac. 1.

Si quid itaq; in hoc opere dixero qđ placeat & sufficiat, uel si non sufficiat saltē placeat sancto desiderio tuo, non est meæ indigentiæ, sed diuinæ sufficiētiæ. Si quid uerò forsitan ita dixero, ut nec sufficere tuo sancto posit desiderio, nec placere, non est sufficientiæ diuinæ, sed indigētiæ meę. Proinde Christiana charitas utrobiq; operis sui patres exhibeat & sufficientiā Dei humiliter agnoscat, & indigentiæ seruili patienter ignoscat.

Modestia authoris.

Commendatur uirginitas 1. ab authore.
Ps. 115.

Virginem ſacram te ſibi munere gratuito fecit, *qui omnia quæcunque uoluit fecit*, à quo ideo gratia nullis præcedentibus meritis datur, illi ſemper gratiarum actio pura cordis humilitate reddatur. Hic eſt autem unigenitus Dei Filius, unigenitus etiam uirginis Filius, unus omnium ſacrarum uirginum ſponſus, ſanctæ uirginitatis fructus decus & munus, quem corporaliter ſancta uirginitas peperit, cui ſpiritaliter ſancta uirginitas nubit, à quo ſancta uirginitas fœcundatur, ut perſeueret intacta: à quo decoratur, ut permaneat pulchra: à quo coronatur, ut regnet perenniter glorioſa. Quapropter bonũ depoſitũ cuſtodi, & meritũ tanti boni, qđ ut haberes, Deus dedit, & ut Deo uoueres, ipſe fecit, ex nominis ipſius ſignificatione perpēde.

Virginis Filius uirginitatis author & ſponſus.

2. Ab ethymo uocis.

Tam magnum quippe Deus uoluit eſſe bonum uirginitatis, ut illud non aliunde, ſed ex uocabulo dignaretur nominare uirtutis. Virginis itaque ſi quis uelit diligenter conſiderare uocabulum, ex uirtutis inueniet nomine deriuatum,

riuatum. Virgo enim dicitur, quasi uirago. Viraginem uerò Scriptura sancta non ob aliud uocatam dicit, nisi quia de uiro sumpta est. Hoc autem à Sancto Hieronymo secundùm Hebraicam proprietatem libri Geneseos docet expressa translatio, in qua sic habetur: *Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam, cumque obdormisset, tulit vnam de costis eius, & repleuit carnem pro ea, & ædificauit Dominus Deus costam quam tulerat de Adam in mulierem, & adduxit eam ad Adam, dixitq́; Adam: Hoc nunc os ex oßibus meis, & caro de carne mea. Hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est.* Itaque cùm in uirginis nomen ex nomine uiri descenderit, quis dubitet quòd uir à uirtute uocatus sit?

Virgo à uirago.

Gen. 2.

Et quia sicut Paulus docet, illa omnia in figura facta sunt nostri, profectò in illa uirgine quæ ex uiri fiebat costa, futura iã tunc præfigurabatur Ecclesia, quæ uerè de uiro sumpta, & de quo sumpta illi coniuncta, inde habet in ue-

Eua Ecclesiæ typus.

ritate uirtutem, unde habet uerum uirginis nomen. Propter quod hanc uirginem: id est, uirginem, quę de uiro sumpta est, non solùm uirginis, sed etiam uiri nomine Paulus non dubitat appellare. Ait enim fidelibus: *Despondi enim vos vni viro virginem castam exhibere Christo.* Christus est quippe uir de quo hæc uirgo sumpta est. Ipsis denuo fidelibus Apostolus dicit: *Donec occurramus omnes in vnitatē fidei & agnitionis Filij Dei in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Per sanctum quoq; Dauid tā uiris quàm mulieribus in communione spiritalis huiuscemodi ꝓmulgatur hortatio: *Viriliter agite, & confortetur cor vestrum, qui speratis in Domino.*

Ecclesia ab Apostolo & uirgo & uir dicitur.

2. Cor. 11.

Eph. 4.

Ps. 26.

Typicè itaque à uiro dicitur uirginis uocabulum: quia nomen à Christo dicitur Christianum. Christus enim Dei uirtus est & Dei sapientia, ex quo est Ecclesia, quę uirgo in fide & charitate persistens, & sapientiam posſidet & uirtutem. Ideo nec seductione decipitur, nec uiolentia uincitur: quia internæ uirginitatis

Vt à uiro, uirgo: ita à Christo, Christiana Ecclesia.

nitatis integritate fulcitur. Huic Virgini Esaias dicit: *Quoniam complacuit Domino in te, & terra tua inhabitabitur. Habitabit enim iuuenis cum Virgine, & habitabunt in te filij tui.* Et ut ostenderet nõ alium esse iuuenem quàm sponsum, nec aliam esse Virginem quàm sponsam: sponsum autem & sponsam Christum & Ecclesiam, sequutus adiunxit: *Et gaudebit sponsus super sponsam. Et gaudebit super te Deus tuus.* Hæc Virgo mater est, cui dicitur: *Habitabunt in te Filij tui.* Et hæc mater Virgo est, de qua dicitur: *Habitauit enim iuuenis cum Virgine.* Hæc Virgo sponsa est, de qua dicitur: *Et gaudebit super sponsam suam.* Hæc igitur Ecclesia una & uera catholica Sponsa est, quia inhæret Christo: Mater est, quia fœcundatur à Christo: Virgo est, quia incorrupta perseuerat in Christo. Huius spõsę nec fœcũditate uirginitas corrũpitur, nec uirginitate fœcunditas impeditur. Tale nanq; istius est uiri uirginisq; connubium, ut idcirco ab hoc uiro fœcundetur hęc uirgo: quia in hoc connu-

Esa. 62.

Ecclesia est sponsa, mater & uirgo.

Ibid.

bio nulla unquam poteſt eſſe corruptio. Et tanta in hac matre uirginitatis perſeuerat integritas, ut niſi uirgo ſemper eſſet, mater eſſe nõ poſſet. Iſtius matris ac uirginis nomen nouum ita pronunciat

Ibid. Eſaias: *Et vocabitur tibi nomen nouum quod os Domini nominauit.* Ergo quia Chriſtus uirtus eſt, ſicut Eccleſia uocabulum uirginis à uirtute ſumpſit, ſic à Chriſto Chriſtianum nomen accepit.

5. A' gratia donationis, quæ maior ſit in uirginibus, quàm in alijs.

Quæ cũ in diuerſis membris ſuis habeat donationes ſecundùm gratiã quæ data eſt ei differenter, maiorem tamen gratiã donationis in illis membris accepit, in quib. ſpiritaliter uirgo dicitur, ut etiã corporeę uirginitatis integritate potiatur. Nam in cæteris fidelib. membris, quæ in Deum ſecundùm fidei catholicę regulam rectè credunt, & pudicitiam coniugalẽ uidualémue cuſtodiunt, quę ſcilicet nec actualis ſunt fornicationis colluuione reſperſa, & ab omni ſtupro manent infidelitatis immunia, ſpiritali tantũ uirginitate potitur Eccleſia: in his uerò membris in quibus ſic fidem cuſto

dit

dit rectam, ut etiam carnem ab omni cō cubitu reseruet intactam, quanto pleniorem habet uirginitatem, tanto plenius & perfectius eiusdem uirginitatis possidet nomē. In illa quippe nihil minus habet ad uitam: in hac autem amplius aliquid acquirit ad gloriā. Quia sicut Paulus ait: *Alia est gloria Solis, & alia gloria Lunæ, & alia gloria stellarum: stella enim à stella differt in gloria. Sic & resurrectio mortuorum.* Deniq; sub spadonum nomine, quos etiam in Euangelio propter regnum cœlorum seipsos castrasse Saluator affirmat, meliorem locū in domo sua, & in muro suo Dominus per Esaiā uirginibus repromittit: Sic enim scriptū est: *Hæc dicit Dominus spadonibus: Quicunq; custodierint præcepta mea, & elegerint quæ ego volo, & amplectuntur testamentum meum, dabo illis in domo mea & in muro meo locum nominatum meliorem filiorum & filiarum, nomen electum dabo illis, & non deficiet.* In Apocalypsi quoque Sancti Iohannis illi sunt qui sequuntur agnum quocunq; ierit, qui uirgines

Virginū maior gloria.

1. Cor. 15.

Spadonibus melior locus in domo Dei promittitur.

Esa. 56.

Apoc. 14.

gines permanserũt. Claret itaq; inter ceteras Ecclesiæ donationes, illius præcipuum munus spiritalis esse charismatis, ubi uirtus ipsa integritatis perfecto meretur uocabulo censeri uirtutis. Quãuis enim sit prophetia secundùm rationem fidei, siue ministerium in ministrãdo, siue qui docet in doctrina, qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in simplicitate, qui præest in solicitudine: hæc dona diuersa proprijs inueniuntur appellari nominib. Integritas autem carnis Deo fideliter consecrata, & in cordis uirginitate, Deo iuuante & protegente, seruata, idcirco propriè uirginitas dicitur, ut ibi perfectio uere uirtutis inesse mõstretur. Melior est igitur ceteris actualib. donis intemerata sanctitas uirginalis, quæ diuini gratia muneris uirtute uidet originem uocabuli trahere, ut ex ipso nomine semper se ammoneri cognoscat, ea quæ uirtutis sunt debere seruare.

4. à comparatione cœlibis, coniugalisq; uitæ.

Vnde non immeritò Doctor gẽtium ad uas electionis cœlibem cõiugalemque uitam tali definitione discernit, ut istam

istam solicitam, quæ Dei sunt, in sanctificationẽ corporis & spiritus Deo placere, illam uerò mundanis cogitationibus deditam placendi uiro studium gestare confirmet: *Qui sine vxore est*, inquiens, *solicitus est, quæ Dei sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cũ vxore est, solicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est. Et mulier innupta & virgo cogitat, quæ sunt Domini, vt sit sancta corpore & spiritu: quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro.* 1.Cor.7.

Veruntamen hoc Apostolus dicens, non sic ascripsit uirginibus sanctitatem corporis & spiritus, ut illam uel cõiugatis demeret, uel uiduis abnegaret, præcipuè, qui superiori loco eiusdẽ Epistolæ fideliũ corpora membra Christi & templũ appellet Spiritus sancti. Dicit enim: *Nescitis quia corpora vestra membra Christi sunt?* Et paulò pòst: *An nescitis, quia membra vestra templum est Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo, & non estis vestri? Empti enim estis precio magno.* 1.Cor.6.

Sanctitas nõ ita ascribitur uirginibus, ut coniugatis denegẽtur.

gno. *Glorificate & portate Deũ in corpore vestro.* Et ut se coniugatis quoq; scribere demõstraret, cõtinuò subiunxit: *De qui-*
1.Cor.7. *bus autem scripsistis: Bonum est homini mulierem non tangere: propter fornicationes autem vnusquisq; suam vxorem habeat, & vnaquæq; suum virum habeat.* In Epistola quoque ad Ephesios coniugatis utique loquebatur, quibus dicebat: *Viri diligite vxores vestras, sicut & Christus di-*
Eph.4. *lexit Ecclesiam.* Et paulò pòst: *Qui suam vxorem diligit, seipsum diligit. Nemo enim vnquam carnem suam odio habuit, sed nutrit & fouet eam, sicut & Christus Ecclesiam: quia membra sumus corporis de carne eius, & de ossibus eius.* Petrus quoque Apostolus coniugatas fideles sanctas non ambigat appellare, dicens:
1.Pet.3. *Sic enim aliquando mulieres sanctæ sperantes in Deo ornabant se, subiectæ viris suis sicut Sara obsequebatur Abrahæ, Dominum eum vocans.* Non ergo Apostolus Paulus à sanctificatione corporis & spiritus fideles coniugatas separat, sed hoc eas cogitare dicit, ubi earum cogitatio-

tationē amplius teneri cognoscit. Quis enim nesciat sanctam uirginum cogitationem magis ad spiritalia recurrere, & sanctarum coniugatarum cogitationē magis coniugali necessitati seruire?

Scimus ergo nuptias non esse peccatum, sed Dei opus & Dei donū, quas ipse Dominus connexuit fidei uinculo, gratificauit benedictionis dono, multiplicauit propagationis augmento. Nouimus honorabile cōnubium in omnibus, & thorū immaculatum, nouimus à Deo non coniugia, sed fornicationes & adulteria iudicāda. *Fornicatores enim & adulteros iudicabit Deus.* Fatemur enim à Deo, esse nuptiarum fidem, cōiugum charitatem, naturę fœcunditatem. Sed quia unusquisq; propriū habet donū à Deo, alius quidem sic, alius aūt sic: nos quoq; sic utriusq; doni gradū discernimus, ut utrunque donum à Deo tribui fidelibus non negemus. Non igitur inferius donum Dei deuocamus in culpam, cùm potioris doni pręferimus gratiā: nec cùm primum pudicitiæ donum præpo-

Nuptiæ sunt donum Dei.

Heb. 13.

Sed inter dona Dei discernendum.

præponimus, ſecundũ tertiumúe damnamus, nec in eo quod integritatis uirginalis agnoſcimus culmen, pudicitiæ coniugalis aſſerimus crimen: neq; ſic uirginitatem frumentis adſcribimus, ut cõiugium inter zizaniã deputemus. Non eſt cõiugium nocturni ſeminis fructus: quia hoc in agro dominico nõ ſator inuidus ſuper ſeminauit, ſed Dominus bonus inſtituit.

Quomodo & quantum uirginitas nuptijs præſtet.

Veruntamen utriuſq; rei cõgrua diſcretionẽ momenta penſantes, tantũ dicimus à ſanctis nuptijs, ubi nubunt qui ſe continere nõ poſſunt ſanctam uirginitatem merito potiore diſtare, quantum diſtant à bonis meliora, ab humilibus celſa, à terrenis cœleſtia, à beatis beatiora, à ſanctis ſanctiora, à mundis mundiora, à mortali connubio immortale connubium, à carne ſpiritus, ab infirmitate uirtus, à fœtu trãſititiæ prolis permanſuri germinis fructus, à tribulatione ſecuritas, à perturbatione tranquillitas, à bono quod eſt cum anguſtia momentaneum, melius quod eſt cũ lætitia

ſempi-

ſempiternum. Nec dubitamus dicere, tantũ à ſancta uirginitate carnis & ſpiritus, fidelium coniugatorũ (licet à Deo conceſſum) infirmæ mortaliſq; carnis huius diſtare concubitum, quantum ſimilitudo pecorum ab imitatione diſcernitur angelorum. In uno quippe ad terrã ſpiritus, terrena carnis uoluptate deprimitur: in altero autem terrena caro, cœleſti delectatione Spiritus, ad cœleſtia ſubleuatur. Ad placendum quippe carnali coniugio ſæpè mundana mente cura ſolicitat: ad placendum uerò ſpiritali connubio, mens dulcedini cœleſtis cogitationis intenta, corpus ſuũ ſpiritali pingueſcens delectatione caſtigat.

In opere corporalium nuptiarum uirginitas carnalis amittitur, ut ad carnis fœcunditatem ueniatur, ubi tamen nõnunquam ſic incertę ſpei fructu fraudatur humana delectatio, ut quæ uirgo eſſe deſtitit, mater eſſe non poſsit, & ſterilitatis obſtaculo coërcita, nec in corpore queat reparare quod perdidit, nec ex corpore ualeat habere quod cupit: ple- *Incommoda coniugij circa prolem corporalem.*

runcq(quod eſt grauius)grauiore dolore fœtus carnis perdit, quos graui dolore ſuſcepit:& ad hoc pariens pericula gemitusq́ tolerat, ut amittens quos cum gemitu pepererat,deterius gemat.

Bona virginitatis circa prolem ſpiritualem.

In copula uerò matrimonij ſpiritalis cum ſponſo Chriſto ſic coniugatur anima,ut etiam caro ſeruetur intacta: quanto magis uirginalis integritas uiget, tanto magis immortalis fœcũditas pollet. Sic enim ibi non eſt mortalis fructus ex corpore,ut immortalis fœtus non deſit ex corde: ibi maritalis acceſſus non uitiat corpus:quia Chriſti ſpiritalis amplexus,& animam ſeruat & corpus: in tali connubio nullus effectus æſtuanti cupiditati conceditur: quia ſanctæ charitatis feruore refrigerio ſpiritali nutritur. O' angelicę imitationis non humana in hominibus uirtus. O' ineffabile ſuperni ſempiterniq́ muneris decus. Quod qui accipiunt hoc meditantur in carne mortali, quod ſunt in immortalitate ſumpturi. Eligũt enim bonam partem, quæ nõ auferetur ab eis, ſed perficietur in eis.

Luc.10.

in eis. Quod enim ab eis nunc inuiolatum ſeruatur in opere, hoc eis gloria immortalitatis cumulatum reddetur in munere.

Quocirca, quæ non eſt ſæculi uirgo, ſed Chriſti, ſicut non debet monilibus, ita debet uirtutibus adornari. Ornatus autem uirginis eſt, uirginitatis bonum non minus mente quàm carne ſeruare. Vt ſcilicet ſemetipſam tanto muneri cõdignam ſemper exhibeat, & ſic ueritatis teneat uiam, ut nõ diuertat ad dextram uel ſiniſtram. Siniſtram quippe obſidet carnalium turba uitiorum: dextram tenet ſpiritaliũ iactatio ſuperba uirtutum. Illa carnem publicis delectamentis oblectare contemnit: hæc menti laudem propriæ ueritatis immurmurare non deſinit.

Tranſit ad Humilitatem.

Virgo neq; ad dextram, neque ad ſiniſtram declinet.

Illa nanq; blandiens uirgini perſuadere conatur, ut tantum carnis integritate ſeruata quicquid pertinet ad delicias ciborum, nitorem ueſtium, fomenta balnearum, ſomniorũ lenitatem, iocorum hilaritatem, ſub ſpecie uitandæ

Siniſtra via eſt voluptas carnis.

infirmitatis & custodiendæ corporeæ sospitatis diligat, appetat, teneat. Et quasi molliori cliuo deuexum latioris uiæ monstrat gradienti descensum, quâ non cõscendat ad cœlum, sed deuoluatur in Tartarum, insinuat uitandum itineris angusti laborem, ne perueniatur ad requiem.

Dextra est superbia mentis.

Est alia quanto occultius tanto periculosius parat uirgini præcipitium, dũ callidè collaudat ascensum. Etenim si teneatur in cibis abstinentia: uestis non sit nitida, sed despecta: buxeum pallorem, rubore sublato, corpori ieiunia generẽt: candorem carnis lauandi contemptus obfuscet: lasso corpori somnus stratis durioribus detur: cutis lenitas despectis asperetur unguentis: contractior uultus risui semper obsistat & ioco: hæc omnia non diuino adiutorio deputat, sed uiribus humanæ posibilitatis asignat.

Fugiat ergò virgo delicias carnis.

Proinde ad exteriorem uirginitatem interioremq; seruandam, solicita debet uirgo semper exultare cautela, delicias carnis & oblectamenta corporis (quæ

sibi

ſibi non tàm neceſsitas exigit, quàm uo luptas) omnino ſacra uirgo refugiat. Spi ritalis enim uirginum ſponſus non quę rit in uirgine carnem delicijs accuratā, ſed ieiunijs caſtigatā. Hoc Doctor gentium cùm facere dicit, nobis quoq; inſinuat faciendum. *Caſtigo*, inquiens, *corpus meum, & ſeruituti ſubijcio.* Et rurſus: *In vigilijs multis, in fame & ſiti, in ieiunijs multis.* De uidua uerò dicit: *Quæ autem in delicijs eſt, viuēs mortua eſt.* Non quęrat ergo Chriſti uirgo carnis delicias quas nec uiduæ uidet eſſe conceſſas. In ſaturitate cibi uiuens Sodoma, cibus ignis effici meruit. Et Niniuiticus popu lus diuinum furorem, cunctorū iam ceruicibus imminentem, ieiunio lachrymisq; ſubmouit. Igitur ſi uiſibilis cupiditas uindicatur in corpore inimica, inuiſibilis poteſtas nō dominatur in corde. Illam fœliciter uincimus, ſi fortiter cū iſta certemus: & de illa triūphus acquiritur, cùm iſta calcatur.

1.Cor.9. 2.Cor.11. 1.Tim.5. Gen.19. Ionæ.3.

Porrò ieiunijs ſic eſt adhibenda temperies, ut corpus noſtrum nec ſaturitas

Temperies ieiuniorum.

excitet, nec inedia immoderata debilitet. Talis igitur tantaq; uirginis ieiuniũ refectio subsequatur, ut nec suauitate corpus illiciat, nec saturitate succendat. Suauitate quippe minuitur eleemosyna pauperum, saturitate corpus efficitur bellicosum. Illic fratribus debitum inuaditur, hic hosti auxilium subrogatur. Volentibus enim nobis concupiscentiam gulæ diuersis oblectare pigmentis, quod egenus accipere debuit, uoluptas insumit. Proinde ieiunium nec debilitas præripiat, nec saturitas extollat. Vtraq; enim nostris aduersarijs militat: quia una utilitatẽ ieiunij pręcedẽtis adimit: altera facultati ieiunij subsequentis obsistit. Saturitas facit, ut inaniter ieiunem9: debilitas facit, ne ieiunare possim9.

Vestes virginum quales esse debeãt.

Vestis quoq; talis sit sacræ uirginis, quæ testis existat intimæ castitatis. Nihil nitoris in habitu exterioris hominis quæratur, ne interioris hominis habitu sordidetur. Virgo, quę ornatum corporeuestis affectat, animam suam uirtutũ splendore despoliat: nec habet castitatẽ ue-

ueram, quæ intuentibus parat illecebrā: nec fidem ſeruat Chriſto, quæ populo quærit magis placere quàm ſpōſo. Conſequenter autem neceſſe eſt, ut quæ humano conſpectui concupiſcentiam ſeminat, in diuino conſpectu iracundiam metat. *Qui enim ſeminat in carne ſua, de carne metet corruptionem: qui verò ſeminat de ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternam.* Galat.6.

Verùm de his atq; horum ſimilibus, quæ ad curam pertinent carnis, & animam faciunt ſub uirginitatis nomine in concupiſcentijs dormitare, illæ potiùs admonendę ſunt uirgines, quę delicioſæ, quæ uagæ, quæ iocis deditæ. Nobis autem nunc ad ſpiritalem uirginem loquentibus, de illis eſt laqueis euitandis aliquid memorandum, quos (ut ita dicam) non terrenis rebus, ſed in ipſis cœleſtibus aduerſarius tendit: nec à uia manifeſto ſeducit errore, ſed (ſicut ait Propheta: *In via hac qua ambulabam, abſconderunt laqueos mihi,*) ubi benè ambulantes perſpicit in operibus bonis, ibi uehe-

Hactenus contra voluptatē carnis: tranſit nunc ad ſuperbiā mentis.

Pſal.142.

mentiùs & periculosiùs sub colore simulatę pacis occultis repugnat insidijs, & non ualens uirginitatem carnis in carne perdere, uirginitatem spiritus conatur auferre.

Cordis virginitas carnis virginitati præponderat.

Propter quod non est Christi uirginibus negligentius intuendum, quantum cordis uirginitas carnis uirginitati præponderet. Hæc enim si à fidelibus coniugatis ac uiduis in fide (quæ per dilectionem operatur) etiam sine uirginitate corporea in hac uita fuerit custodita, in futuro nec carnis uirginitate priuabitur & regni cœlestis beatitudine perfruetur. Corporalis uerò uirginitas, etiã Deo dicata, si uirginitatem non seruauerit cordis, nihil proderit in corpore custodita, si spiritalis castitas fuerit in mente corrupta.

Gal. 5.

Diabolus vtramq; persequitur: sed maximè virginitatẽ cordis varijs technis oppugnat.

Vtranq; Diabolus persequitur, utranque callidis consilijs infectatur. Sed uirginitatem carnis per hominem nititur præripere, cordis uerò uirginitatem per seipsum conatur auferre. Nam plerunq; ad hoc carnis uirginitatẽ (quæ inferior est)

est) non impugnat, ut illius, quæ potior est, fundamenta suffodiat, & tanquam diuersis machinis, sic innumeris utitur argumentis: & cùm certamini manifesto cedit, ad hoc se uictum demonstrat, ut uincat: ad hoc fugam simulat, ut persequentem, missis post tergum sagittis, occidat. Euidentibus quippe uitijs prouocat, dum uirginitatem cordis impugnat, in quibus si palam superetur, illico superbiam perniciosissimè iaculatur, & uitiorum author, in eo quod uincere nõ potest uitijs suis, uincit uirtutibus alienis. Armis, quibus eliditur, surgit, & uirtute, qua deijcitur, deijcit. Laudat, qua se perspicit superari uirtutem, ut uictus possit captiuare uincẽtem. Inijcit enim cordi iactantiam, ut grauiori lapsu de alto possit deijcere, si quos in humilibus uidet gradu firmiore pugnare. Nã (uerbi gratia) cùm gulæ delectamenta porrigit, si suscipiatur, fomitẽ libidinis subministrat: si respuatur, iactantiam de abstinentia seminat. Insinuat dilectionem pecuniæ, si tenuerit assensum, auaritiæ

gladio animam confodit incautã: si autem fuerit repulsus, insidias, quas per tenacitatem tendere non potuit, per liberalitatem nequissimus tendit, & in opere misericordiæ facit cordis superbiam pullulare, ut eò quòd egẽti largitur, magna sibi habere merita uideatur. In multis hæc facit, ut maximè sic repugnare spiritales Dei famulos & famulas assueuit, ut si quis rebus noxiis mortiferisq; non uincitur, uitalibus remediis occidatur. Bonis operatur mala, salubribus noxia, iustis iniusta, & commodis præstat incommoda. Hoc in seipso primùm operatus est, qui non ex conditione habuit originem criminis, sed ex elatione uirtutis ueritatem per iniustitiam detinere uoluit, & per iniustitiam lapsus, in ueritate non stetit. Quomodo enim stare potuit, cui pro superbia restitit ille qui nunquam cadit? Initium enim omnis

1. Pet. 5. peccati superbia, propter quod *Deus superbis resistit: humilibus aũt dat gratiam.*

Superbia initium omnis peccati.

Hæc autem superbia ideo initium omnis peccati dicitur, ut omne peccatum

de

de ipſa, tanquã de radice, pullulare mon ſtretur, quæ multiplici modo miſeris inferens mortem, publico certamine carnales deijcit: ſpiritales uerò, ſiquos incautos inuenerit, occultiore conflictu proſternit.

Quis enim neſciat, fornicarios, idolis ſeruientes, adulteros, molles, maſculorum concubitores, fures, auaros, ebrios, maledicos, rapaces, ſuperbos, aduerſus Deum ceruices erigere, & nequiſsimis operibus magis diabolo militare? Sunt alij, quos in conſpectu hominum ſuperbia tanquam ſuos demonſtrat hoſtes, & intrinſecus habet nequiſsimos milites. Ab his iniquitas callidè geritur, ut humanis obtutibus iuſtitia fallaciter oſtendatur. Hos Dominus noſter ſic increpat: *Vos eſtis, qui iuſtificatis vos coram hominibus: Deus autem nouit corda veſtra.* Quos aut ſuperbos euidẽter oſtenderet, ſequutus adiunxit: *quia quod hominibus altum eſt, abominatio eſt ante Dominum.* Ad eos etiam, qui ſub Chriſtiana profeſsione uiuunt, & Chriſti pręcepta

Superbia manifeſta duplex: vna eorum qui manifeſtè peccant: altera hypocritarum.

Luc.16.

pta

pta manifestè peccando cõtemnunt sic ipse Christus loquitur: *Quid autem vocatis me Domine Domine, & non facitis quæ dico?* Tales gentium quoq; Doctor his uerbis obiurgat: *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant, cùm sint abominati & incredibiles, & ad omne opus bonum reprobi.* Nam & Beatus Iacobus dicit: *Quid proderit fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Nunquid potest fides saluare eum?* Humilitas ergo (quam docuit Christus dicẽs: *Discite à me: quia mitis & humilis corde,*) non in sola cõsistit fide, sed in fide simul & opere. Nam scriptum est: *Quia & dæmones credunt & contremiscunt, qui tamen Deo humiles non sunt.* Vnde etiam Apostolus Paulus asserit: *Quia sapientia carnis inimica est Deo: Legi enim Dei non subijcitur.* Nec enim potest, quæ sapientia secundùm Iacobi sententiam nõ est, desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica.

Luc.6. *Tit.1.* *Iac.2.* *Matth.11.* *Iac.2.* *Rom.8.* *Iac.1.*

Manifesta igitur superbia deprehenditur, cùm manifestè peccatur. Attamẽ cum

Superbia occulta quoq; duplex: vna corũ qui a

cùm fuco iustitiæ iniquitas tegitur illa superbiæ pestilentia uenenosiùs serpit, illa periculosiùs irrepit cùm ab his, qui iustitiæ studium gerunt, uel aliorum uita tanquam indigna despicitur, uel in operibus bonis aliquid humanis uiribus assignatur. Illa deniq; superbia, qua cæteri ab his qui sibi iusti uidētur uelut peccatores despiciuntur, in Pharisæo condemnatur, sicut etiam sanctus Euangelista testatur, dicens: *Dixit autem & ad quosdam, qui in se confitebant tāquam iusti, & aspernantur cæteros, parabolam istā: Duo homines ascenderunt in templum, vt orarent, vnus Pharisæus, & alter Publicanus. Pharisæus stans, hæc apud se orabat: Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri homines, rapaces, iniusti, adulteri, sicut etiā hic Publicanus. Ieiuno bis in sabbato, decimas do omnium quæ possideo. Publicanus autem à longè stans, nolebat oculos ad cælum leuare, sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus propitius esto mihi peccatori. Dico vobis: Descendit hic iustificatus in domum suam ab illo. Quia omnis qui se ex-*

lios despiciunt: altera eorum qui bona opera proprijs viribus assignant.

Luc. 18.

se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur. In conspectu iudicis misericordis & iusti, non est accepta superba iactatio bonorum operũ, sed humilis confessio peccatorum. Illi etiam, qui uirtutem bonæ uoluntatis aut bonæ operationis suis nituntur superbiæ uiribus assignare, ab Apostolo taliter denotantur: *Quia ignorantes Dei iustitiam, & suam quærentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti*. In sua igitur iniustitia profecto deficit, qui iustitię Dei superba colla non subijcit.

Rom. 10.

Quatuor superbiæ generibus Diabolus animas vel opprimit iacentes: vel deijcit volantes.

In his itaque quatuor superbiæ generibus, quibus Diabolus uelut quadrigis uehitur, & ad gehennam miserorũ, quibus insidet, mortifero cursu raptatur, duobus animas opprimit, quas in carne iacentes perspicit: alijs duobus animas deijcit, quas de carne uolare cognoscit, istas captiuat delectatione uitiorũ, illas circunuenit elatione uirtutũ. Illarũ sic uirginitatem præripit ut se fornicari nõ dubitent, istas sic cõstuprat & maculat, ut se conculcari nõ æstiment.

Proin-

Proinde, ut integra permaneat Deo dicata uirginitas, ſicut cuſtoditur integritas corporis, multo ampliùs cuſtodienda eſt humilitas cordis. Si qua enim uerè uirgo eſt Chriſti, non poteſt Chriſto niſi cordis humilitate coniungi. Filij Dei thalamus elatas non recipit, & humilis ſponſus à connubio ſuo ſuperbos expellit. Sit igitur ſtudium tuum (ſicut decet uirginem ſacram) ſectari iuſtitiã, pietatem, fidem, charitatem, patiẽtiam, manſuetudinem. Non tamen, ut conſideratione tui quaslibet Chriſtianas etiam in inferiori poſitas profeſsione, deſpicias, aut te in bonis operibus, prǽſumptione propriæ uirtutis, extollas. Quicquid enim ſpiritalium donorum plus habueris quàm habent aliæ, non parua eſt iactura uirtutis, ſi in ipſa principali uirtute (quæ eſt humilitas) non alias antecellas: cùm non neſcias ſcriptũ: *Quantò magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam.*

Virgo vt corporis integritatẽ: ita multò magis cordis humilitatem cuſtodiat.

Eccl. 3.

Chriſtus Dominus & ſponſus virginum, humilitatem & integritatẽ exigit.

Attende igitur in te ſponſi tui amorem, conſidera Domini pietatem. Pius eſt

est Dominus, qui te sibi fecit ancillam: speciosus spõsus, qui te castificauit sponsam. Idem tamen, quia uerus est Dominus & sponsus est, uerus utriusque potestatis partes exequitur. Exigit de ancilla humilem seruitutem, in sponsa quærit integram castitatem. Serui ergo Domino cum timore, & exulta sponso cũ tremore. Nam quia Dominus est, territat: & quia sponsus est, zelat. Timens igitur custodi Domini terrentis imperium, & tremẽs dilige sponsi zelantis affectum. In ancilla Domini nihil suum prædo reperiat, in sponsa Christi nihil suum adulter agnoscat. Sicut in corpore uirginis non dominatur libido: sic in corde uirginis nulla dominetur elatio. Cum timore & tremore tuam salutem operare:

Philip. 2. Deus est enim qui operatur in te & uelle & conficere, pro bona uoluntate.

Homo se nõ alijs, sed sibi ipsi comparare debet.

Quotiens cogitas de perfectione uirtutum, noli cõsiderare, quid aliæ minus habeant quàm tu habes, sed quid tu minus habeas, quàm habere iam debes: nec ideo te putes uirtutibus perfectam,

si quamlibet aliã uideas criminibus deditam: nec propterea tibi aliquid uelocitatis aſsignes, si quaslibet, aut retrò redeuntes, aut segniter uideas ambulantes. Neque enim idcirco sanos oculos habere pronunciandus est lippus: quia uidetur cęcus à lumine penitus alienus: nec ideo sanus dicendus est, qui graui iacet uulnere semiuiuus, si alius grauiore uulnere reperiatur occisus: nec ibi debet tanquam uictor uindicare gloriam, quisquis, licet ab hoste non sit occisus, tenetur tamen ab hoste captiuus. Noli ergo aliјs te comparare, sed tibi. Audi Apostolum hoc facientem, & ut hoc faciamus, salubriter ammonentem: ad Corinthios quippe scribens, dicit: *Non enim audemus inserere aut comparare nos quibusdam, qui seipsos commendant, sed ipsi in nobis nosmetipsos metientes, & comparantes nosmetipsos nobis.* 2.Cor.10.

Si ergo semetipsam comparet uirgo Christi, & ut ad perfectam perueniat sanitatem, non debet de aliorum sibi periculo grauiore blandiri, sed de sua curet

Dauidis exemplum. infirmitate triſtari. De qua ille triſtabatur iugiter, qui dicebat: *Tota die contri-*
Pſal. 3 8. *ſtatus ingrediebar: quoniam* † *anima mea*
† aliâs lumbi mei *impleta eſt illuſionibus, & non eſt ſanitas in carne mea.* Et ut oſtenderet, huic triſtitię humilitatem debere coniungi, ſta-
† aliâs afflictus tim ſequutus adiũxit: † *Incarnatus ſum, & humiliatus ſum nimis.* Et ut deſiderio
Ibid. ſanitatis hoc à ſe fieri perdoceret, adiun-
Ibid. xit: *Rugiebam à gemitu cordis mei, & ante te eſt omne deſiderium meum, & gemitus meus à te non eſt abſconditus.* Iſte autem qui hoc dicebat, fatetur ſe aliquando tanquam de uirtute ſanitatis elatum, & in eo ſe periculum grauiſsimæ infirmitatis expertum. Dicit enim in alio Pſal-
Pſal. 3 0. mo: *Ego dixi in abundantia mea, non mouebor in æternum.* Et quia hoc dicens, adiutorio diuinę gratiæ fuerat deſertus, & in ſua defecerat infirmitate, turbatus
Ibid. ſequitur dicens: *Domine in bona voluntate tua præſtitiſti decori meo virtutem, auertiſti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus.* Et ut oſtenderet adiutoriũ diuinæ gratiæ, quamuis iam habitum, humi-

humiliter esse sine intermissione poscendum, hoc quoque subnectit: *Ad te Domine clamabo, & ad Deum meum deprecabor.* Nemo autem deprecatur, & rogat, qui non aliquid se cognoscit minus habere, aut quod habet, sua tantùm uirtute potest seruare. Ibid.

Quisquis igitur & beneficium rogat, & adiutorium flagitat, necesse est, ut & euidentiam suæ imbecillitatis & egestatis agnoscat. Et ideo egestas nostra dari sibi quod non habet poscit, & imbecillitas nostra custodiri sibi postulat quod accepit. Egestas audit: *quid enim habes, quod non accepisti?* Et non potest homo accipere quicquam, nisi datum fuerit ei de cœlo. Imbecillitas audit: *Reuela ad Dominum viam tuam, & spera in eum, & ipse faciet.* Audit etiam ab ipsa uirtute: *Sine me nihil potestis facere.* Audit à Propheta: *Nisi Deus custodierit ciuitatem, in vanum vigilant qui custodiunt eam.* Dicat ergo egestas illi, qui propter nos pauper factus est, cùm esset diues, ut illius paupertate nos diuites essemus. Di-

Quia & egeni & imbecilles sumus: ideo non solùm beneficium, sed & adiutorium à Deo flagitandum.

1. Cor. 4.

Psal. 37.

Ioan. 15.

Psal. 127.

Psal.119. cat: *Da mihi intellectum vt discam mandata tua*. Dicat etiam imbecillitas illi, qui pro nobis crucifixus est ex infirmi-
2.Cor.13. tate, sed uiuit ex uirtute Dei. Et qui sic infirmatus est propter peccata nostra, ut semper ipse sit Dei uirtus & Dei sapientia. Dicat ergo illi imbecillitas humana:
Psal.17. *Custodi me Domine, vt pupillam oculi, sub vmbra alarum tuarum protege me, à facie impiorum, qui me afflixerunt.*

Sancti quoque in hac vita sentiunt peccati reliquias.

Grauiter hîc affliguntur animæ omnium iam iustificatorum ex fide uiuentium, imò solæ animæ intelligunt, in qua sint afflictione positæ, quibus se infundit lumen uerum, quod illuminat omnem hominem uenientẽ in hunc mũdum. Vident enim, quia licet sint gratiæ dono ab operum malorum contagione liberæ, teneantur tamen cogitationum uarietate captiuæ. Quis enim gloriabitur castum se habere cor? aut quis gloriabitur mundum se esse à peccatis? Attendamus qualis quantusq́ue
Iac.3. iustus dixerit: *in multis enim offendimus omnes*. Et ille qui dixit: *Si dixerimus, quia*

pec-

peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Ille etiam qui cōdelectabatur legi Dei secundùm interiorem hominem, uidebat autem aliam legem in membris suis, repugnantem legi mentis suæ, & captiuantem eum in lege peccati, quæ erat in membris eius donec eum suæ infœlicitatis conscium, de corpore mortis huius liberaret gratia Dei per Iesum Christū Dominum nostrum.

1. Ioan. 1.

Rom. 7.

Ab hac ergo lege peccati, quæ est in membris nostris, non uirtus cuiuslibet hominis fortis, non industria sapientis, sed sola liberat gratia Saluatoris, quæ non nisi humilibus gratis datur: *Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Veruntamen hæc gratia, sicut non nisi humilibus datur, sic humilis homo esse non potest, nisi detur. Datur enim ut humiles esse incipiant, & datur, ut humiles esse non desinant. Gratia igitur Dei facit, & ut humiles simus, & humiles perseuerare possimus. Qui enim potuit quod non habuimus dare,

Gratia Deĩ, quæ humilibus gratis datur, nos liberat à peccati lege.

1. Pet. 5.

ipſe poteſt, quod accepimus cuſtodire.

Praecepta humilitatis pro virginibus.

Proinde, ut in te ſit uera humilitas, quæ uirginitatis eſt interna uirginitas, non ignoras, quanta ſacrę uirgini debeat paupertas ſpiritus ineſſe, ut regnum cœlorũ mereatur accipere: quanta manſuetudo, ut illa poſsideat uiuentium terram, in qua ſe Dauid bona Domini uiſurum plena credulitate confidit: quanta etiã cautione uirgini luctuoſa ſit præſentis ſeculi lætitia fugiẽda, cui ſemper in hac uita præſtolanti ſponſi cœleſtis aduentum, magis ſit ex deſiderio ſpiritali lugendum, ut adipiſcatur intimum certumq; ſolatium: quantam quoque uirgo Chriſti debeat eſuriem ſitimq; iuſtitiæ perpeti, ut plena mereatur æternæ dulcedinis ſatietate lætari: qualibus etiam ſit induenda uiſceribus miſericordiæ, ut in conſpectu Dei miſericordiam ualeat inuenire: mundandiq́ue cordis quantum debeat ineſſe ſacræ uirgini ſtudium, ut illum uidere mereatur fœlicib. oculis ſponſum, ſpecioſum forma præ filijs hominum, ad quem carnis uirginitas

Pſal. 27.

Pſal. 45.

nitas non poteſt peruenire, niſi humili corde fulciatur uirtute uirginitatis internæ: quantam etiam pacificæ quietis uirgo poſsidere uirtutem debeat, ut deſideriorum carnaliũ tela ſpiritalibus armis induta compeſcat.

Talibus te ſponſus tuus uti fruiq; monilibus cupit, qui te ſibi fide deſpondit, ſpe firmauit, charitate coniunxit. Neque uerò fidei ueritate, carniſq; integritate ſpiritaliter tali ſponſo nupſiſſes, ſi non eum, contempta uanitate ſeculi dilexiſſes, nec tamen eum fuiſſes aliquatenus dilectura, niſi fuiſſes gratuita ſponſi dilectione præuenta. Dixi autẽ te præuentam, non ſolùm dilectione, qua ille te dilexit, ſed etiam dilectione, quam tibi gratis, ut à te diligeretur infudit. Totum ergo quicquid in te ſanctę dilectionis erga ſponſum tuum habes, in te quidem habes, ſed ex tę non habes. Pauperem te accepit ditiſsimus ſponſus, quicquid in te boni habes, nõ ex te, ſed ex ipſo habes, & quicquid nondum habes tũc habebis, ſi ſponſus dederit, qui om-

Omne opus bonũ præuenit in nobis gratia Dei.

nia bona quæ habet, gratuita largitate iam dedit. Ipsi ergo de acceptis humiliter gratias age, ipsum de accipiendis humiliter posce. Sic enim diuitem spōsum habes, ut nec egeat his quæ dedit, & abundet ad largiendum multo meliora quàm dedit. Hæc humili semper compunctione considera, & uirginitatem, quam Deo uouisti, nō solùm carnis integritate, sed & cordis humilitate conserua. Ab illo tibi semper custodiā uirginitatis & humilitatis exposcens qui non dormitauit neq; obdormiet custodiens Israël.

Psal. 121.

Conclusio. Ecce sancta filia, in quantum Dominus dedit, breuē ad te libellum de Virginitate & Humilitate cōscripsi, magis eligens, pauca tibi desideranti transmittere, quàm debitæ seruitutis officium sponsæ Domini denegare.

BEATI

BEATI FVLGENTII DE ORATIONE AD Deum, & compunctione cordis, AD PROBAM: EPISTOLA IIII.

Dominæ in Christo plurimùm venerabili, & cum omni honorificentia nominandæ famulæ Dei, filiæ Probæ, Fulgentius seruorũ Christi famulus, in Domino salutẽ.



Pistolam sanctitatis tuę, cum tota cordis gratulatione, suscepi, non solùm studium boni operis, sed etiam humilitatem cordis tui certis indicijs præferentem. Benè igitur, sancta filia, in laudem Dei, non de bonis operibus superbiæ uento extolleris, sed ad implenda Domini præcepta infirmitatẽ inualidamq; testaris. Ita debet sentiri, quisquis uerbi Dei non auditor obliuiosus, sed factor operis esse desiderat, qui non hîc ab hominibus recipere mercedem suam, sed à Deo in die retributionis expectat, qui nõ in præsenti tẽpore inanis gloriæ ua-

Probæ humilitas cunctis imitanda.

nitate raptatur, ſed ſancto igne diuini amoris accenditur. Hunc enim Chriſtus uenit mittere in terrã, ut omne ſuperbiæ germen exurat, & humiliatio cordi feruorem ſanctę cõpunctionis inijciat. Sic fit ut in noſtris peccatis noſmetipſos ueraciter accuſemus, & in bonis operibus noſtris Deũ uera cordis humilitate laudemus: Illi aſsignemus, quæ nobis eius pietas donat: nobis imputemus, in quibus eum noſtra infirmitas exacerbat.

Oratio & Compũctio cordis neceſſaria ſunt: ſed à Deo infundantur.

Et quia frequenter à nobis offenditur, neceſſarium eſt, ut frequente oratione, & iugi cordis compunctione mitigetur. Compunctio enim cordis excitat orationis affectum, oratio humilis diuinum promeretur auxilium. Compunctio cordis uulnera ſua reſpicit: oratio uerò medelam ſanitatis expoſcit. Et ad hæc quis idoneus? Quis enim uel orare cõpetenter ualeat, niſi medicus ipſe nobis initium deſiderij ſpiritalis infundat? Aut quis perſeuerare in oratione queat, niſi Deus in nobis hoc quod cœpit augeat, quod ſeminauit enutriat, & quod, mi-

misericordia precedente, gratis donauit indignis, ad effectum perfectionis, misericordia subsequente, perducat?

Sic enim à nobis poterit boni operis meritum non perire, si Deus author atq; adiutor semper glorificetur in opere: nec putemus, sic eum authorem boni operis existimandum, tanquã in ipso tantum creationis exordio sic Deus naturę humanæ boni operis facultatem dederit, ut ipsius adiutorio desistẽte, sola per seipsas possit humana natura quodcunque bonũ uelle seu facere, cùm hoc nec in ipso primo homine potuerit sola implere conatu proprio, quando necdum fuit uitiata peccato. Quomodo ergo infirma, sine iuuamine medici, sospitatem suam reparare potuerit? quæ dum sana esset sospitatẽ suam custodire nequiuit. Non ergo glorietur terra & cinis: quia in uita sua proiecit intima sua, nec uulneratus, de hoc, quod in se sanũ existimat, tanquam sanus exultet, sed suorum uulnerum putredinem compuncti cordis humilitate consideret, ut clamans cum

Deus quomodo sit author boni operis in nobis.

Pro-

Psal. 38. Propheta: (*Computruerunt & deteriora-tæ sunt cicatrices meæ, à facie insipientiæ meæ*) posſit medelam, non ſuo merito, ſed gratuito munere diuinæ pietatis accipere. Quid enim habet homo, quod 1. Cor. 4. non accepit? Si autem accepit, quid glo riatur, quaſi non acceperit? Solus igitur Deus poteſt omnibus, quibus uoluerit, dare, unde uera ſalus acquiri poſsit: & ideo ſolus poteſt in accipiente cuſtodire Psal. 127. quod dederit: *Niſi enim Dominus custodierit ciuitatem, inuanum vigilant qui custodiunt eam*. Ille itaq; nō patietur furtiuum nequiſsimi prædonis ingreſſum, cui non defuerit Domini uigilantis auxilium. Psal. 121. Ipſe enim *non dormitauit, neque obdormiet, qui custodit Iſraël*.

In hac vita ſemper proficere debemus.

Sicut autem, qui ad patriā tendit, donec perueniat, ſemper habet ubi ambulet, ſic etiam nos, quamdiu in hoc mortali corpore conſtituit peregrinamur à Domino præſens uita nobis eſt uia, in qua ſemꝑ habemus ubi poſsimus proficere, donec Deo perducente, ad illam ualeamus beatæ immortalitatis æternā

patriam

patriam peruenire. Magnæ igitur beatitudinis est, sic in præsenti uiuere seculo, ut profectui spiritali omnis fidelis operam det, nec tamen hoc suis aliquando uiribus superbus asſignet, sed humili corde à Deo poſcat iugem cuſtodiã accepti muneris à quo emanat totius bonæ, non tantùm principium, sed etiam perfectio uoluntatis.

Neq; enim Iacobi Apoſtoli prædicatio, aliqua poteſt argumẽtatione caſſari, dicens: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt deſcendens à Patre luminum.* Nec quiſquam hominum, ſiue ad cogitandum, ſiue ad operandum quodcunque bonum, poteſt eſſe idoneus, niſi fuerit munere gratuito diuinæ opitulationis adiutus: *Deus eſt enim qui operatur in ſuis & velle & perficere pro bona voluntate*, ſicut Vas electionis affirmat: quo etiam docente cognouimus: *Quia non ſumus idonei, cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt*. Ille igitur nobis omnem boni ſufficientiam ſubmini-

Homo ex ſe abſque Dei gratia nihil poteſt boni operari vel velle.

Iac. 1.

Philip. 2.

2. Cor. 3.

ministrat, cuius non minuitur plenitudo cùm donat, qui nobis omne bonum benignè largitur, ut habeamus, et in seipso sine diminutione permanet plenus: quod nec angelica potest, nec humana præstare natura, ac sic, nulla, licet spiritalis, tamen creata substantia: quia omne quod creatum est, sicut antequàm crearetur non fuit, sic antequã acciperet habere non potuit, & sicut subsistere non potest sine illius operatione qui fecit, sic bonum non potest uelle seu facere, nisi
» Deus dignet̃ iugiter adiuuare. Ab ipso
» nanq; est initium bonæ uoluntatis, ab i-
» pso facultas boni operis, ab ipso perseue
» rantia bonæ conuersationis, ab ipso da-
» tur in præsenti seculo uera cordis humi-
» litas, & in futuro retributionis æternæ
» fœlicitas, ut ipsi sint sine fine fœlices, qui
» nũc sine fictione sunt humiles, nec se inflatione uana seducunt, in qua sic nõ potest esse bonis plena securitas, ut tunc facilius aduersitas subrepat, cũ se prosperitas fraudulenter ostendat.

Nec est aliquod huius uitæ tempus, in

in quo nō hominibus muſcipulam tendat inimicus, cuius laqueos nemo poteſt proprijs uiribus euadere, niſi quem Deus gratia ſua per Ieſum Chriſtū Dominum noſtrum dignatus fuerit liberare. Ideo Vas electionis, cùm captiuari ſe in lege peccati ſentiret, exclamabat, dicens: *Infelix homo ego, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum*. Propterea etiam Propheta, non ſua uirtute, ſed diuino munere, pedes ſuos è laqueo prædicat euellendos, dicens: *Oculi mei ſemper ad Dominum: quoniam ipſe euellet de laqueo pedes meos*. Et alio loco, ex perſona ſanctorum, quos de huius ſeculi laqueo liberatos, ad æternā dignatus eſt Dominus ſecuritatem lætitiamq́; tranſferre, ſic dicitur: *Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantiū, laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus.*

Homo proprijs viribus laqueos Diaboli euadere non poteſt.

Rom. 7.

Pſal. 25.

Pſal. 124.

Veruntamen, ut ſuam animam unuſquiſque noſtrûm inter aduerſitates & laqueos inimici uerſari cognoſcat, nec in hoc ſeculo noxia unquā ſecuritate torpeſcat,

Non tamen ſecurus eſſe debet.

Psal. 38. pescat, idem Propheta dicit: *Tota die contristatus ingrediebar. Quoniã anima mea impleta est illusionibus & nõ est sanitas in carne mea.* Quid est autẽ: Tota die contristatus ingredi, nisi totius huius uitæ tempore, peccatorum recordatione tristari? in quo enim anima illusionibus impletur, nisi cum concupiscentiarum carnalium frequenti tentatione concutitur? Quibus etsi consensione non cedit, fatigatione lassescit. Quamuis enim subinde suis Dominus in certamine, ne deficiant, adiutorium tribuat, permittitur tamen fatigari propriæ infirmitatis onere pręgrauata mortalitas, sed cùm in seipsa nullum uirtutis inuenit firmamẽtum, ad poscendum diuinæ pietatis citò recurrat auxilium.

Sed oratione & cordis cõpunctione pugnare. *Eccli. 35.*

Hic ergo tunc aduersariũ uincimus, si lachrymis & orationib. & cõtinua cordis humilitate pugnemus. Scriptum est autem: *quia oratio humilium nubes penetrat, & non elongat Dominus, donec exaudiat.* Humilium ergo fletus, magnus est cõcupiscẽtię carnalis interitus.

Lachry-

Lachrymæ, quæ ex compunctione cordis ueniunt, & inimicum uincunt, & nobis donum lætitiæ triumphalis acquirunt. *Qui enim euntes eunt & flent, mittentes semina sua, ipsi uenientes uenient in exultatione, portantes manipulos suos.* Psal. 126.

Quàm benè autem sanctus Propheta semina bonorum operum rigāda docet flumine lachrymarum. Omnia etenim semina non germinant, nisi fuerint irrigata, nec de semine ꝓcedit fructus, si fuerit aquarū iuuamine destitutus. Proinde nos quoq;, si uolumus fructus nostrorum seminū capere, non desinamus semina nostra lachrymis irrigare, quæ magis corde sunt fundendæ quàm corpore. Ideo nanq; nobis dicitur per Prophetam, ut scindamus nostra corda, & non uestimenta nostra, quod tunc facere possumus, cùm scilicet recordamur nosmetipsos, & si nō in opere saltem in cogitatione frequēter delinquere. Quia terrena inhabitatio sensum multa cogitantem deprimit, & terra nostra germinare spinas nobis & tribulos non quie- Ioel. 2. Sapient. 9.

ſcit, nec poſſumus peruenire ad eſum panis noſtri, niſi fuerimus ſudore uultus & fatigatione confecti.

Fatigatio noſtra in repugnādo cōcupiſcentijs.

Fatigamur enim ſudoribus, dum ꝓprijs cupiditatibus repugnamus. In quibus uincendis, idcirco maior eſt certaminis difficultas: quia non extrinſecus ex altero, ſed intrinſecus ex ſeipſo certanti homini concupiſcentiæ carnalis generatur aduerſitas, quæ fatigationem ingerit humanæ imbecillitati dum naſcitur, quamuis diuinę uirtutis opitulatione uincatur. *Caro enim concupiſcit aduerſus ſpiritum: ſpiritus autem aduerſus carnem.* Hæc enim inuicem aduerſantur, ut non quæcunq; uolumus illa faciamus. Hinc eſt, quod nondum Deo ſumus omnino ſubiecti: quia ex nobis naſcitur, quod diuinæ renititur iuſsioni. Nam licet ex gratia Dei ſit uoluntas nobis bona, quæ nos Deo reddat humiles, non nobis tamen deeſt prauæ cupiditatis exortus, qui nos faciat contumaces.

Gal. 5.

Per Dei ergo gratiā ſumus iam Deo ex parte ſubiecti, per culpam uerò noſtram

ſtram ſumus adhuc ex parte non ſubditi. Propter quod ad Hebræos dicitur, necdum omnia Chriſto eſſe ſubiecta. Sic enim ait: *In eo enim quod ei ſubijcit omnia, nihil dimiſit non ſubiectum ei. Nunc autē necdum videmus omnia ſubiecta ei.* Subiecti ſumus igitur Deo, ex eo quod ipſo nobis operante condelectamur legi Dei ſecundùm interiorem hominem: Necdum autem ſumus ſubiecti ex eo quod uidemus aliam legem in mēbris noſtris, repugnantem legi mētis noſtræ, & captiuantem nos in lege peccati, quę eſt in membris noſtris. Subiecti ſumus Deo: quia ipſius miſeratione eripimur à tentatione: (ipſi enim cantamus: *A te eripiar à tentatione,*) ſed necdum ſumus omnino ſubiecti: *quia tentatio eſt vita hominis ſuper terram.* Subiecti ſumus Deo, in quo greſſus noſtros dirigit ſecundùm uerbum ſuum, ut nō dominetur nobis omnis iniquitas: ſed necdum ſumus omnino ſubiecti: quia in multis offendimus omnes. Subiecti ſumus, inquantum ipſo donante, in

Deo ſumus partim ſubiecti, partim non ſubditi.
Heb. 2.
Pſ. 18.
Iob. 7.
Pſ. 119.
Iac. 3.

2. Cor. 10. carne ambulantes, non secundùm carnē militamus: sed necdum sumus omnino subiecti, quia etsi habemus ex dono Dei, ut mente seruiamus legi Dei, habemus tamen ex reliquijs peccati, ut carne
Rom. 7. seruiamus legi peccati. Propter quod Apostolus dicit: *Igitur ipse ego mente seruio legi Dei, carne autem legi peccati.*

Sancti mente seruiunt legi Dei: carne legi peccati.

Omnis enim qui nunc iustè uiuit, carne quidem seruit legi peccati, dum in se nasci carnalem concupiscentiam sentit, mēte autem seruit legi Dei: quia eidem carnali concupiscentiæ non consentit. Carne seruimus legi peccati, dum filij Babylonis nascentes, inquietant animā nostram: sed mente seruimus legi Dei, cùm ijdem paruuli Babylonis elidūtur ad petram. Babylon enim confusio interpretatur, cuius filia est omnis carnalis cupiditas, quam cordis confusio generat. Quamdiu autem in corpore peregrinamur à Domino, partus suos nobis integerit ista confusio. Ex ipsa quippe confusione omnis praua cogitatio nascitur, quæ paruula tunc ad petram eliditur,

Paruuli Babylonis eliduntur ad petram.
Ps. 137.

ditur, dum celeri recordatione atque opitulatione Christi superata calcatur.

Et gratias agere Deo, & ad eundē preces fundere debemus.

Igitur liceat habeamus, unde gratias agere Deo debeamus: quia nos sibi gratuita miseratione subiecit, ut humiles simus: habemus tamen, unde continuis precibus diuinas aures pulsare debeamus: quia quamdiu in hoc mortali corpore sumus sicut nō possumus sine peccato esse, sic necdum ualemus perfectā humilitatem diuinis iussionibus exhibere. Propter quod agendæ quidē sunt gratiæ Deo, inquantum nobis donat, ut benè operemur, ne muneribus eius existamus ingrati: & danda est opera, ut ad meliora proficiamus, ne mortiferam incidamus superbiam, si conuersationē nostram putemus ex omni parte perfectam.

Fleamꝰ hic, ut illic simus quieti.

Proinde gemamus & fleamus coram Domino qui fecit nos, ut à concupiscētia carnis & concupiscentia oculorū, & superbia seculi, quæ non est ex patre, sed ex mūdo est, liberet nos, & ad illam nos subiectionem perducat, in qua nobis ni-

 hil

hil repugnet ex mortalitatis uitio, sed ex immortalitatis dono totum, quicquid in nobis est, fiat subditum Deo.

Qualis in cœlo beatitudo. Tunc enim erit in nobis uera, perfecta, & excelsa humilitas, cùm & in carne, & in mente nostra, nulla remanserit praua cupiditas, nec cogitationibus fatigabitur Spiritus, laborib. macerabitur corpus, nulla erit sollicitudo certaminis, sed perfecta erit securitas pacis, nulla nobis erit iustitię indigẽtia, sed cũ delectatione saturitas plena. Ibi erimus perfecta celsitudine beati: quia pfecta erimus Deo carnis & spiritus humilitate subiecti. Ibi nec minor erit laudatione nostra dilectio, nec inferior dilectione laudatio. Erit enim plena nostra laudatio: quia tunc in nobis erit Dei proximique perfecta dilectio. Tunc laudabimus & habebimus & amabimus, tunc satiabimur cum delectatione, & delectabimur cum satietate.

BEA-

BEATI FVLGENTII DE CHARITATE ET EIVS DILECTIONE,

AD EVGYPPIVM ABBATEM:

EPISTOLA V.

Domino beatißimo, & plurimùm uenerabili, ac toto charitatis affectu desiderabili, sancto fratri & compresbytero Eugyppio, Fulgentius seruorum Christi famulus, in Domino salutem.



Tinam sancte frater, tanta meo facultas suffragaretur eloquio, ut ad explicandam spiritalem, quam ex tuarum literarum lectione percepi, dulcedinem uerba sufficientia reperirem, quod dum uolo, nec ualeo, mirum mihi aliquid euenisse cognosco, uidens gaudiũ, quod ex tuis sermonib. sumpsi, nõ posse meis sermonib. explicare. Nẽpe, quod mihi scripsisti, postquã cogitatione inuentum dispositumq́ est, sic in

Delectatio ex lectione literarum Eugyppij inexplicabilis.

literas digeſsiſti, ut aut ipſe manu ſcribe res, aut ore dictares. Vnde igitur factum eſt, ut os meum dilectionem dictando parere nō poſsit, quam cor meum ex tui oris dictatione concepit, quæ eſt inops opulentia, uel opulenta inopia, ut eo mi nus mihi ſermo ſufficiat, quo me magis affectus inſtigat? Et quod ideo loquor, quia delector, minus eloquar quàm delector. Quid rogo eſt hoc qđ eloquio ſignificare uolo, nec ualeo? Nimirum aliquid eſt, quod ſic corporali eloquio ſtilo ue ſignificatur, ut tamen non corporaliter, ſed ſpiritaliter habeatur.

Charitas primus fructus ſpiritalium donorum. In ſpiritalibus autem donis, primus fructus eſt charitas. Vnde non inordinatè eam Vas electionis ita poſuit: *fructus autem ſpiritus eſt charitas, gaudium, pax & cætera.* (*Gal. 5.*) Alio quoque loco, præcipuum quiddam cœleſtium uoluit ſigni ficare chariſmatum, cùm diceret: *Quia charitas diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.* (*Rom. 5.*) Hęc charitas, quàm Spiritus ſancti dono, cū indigni eſſemus, accepimus, tam bona,

tam ſancta, tam immenſa eſt, ut eam etiã qui habet in corde, nunquam poſsit ſermonibus explicare. O` qualis charitas multum miranda, multum laudanda, multumq́ꝫ diligenda.

Veruntamen non omnes, qui charitatem mirantur & laudant, ſtatim diligunt charitatem. Et ideo niſi eam quiſque diligat, nihil ei proderit, quòd eam miratur & laudat. Tunc autem fructuoſa eſt admiratio charitatis & laudatio, ſi non deſit in admirante atqꝫ laudante dilectio. *Charitatis dilectio.*

Sed nunquid, ſicut eam poſſunt admirari atqꝫ laudare, qui eam non habẽt, ita poſſunt eam diligere, qui eam necdũ habent? Nequaquam: Charitas quippe ipſa eſt dilectio. Quomodo autem dilectionem iam diligit, qui dilectionẽ habere non cœpit? *Charitatem non diligit, qui eam non habet.*

Nam ecce multa uiſu corporeo uidemus, ubi non hoc eſt ipſe uiſus, quod eſt illud quod eo uidemus: quia illud eſt ſenſus: quo uidemus: illud autem ſenſibile, quod uidemus. Et cùm illud, quod *A' diſsimili. Nõ ita charitas diligitur, ut uiſibile oculis corporis uidetur.*

uidetur, ab oculis tollitur, si sanitas inest oculis, sic illud quod uidebatur, à sensu uidentis aufertur, ut ipse sensus à uidente nullatenus auferatur. Ita fit, ut uidēdi sensus in homine maneat, quãuis ab eo quod uidebatur uisus ipse discedat. At cũ charitas diligitur: quia non nisi dilectione diligitur, non potest homo, tanquam oculum corporis à quacunq; re uisibili, sic à charitate intentionẽ auertere dilectionis, ut posit & charitatem non diligere, & dilectionẽ habere. Charitas quippe: id est, dilectio, nullatenus diligitur, nisi dilectio habeatur, qua ipsa dilectio diligatur. A' seipsa igitur dilectio diligitur: quia tunc diligitur, cũ habetur, nec diligitur nisi habeatur. Equidem potest diligi à nobis etiam cũ petimus, ut augeatur in nobis, sed non diligit eius augmentum, qui non habet initium.

2. Non ită diligitur charitas, sicut pecunia.

Non ergo sic charitas diligitur, sicut nummus aut aliquid eiusmodi. Potest enim quisque unum non habere nummu, & multitudinem diligere ac deside-

tare

rare nummorũ. Diligit ergo iſte nummorum multitudinem, cũ ne unius quidẽ nummi habeat facultatem. Apud ſe unum nummum non inuenit, & foris nummos innumerabiles quærit. Hoc & in cæteris rebus corporis inuenimus, ut aliquid eorũ poſsit diligi, ita, ut hoc ipſum quod diligitur, nulla ex parte habeatur.

Eſt tale quiddam & in pleriſque ſpiritalibus donis. Velut, ſi quis diligat (uerbi gratia) ut habeat prophetandi donũ, quod nullus negat, inter dona ſpiritalia literis Apoſtolicis contineri. *Alij quippe datur per ſpiritum ſermo ſapientiæ,* (ſicut Vas electionis affirmat) *alij autem ſermo ſcientiæ ſecundùm eundem ſpiritum, alteri fides in eodem ſpiritu, alij gratia ſanitatũ in vno ſpiritu, alij prophetia, alij dijudicatio ſpirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio ſermonum.* Hęc autem omnia operatur unus atque idem ſpiritus, diuidens ſingulis prout uult.

3. Non etiã ſicut alia dona ſpiritalia.

1. Cor. 12.

Cætera dona ſine bona uoluntate haberi poſſunt: charitas autem nequaquam.

Cùm igitur, ut de cæteris taceamus ſpiritalibus donis, poſsit diligi ꝓphetia

nec

nec haberi: charitas tamen nō habetur, si non diligatur, nec diligitur, si non habeatur: Ideo cætera sancti Spiritus dona: id est, linguæ, prophetia, Sacramentorum scientia, fides, facultatem in pauperes distributio, corporis quoq; ipsius exustio, possunt hæc haberi sine uoluntate bona, ad hoc scilicet, ut habentem onerent, non honorent. Charitas uerò sine bona uoluntate non potest haberi: quia uoluntatem, in qua charitas fuerit, malam fieri non permittit. Charitas enim nec agit perperam, nec cogitat malum. Et quia non gaudet super iniquitate, necesse est, ut in qua est, bonam faciat uoluntatem.

Maleuolus animus Charitatem nec impendit nec habet.

Maleuolus ergo animus non impendit charitatem alteri: quia non habet sibi. Cùm autem cœperit habere exordium, ut ita dixerim, charitatis nec maleuolus potest esse, nec sterilis. Et quia do nec permanet in charitate, in Deo permanet, & Deus in illo manet, semper habebit, si eam semper impenderit. Quando autem eam non impenderit, non habebit.

bebit. Proprium est enim charitatis, quod ad cursum præsentis attinet uitæ, ut in eo qui eam erogat, crescat ab eo autem, qui sibi tantum habere uoluerit, sine dilatione discedat. Ille igitur eam magis habebit, qui libenter impenderit. Quia sicut eam nec impendere potest nec habere maleuolus, sic nec habet eam quisquam nec impendit inuitus. Homo ergo beneuolus est domiciliũ charitatis. Hoc autem nomen, id est, beneuolus, ex benè & uelle compositum est. Si ergo alteri quisquam malè uelit, inquantum malè uult, beneuolus non est: ac per hoc maleuolus est. In maleuolam autem animam non introibit sapientia. Maleuolus autem homo ille propriè dicitur, nõ omnis qui uel sibi uel alteri contrarium aliquid cupit aut poscit, sed qui nocẽdi uoluntatem gerit, siue bonum siue malum possit esse quod cupit.

Voluntas autem uel bona uel noxia, non ex officio, sed ex fine, ei est cuiusque pensanda: quia non ex eo quod facit, sed ex eo propter quod facit, qualitatem suæ

Voluntas bona uel mala non ex officio, sed ex fine æstimanda.

2.Cor. 12. suæ quisque uoluntatis ostendit. Nam & Paulus contrarium sibi aliquid uolebat, cùm posceret, ut ab eo stimulus auferretur, quem salubriter aduersus uitiũ elationis acceperat, nec tamen habuit maleuolam mentem, quamuis utilitati suæ contrariam gereret uoluntatem. Vt enim à se stimulum, quo colaphisabatur, rogaret auferri, salutem corporis sui plus uolebat prædicationi prodesse quã sibi, non quærens, quod sibi utile esset, sed quod multis, ut salui fierent. Illis ergo uolebat prodesse sospitatem suam, quibus suam prodesse sciebat & uitam.
Phil. 1. Denique cùm desiderium haberet dissolui, & esse cum Christo, quod esset multo melius, sciebat tamen manere in carne, necessarium esse, propter illos, in quibus Apostolatus ministrabat officium. Charitas ergo eum Christi urgebat, siue cùm à se stimulum rogaret auferri, siue cùm in carne, quamuis aliud desiderans, cuperet immorari. Coarctabatur enim latitudine Charitatis, ut & cum Christo deside-

raret

raret esse, & officium uellet piæ necessitatis implere. Charitatem igitur utrobique dilexit, quam semper bona uoluntate sperauit. Quisquis itaq; secundùm charitatem (quæ Deus est) diligit fratrem, ipsam in eo quammaximè diligit charitatem: Ideo cū Saluator noster Apostolos suos nouo dignaretur innouare mandato, dicens: *Mandatum nouum do vobis, vt inuicem diligatis*: iubens per se fraternitatem diligi, ipsam quoque charitatem fraternitatis per Apostolum Paulum præcipit, diligendam. Christo enim in se loquente, gentium Magister uult nos *dilectionem habere sine simulatione, odientes malum, adhærentes bono, charitatem fraternitatis inuicem diligentes.*

Qui diligit fratrem, diligit ipsam charitatem.

Ioan. 13.

Rom. 12.

Hinc est, quòd in undecimo confessionum libro egregius ille doctor, Beatus scilicet Augustinus, cum Deo amorem suum, quem ut eum diligeret, ab ipso acceperat, confiteretur, ait: "Iam dixi "& dicam, amore amoris tui facio istuc. Psalmum quoque centesimum duodeuige-

B. Augustini testimoniū.

deuigesimumq; exponens, cùm illius loci intelligentiam explanaret, ubi dicitur: *Incola ego sum in terra, ne abscondas à* Ps. 119.
,, *me mandata tua:* post aliqua sic ait: Quid
,, autem diligendum diligitur, si ipsa dile-
,, ctio non diligatur? Vnde consequenter
,, iste incola in terra, cùm Dei mandata, ne
,, absconderentur, orasset, in quibus dile-
,, ctio præcipitur, uel sola, uel maximè i-
,, psius dilectionis dilectionem se uelle ha
,, bere proclamat, dicens: *Concupiuit ani-* Ibid.
,, *ma mea desiderare iustificationes tuas in*
,, *omni tempore.* Nónne tibi uidetur apertè Propheticis atque Apostolicis dictis tracta Beati Augustini de diligenda dilectione sententia?

Dilectio Dei & proximi est dilectio Charitatis.

Quocirca dilectio Dei & proximi, quę plenitudo legis, finisq; pręcepti est, & in Deo charitatem diligit, quæ Deus est, & in proximo charitatē diligit, quæ ex Deo est. Tunc enim rectè Deus proximusq; diligitur, si & in Deo & in proximo ipsa charitas diligatur. Ita fit, ut & in Deo ipsum Deũ, & in proximo Deũ, sine dubio diligamus. Neq; enim fru-

strA

ſtra poſt dilectionem Dei, non alia niſi proximi ſola nobis eſt mãdata dilectio: ſcilicet, ut agnoſcamus, illam creaturam nos debere diligere, ubi charitatẽ ipſam poſſumus inuenire. Omne nanq; animal irrationale, ſicut non habet rationem, ſic non habet charitatem. Nec aliud mihi uidetur eſſe ratio præcipua, quàm competens atque ordinata dilectio, quæ ab homine ſoli Deo debetur & proximo.

Vide ſancte frater, quàm prolixũ tecum conſerui de charitate ſermonem, dum nimis in te, ipſam diligo Charitatem. Quam utiq; ipſe quoq; in nobis diligis. Nec ob aliud, niſi quia hanc in nobis ſic amas: quia dono Dei plenus es, ut etiam quos diligis, ſimiliter plenos eſſe deſideres. Hoc ergo ſupereſt, ut quia nos purê diligis, inſtanter pro nobis orare digneris, ut Deus qui nos prior dilexit, & dedit nobis charitatẽ, qua diligatur à nobis ſicut non habentibus, ipſe eam, gratia preueniente, largitur, ſic in nobis omnes reliquias mundanæ cu-

Ex mutua igitur charitate pro nobis inuicem oremus.

piditatis absumat, & nos Spiritu seruientes in charitate perficiat. Illiusq́ nos faciat beatitudinis compotes, in qua sicut nulla est delectatio praua, sic nulla mors timetur ex pœna, ubi nihil quisquam ex carnis fragilitate perpetitur, sed ab omnibus sanctis Dei & proximi perfecta semper charitate regnatur.

Conclusio. Orantem pro nobis sanctitatem suã, clementia diuina custodiat, quod opto Domine sancte ac beatissime frater. Dominus Ianuarius sanctitatem tuam toto salutat puritatis, & plenæ rationis affectu. Benedictionem à uobis directam, tota cum exultatione suscepi, Libros sicut præcepisti, ad Monimum datos, in quaternionibus destinaui, in quibus, si aliquid placuerit, utinam ueritatis, & nõ solùm amoris esse cognoscam: Hi sunt igitur meæ paruitatis oblatio, quam uobis faciet puritatis uestri cordis acceptã. Suggestione fratris cõmunis accepta, quæso, ut adiutrix adsit uestræ charitatis industria. Obsecro ut libros, quos opus habemus, serui tui describant de codicibus uestris.

BEA-

BEATI FVLGENTII DE CONVERSIONE à ſeculo, AD THEODORVM SENATOREM: EPISTOLA VI.

Domino illuſtri, & merito inſigni, ac præſtãtiſsimo filio Theodoro, Fulgentius ſeruorũ Chriſti famulus in Domino ſalutẽ.



T ignotus corpore uidear epiſtolari tibi meã notitiã inſerre ſermone, quæſo ne impudẽtiæ deputes, neúe importunitati opus charitatis aſsignes. Ad ſcribendũ nãq; primũ ſancti fratris Romuli dulcis Epiſtola, deinde fratrũ exinde uenientiũ q à uobis in Domino benignè ſuſcepti ſunt, eò me magis ſuaſio cõpulit, quo ueſtri ſpiritalis ꝓpoſiti cognitio libentius inuitauit. Retulerunt quippe quòd Chriſti compulſus affectus, noſtri nominis in colloquio benignè feceris mentionẽ, dicens te noſtra Epiſtola delectari. Libens igitur feci, quod te uelle libenter agnoui, malens incultus uideri ſermone, quàm eſſe frigidus charitate,

Excuſat ſe quòd ſcribat ad ignotum.

Occaſio ſcribendi.

Domine illuſtris & meritò inſignis ac præſtantiſsime fili.

Gratulatur ei de conuerſione.

Itaq; multum gaudeo, quòd iam ſecularis dilectionis nexibus non teneris, & mundum cõtemnendo calcas, à quo cùm eũ diligeres, calcabaris. Nunc uerò conſulatu proueheris, nunc felici triumpho certiſsimè ſublimaris, non cui populus Romanus applaudat, ſed cui angelicus cœtus adgaudeat. Beatus es quia hoc non caro & ſanguis reuelauit tibi, ſed ille Pater qui eſt in cœlis, inter quos cœlos & tu factus es cœlũ. Quantum putas ineſſe luctũ Diabolo, quòd à te contemptum perſpicit mundum, & te conuerſum cognoſcit ad Chriſtum, quòd te uidet ea, in quibus uideris eſſe, deſerere, & ab amore temporalium terrenarumq́; rerum, ad illa cœleſtia & æterna, iam corde migrare? Quamuis enim Chriſtus æqualiter ſit pro cunctis fidelibus mortuus, & æquale cũctis beneficium redemptionis impenderit (dicente Apoſtolo: *Quicunq; in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. Non eſt ſeruus*

Gal. 3.

uus neq; liber, non est masculus neq; fœmina, omnes enim vos vnum estis in Christo Iesu,) tamen conuersio potentium seculi multũ militat acquisitionibus Christi.

Exempla optimatũ trahunt post se multitudinẽ.

Sicut enim multi fratres & amici, clientes & subditi, noti pariter & ignoti, talium authoritate, ad mundanę dilectionis excitantur ardorem, & eo magis igne secularis concupiscentiæ succenduntur, quo sublimes seculi dilectione mundana libenter captiuos teneri conspiciunt: ita quotiens ille, qui respicit in terram, & facit eam tremere, qui tangit montes, & fumigabũt, dum terrenis rebus intenta corda misericorditer respicit, & consideratione iudicij sui tremere compellit, dumq; cõtingit superba corda sublimium, uelut altitudines montium, ut confessione fumigent peccatorum, in talium tremore plurimi contremiscunt, & in talium conuersione multi ad subsidium miserationis diuinæ cõfugiunt. Ita fit, ut qui sunt in seculi culmine cõstituti, aut plurimos secum perdant, aut secum multos in uia salutis ac-

quirant. Magna tales, aut pœnasma-net, si multis præbeant malæ imitationis laqueum, aut gloria, si multis ostendant sanctæ conuersationis exemplum. Quis enim non paruam despiciat cellam, quando senator domum despicit marmoratam? Quis non terrena contemnens ad acquirenda cœlestia sibi cōsulat, quando ad cœlum Romanus consul terrenorum contemptu festinat?

Conuersio Dei opus est.

Verè in te illud, quod Propheta cecinit, opere uidemus impleri: *Hæc est mutatio dextræ excelsi.* Quis enim in te hoc operari potuit, nisi ille, qui ordinem mutabilium rerum, secundùm incommutabile nouit regere ac dispensare consiliū? Quia ut singula pro opportunitate temporum, pro uarietate causarum, uel in deterius uel in melius commutentur, illius incommutabili consilio fit, qui nec melioribus rebus nec deteriorib. commutatur. Neq; enim habet ubi proficiat ipse in melius, aut unde in deterius deficiat. Ille quod est, semper est: & sicut est, ita est: nō in se habet nō esse posse, quod

Deus tamen immutabilis.

est:

est: quia nec in se habet esse posse, quod nō est. Et hoc quod sic est, nō initio prę-uenitur, non fine concluditur, non temporibus uoluitur, non locis continetur, non ætatibus uariatur. Nihil ibi deest: quia totum in illo est. Nihil ibi superest: quia nihil præter illum est.

Si qui ergo rerum temporalium & mutabilium amore contempto, in illius dilectionem transeunt, in ipso erunt pleni, in quo nihil indigetur: in eo securi, in quo nihil metuitur: in eo uerè semperq; gloriosi, cuius uera & sempiterna gloria nec aufertur, nec minuitur, nec augetur. Quis non illius uitæ desiderio, præsentem uitam despiciat? Quis non illius abundantiæ delectamento, diuitias temporis labentis exhorreat? Quis non illius regni dilectione, omnia terrena regna contemnat? *Qualis uita æterna.*

Illā ergo uitā tunc accipiemus, si huic nos uitæ mortuos æstimemus & illas diuitias tūc possidebimus, si hîc pauperes spiritu uiuamus, & ad illius regni culmē tunc perueniemus, si hîc humilitatē, quā *Beati mortui, pauperes, humiles in hac uita.*

Deus ille Magister docuit, uero corde teneamus. Talibus mortuis dicit Beatus
Col. 3. Apostolus: *Mortui enim estis, & vita vestra, abscondita est cum Christo in Deo, cũ Christus apparuerit, vita vestra, tunc & vos apparebitis cum illo in gloria.* De talibus etiam pauperibus ipse Dominus lo
Matth. 5. quitur, dicens: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* De ta-
Luc. 14. libus quoq; humilibus dicit: *Quoniam qui se humiliauerit, exaltabitur.* Et alio
Matth. 11. loco: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris.*

Hanc humilitatem non habent, siue qui mundum diligunt, seu qui suis uiribus asignant, cum ea quę sunt in mun-
Superbiæ duo genera. do contemnunt. Hæc duo superbiæ genera uno uersiculo Spiritus sanctus de-
Psal. 49. signauit in Psal. dicente Dauid: *Qui confidunt in virtute, quiq; in abundantia diuitiarum suarum gloriantur.* In abundantia enim diuitiarum suarum gloriantur, qui sic diuitias suas diligunt, ut in ipsis summam beatitudinis collocent. In sua

uerò uirtute confidunt, qui sic contemnunt diuitias, ut ipsum contemptũ uiribus suis assignent. Ac per hoc utriq; superbi sunt. Illi, quia in diuitijs cõfidunt, nõ in Deo: Illi aũt, quia qđ diuitias spernũt, sibi uolũt assignare, nõ Deo. Illi, qa quod benè diligi non potest, malè diligunt: isti, quia quod benè sperni potest, non benè spernunt. Ac per hoc, illi malũ malè faciunt: isti bonum malè operãtur.

Proinde, quoniam Domino in te misericorditer operante, iam didicisti, in abundantia diuitiarũ tuarũ nõ gloriari, hoc superest, ut non confidas in uirtute tua: id est, ne deputes uiribus tuis, quòd seculi facultates diuitiasq; contemnis, quod honores mundi pro nihilo ducis, quod desiderio regni cœlestis accenderis, quòd uiam mandatorũ Dei currere delectaris. Hæc enim omnia nullatenus haberes nisi à Deo munere gratuitę donationis acciperes. Non hoc homini dat natura, sed gratia. Non hoc ex qualitate cõditionis humanę habetur, sed ex benignitate diuinæ illuminationis acqritur. *In uirtute sua homo ne confidat.*

Posse et Esse in Deo sunt coniuncta: in creaturis seiuncta.

Homo quidẽ sic à Deo factus est, ut hæc habere posſit, ſed habere nõ poteſt, niſi dono Dei miſerãtis acceperit. Nam & oculus ſic factus eſt, ut uidere lumen poſſit: ſed uidere non poteſt, niſi ſe illi lumen infuderit. Quod ergo uidet oculus beneficium eſt luminis, quo ſi caruerit, cęcus remanebit in tenebris. Nõ omne, quod aliquid eſſe poteſt, iam hoc eſt quod eſſe poteſt, cui naturaliter hoc eſt eſſe poſſe quod ſemper eſt. Hic autem unus Deus ipſa Trinitas eſt: id eſt, Pater & Filius & Spiritus ſanctus, qui ſolus eſt omnium rerum creator: quia ſolus à nullo creatus eſt. Omnia uerò, quoniam ab illo creata ſunt, non de illo, naturaliter & detrimento ſubiacent & cremento.

Gratia Dei operatur omnia in nobis.

Vt ergo quædam in deteriora nõ recidant gratia eius gubernat: & ut quædam ad meliora conſcendant, gratia ipſius eleuat: & ut æternum permaneãt, ipſa gratia uiuificat & conſeruat. Huius gratiæ adiutorium ſemper eſt nobis à Deo poſcendum, ſed ne ipſum quod poſcimus noſtris uiribus aſsignemus:

neque

neque enim haberi poteſt ipſe ſaltem orationis affectus, niſi diuinitùs fuerit attributus. Vt ergo deſideremus adiutorium gratiæ hoc ipſum quoque opus eſt gratiæ. Ipſa nanque incipit infundi, ut incipiat poſci: ipſa quoque amplius infunditur, cùm poſcentibus datur. Quis uerò poteſt gratiam poſcere, niſi uelit? Sed niſi in eo Deus ipſam uoluntatem operetur, uelle nullatenus poterit. Propter quod Beatus Apoſtolus, non ſolùm bona opera hominum, ſed etiam bonam uoluntatem Deum in nobis operari teſtatur, dicens: *Deus eſt enim qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate.* Phil. 2. Hoc eſt quod ſolicitudinem fidelibus humilitatemqúe commendans, permiſit dicens: *Cum timore & tremore veſtram ſalutem operamini.* Ibid. Et ibi adiecit: *Deus eſt enim qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate.* Vt ad eum quoque ueniamus, currimus: & ideo currimus, quia currere uolumus. Sed ne uel uoluntatẽ uel ipſum curſum aſsignemus

mus uiribus nostris, idem nos informat Apostolus, dicens: *Non volētis, neq; currentis, sed miserentis est Dei.*

Rom. 9.

Superbia igitur est detestabilis.

Quocirca, ut in his bonis quæ à Deo accepisti, permaneas & proficias, ut nec in uia remaneas, nec retrô redeas, nec in dextram sinistramúe diuertas, quicquid habes bonæ uoluntatis uel bonæ operationis Deo assigna qui dedit: & ipsum humiliter roga, ut & conseruet & augeat qđ donauit. Nihil tibi boni tanquam tuum assignes, ne non accipias, quod accipere poteras, & quod acceperas, perdas. Detestabilis est enim cordis humani superbia qua facit homo, quod Deus in hominibus damnat: sed illa detestabilior, qua sibi tribuit homo, quod Deus hominibus donat. Tanto enim deterioris tenetur iste superbiæ reus, quãto in melioribus donis existit ingratus. Damnabilis est, qui substantia seculi malè utitur, sed damnabilior, qui spiritalibus donis superbus effertur.

Humilitas animi est sub-

Crescat igitur in te humilitas animi, quæ uera est & integra sublimitas Christiani,

ſtiani, & tanto magis in te cognoſce Dei gratiā creſcere, quāto magis tibi humilitatē cordis uideris abundare. Quā ut ſemper habeas, in qua ut ſemper proficias, cū timore & tremore tuā ſalutem operare. Nec lectio deſit operib. bonis, nec bona opera deſint ſtudio lectionis. Bona coram Deo & hominib. prouide. In Scripturis ſanctis ſtudiū tui cordis impende. Et ibi ſi fueris, qui ſis, quiq; debeas eſſe cognoſce. Ad has ſi humilis & mitis acceſſeris, ibi ꝓfectò inuenies, & prȩuenientē gratiā, qua poteſt eliſus ſurgere, & comitantē, qua uiā recti queat itineris currere, & ſubſequentē, qua ualeat ad regni cœleſtis beatitudinē ꝑuenire. *Humilitas Chriſtiani.*

Sanctam multumq; in Chriſto uenerabilem matrē ueſtram, quȩ tuo ſpiritali ſtudio Chriſtiana fide, & uere materna charitate concordat, ſed & uenerabilem ſororem tibi iam in Chriſto coniugem tuā, obſecro, ſalutare digneris. Inſeparabilis Trinitas protectione uos uirtutis ſuæ cuſtodiat, quod opto, Domine illuſtris fili.


BEA-

BEATI FVLGENTII DE RECTA POENITENTIA, ET FVTVRA retributione, AD VENANTIAM:

EPISTOLA VII.

Dominæ illustri & meritò uenerabili, filiæ Venantiæ, Fulgentius seruorum Christi famulus, in Domino salutem.

Venantiam tanquam arborē ex fructibus sibi cognitam.



Icut uera lux nullatenus obscuratur, ita nunquam ueritas ęterna mentitur. Lux autem & ueritas Deus est, de quo scriptum est: *Erat lux*
Ioan. 1. *vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Ipsa quoque
Ioan. 8. lux & ueritas dicit: *Ego sum lux mundi.*
Ioan. 14. Et rursus de se ait: *Ego sum via, veritas, & vita.* Ipsius ergo doctrina monemur:
Matth. 7. quia arbor bona bonos facit fructus, & quia ex fructib. arbor agnoscitur, in ipso te, domina illustris & meritò uenerabilis filia, cū sis ignota, iam scio: in ipso tibi, cū sis tam procul constituta, congaudeo.

Per

Per Epiſtolam ſiquidem clariſsimi Filij mei Iunilli, propoſitum ſimul & ſtudium tuę Chriſtianitatis agnoui, qui mihi gratiam, quam tibi largitus eſt Deus, intantum ſignificari curauit, ut in ſuis literis tuæ quoq; ſalutationis mihi demõſtraret indicium. Hoc proculdubiò non feciſſes, niſi Chriſtum tota punitate mẽtis in ſuis famulis dilexiſſes: nec incognitum ſeruum tam benignè in Domino ſalutares, niſi Dominum pio corde geſtares. Gratias illi, qui multiplicat gaudiũ noſtrum de charitate fidelium. Ipſe eſt charitas, quę credentes perducit ad Deum: quia ipſa charitas eſt Deus. Vnde Ioannes Apoſtolus dicit: *Deus charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in illo manet.* 1. Ioan. 4.

Hęc ubi habitare cœperit, nõ permittit dominari peccatũ, ſed cooperit multitudinem peccatorũ. Nec ſolũ præſentia peccata facit uitari, quinetiã præterita omnia relaxari. Hãc ſuperbi cõtumacesq; repudiãt, qui de peccatorũ remiſſione deſperant. Et nõ ſolùm ſalutis ſuæ

Charitatis multiplex bonum contra peccatum.


curam

BEATI FVLGENTII DE RECTA POENITENTIA, ET FVTVRA retributione, AD VENANTIAM:

EPISTOLA VII.

Dominæ illustri & meritò uenerabili, filiæ Venantiæ, Fulgentius seruorum Christi famulus, in Domino salutem.

Venantiam tanquam arborē ex fructibus sibi cognitam.



SIcut uera lux nullatenus obscuratur, ita nunquam ueritas ęterna mentitur. Lux autem & ueritas Deus est, de quo scriptum est: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Ipsa quoque lux & ueritas dicit: *Ego sum lux mundi.* Et rursus de se ait: *Ego sum via, veritas, & vita.* Ipsius ergo doctrina monemur: quia arbor bona bonos facit fructus, & quia ex fructib. arbor agnoscitur, in ipso te, domina illustris & meritò uenerabilis filia, cū sis ignota, iam scio: in ipso tibi, cū sis tam procul constituta, congaudeo.

Ioan. 1. *Ioan. 8.* *Ioan. 14.* *Matth. 7.*

Per

Per Epiſtolam ſiquidem clariſsimi Filij mei Iunilli, propoſitum ſimul & ſtudium tuę Chriſtianitatis agnoui, qui mihi gratiam, quam tibi largitus eſt Deus, intantum ſignificari curauit, ut in ſuis literis tuæ quoq; ſalutationis mihi demōſtraret indicium. Hoc proculdubiò non feciſſes, niſi Chriſtum tota punitate mētis in ſuis famulis dilexiſſes: nec incognitum ſeruum tam benignè in Domino ſalutares, niſi Dominum pio corde geſtares. Gratias illi, qui multiplicat gaudiū noſtrum de charitate fidelium. Ipſe eſt charitas, quę credentes perducit ad Deum: quia ipſa charitas eſt Deus. Vnde Ioannes Apoſtolus dicit: *Deus charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in illo manet.* 1. Ioan. 4.

Hęc ubi habitare cœperit, nō permittit dominari peccatū, ſed cooperit multitudinem peccatorū. Nec ſolū præſentia peccata facit uitari, quinetiā præterita omnia relaxari. Hāc ſuperbi cōtumacesq; repudiāt, qui de peccatorū remiſſione deſperant. Et nō ſolùm ſalutis ſuæ curam

Charitatis multiplex bonum contra peccatum.

curã miſeranda cæcitate reijciunt, quin-etiã fideles animas, ſi peruertere nequeunt, perturbare mortiferis ſermonibus non quieſcunt. His etenim plerunq; aut peccatorũ immanitas, aut ætatis nequiter peractæ longęuitas, ſpem ſalutis adimit, & ad deteriora perpetranda cõpellit: ita ut in talibus illa Sanctæ ſcripturæ ſententia compleatur: *Peccator cùm in profundum malorum venerit, contemnit.* Et uerè malorum profunditas necat, ſi quos deſperatio indulgentiæ deteſtanda cordis obduratione præiudicat.

Prou. 18.

De Dei miſericordia nequaquam deſperandũ.

Quis enim nõ uideat, quàm ſit impium, quamq; ſacrilegũ, ſi homini per pœnitentiam præteritorũ malorũ ad bona cõuerſo, credatur cuiuſquã peccati dari non poſſe remiſsio? Quid autem aliud his uerbis agitur, niſi ut omnipotentis medici manus, ſub humanæ ſalutis effectu, deſperationis uitio repellatur? Ipſe quippe medicus ait: *Non indigent, qui ſani ſunt, medico, ſed qui malè habent.* Si peritus eſt medicus noſter, omnes poteſt infirmitates ſanare. Si miſericors eſt Deus

Matth. 9. Marc. 2. Luc. 5.

Deus noſter, uniuerſa poteſt peccata dimittere. Non eſt perfecta bonitas, à qua non omnis malitia uincitur, nec eſt perfecta medicina, cui morbus aliquis incurabilis inuenitur. Scriptum uerò tenetur in literis ſacris: *ſapientiam autem non vincit malitia*. Sap.7. Et omnipotentia medici noſtri talibus in Pſalmo ſermonibus intimatur: *Benedic anima mea Dominum,* Pſal.103. *& omnia interiora mea nomen ſanctum eius. Benedic anima mea Dominum, & noli obliuiſci omnes retributiones eius. Qui propitius ſit omnibus iniquitatib. tuis, qui ſanat omnes languores tuos, qui redimet de interitu vitam tuam, qui ſatiat in bonis deſiderium tuum, qui coronat te in miſeratione & miſericordia, renouabitur ſicut aquila iuuentus tua*. Quid rogo nobis putemus remitti nõ poſſe, cùm propitius ſit Dominus omnibus iniquitatibus noſtris? Aut quid in nobis æſtimamus ſanari nõ poſſe, cùm Dominus ſanet omnes languores noſtros? Aut quomodo ſanato & iuſtificato, indigentiæ aliquid relinquitur, cuius deſideriũ

in nobis satiatur? Vel quatenus plenæ remissionis beneficio potiri non creditur, cui etiam corona in miseratione & misericordia condonatur? Nemo igitur de medico desperans, in infirmitate remaneat, nemo misericordiam Dei minorans, in iniquitatibus contabescat. Apostolus clamat: *Quia Christus pro impijs mortuus est*. Ipse itidem dicit: *Quia Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere.*

Rom. 5.
1. Tim. 1.

Peccata etiam post baptismũ commissa, sunt remissibilia.

Sed forsitan dicitur, illos peccatores posse saluos fieri, qui post peccata merentur Baptismatis ablutione mundari, deinceps autem, peccata, quæ uidetur baptisatus admittere, irremissibilia permanere. Nunquid non baptizatis loquebatur Ioãnes Apostolus, quibus dicebat: *Filioli mei, hæc scribo vobis, vt non peccetis: Et si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum, & ipse est exoratio pro peccatis nostris.*

1. Ioan. 2.

Quoduis peccatũ remittitur conuerso.

Qualecunque sit ergo peccatũ, à Deo quidem potest remitti conuerso, sed ille sibi

sibi remitti non sinit, qui desperando, contra se indulgentiæ ostium clauserit. Cæterùm ueritas non mentitur, quæ dixit: *Quærite & inuenietis, petite & accipietis, palsate & aperietur vobis: omnis enim qui quærit, inueniet: qui petit, accipiet & pulsanti aperietur*. Vnde & Propheta sanctissimus Esaias, ad remissionē peccatorum nullatenus desperandam impios & iniquos hortatur, dicens: *Quærite Dominū, dum inueniri potest, inuocate eum, dum propè est. Derelinquat ergo impius viam suam, & vir iniquus cogitationem suam, & conuertatur ad Dominum: quia multus est ad ignoscendum*. Relinquat ergo impius uiam suam, qua peccat, relinquat iniquus cogitationē suā, qua de peccatorum remissione desperat, & secundùm Prophetę dictum, conuertatur ad Dominum: quia multus est ad ignoscendum. In hoc multo nihil deest, in quo est omnipotēs misericordia, & omnipotentià misericors est. Tanta est autem & benignitas omnipotentiæ & omnipotentia benignitatis in Deo,

Matth. 7.

Esa. 55.

ut nihil ſit quod nolit aut non poſsit relaxare conuerſo.

Salubris cõuerſio quæ.

Salubris autem conuerſio duplici ratione conſiſtit, ſi nec pœnitentia ſperantem, nec ſpes deſerat pœnitẽtem: ac per hoc, ſi ex toto corde quiſquam renunciet peccato ſuo, & toto corde ſpem ponat remiſsionis in Deo. Etenim nõnunquam aut ſpem pœnitenti homini Diabolus adimit, aut ſperanti pœnitentiam tollit. Vnum, dum onerat, comprimit: alterum, dum eleuat, deijcit.

Iudæ pœnitentia ſine ſpe.

Iudas qui Chriſtum tradidit, peccati ſui pœnitentiam geſsit, ſed ſalutem perdidit: quia indulgentiam non ſperauit. Deniq; ſic de illo Euangeliſta loquitur: *Tunc videns Iudas, qui eum tradidit quia damnatus eſt, pœnitẽtia ductus, retulit triginta argenteos principibus ſacerdotum & ſenioribus, dicens: Peccaui tradens ſanguinem iuſtum. At illi dixerũt: Quid ad nos? tu videris. Et proiectis argẽteis in templo, ſeceſsit, & abiens, laqueo ſe ſuſpendit.* Dignè quidem pœnitentiã geſsit: quia peccauit, tradens ſanguinẽ iuſtum: ſed ideo ſibi

Matth. 27.

ſibi fructum pœnitẽtiæ denegauit: quia peccatum traditionis ſuæ ipſo, quem tradidit, diluendum ſanguine non ſperauit.

Pleroſq; ſub una ſpe indulgentiæ in peccatis Diabolus tenet, & compellit eos Dei iuſtitiã non metuere, quos inaniter ſuadet de Dei bonitate gaudere. Tales dicunt ſecundùm Apoſtoli obiurgationem: *Faciamus mala, vt veniant bona, quorum damnatio iuſta eſt.* *Aliorũ ſpes ſine pœnitentia.* *Rom. 3.*

His indicijs euidenter agnoſcimus, inaniter hominem pœnitere, ſi dum pœnitentia geritur, indulgẽtia deſperatur: & fruſtra indulgentiam ſperari ſine peccatorum pœnitẽtia. Ac per hoc, nec ſub ſpe remiſsionis debet aliquis peccare ſecurus, nec peccatorum ſuorum conſiderans multitudinem, remanere cathena deſperationis obſtrictus. Hortatur enim nos Scriptura ſancta, ut peccare iam deſinamus, nec deſperemus nobis remittenda quæ fecimus. Dicit quippe: *Fili peccaſti, ne adijcias iterum, ſed & de præteritis deprecare, vt tibi dimittantur.* *Non igitur pœnitentia, à ſpe autem hæc ab illa ſeparanda.* *Eccli. 21.*

Vtranq; sancta Scriptura pręmonuit, & ostēdit, quòd nec in peccato debeamus remanere, nec de remissione cuiuslibet iniquitatis ambigere. Cur enim iubetur, ne adijciamus peccata peccatis, si est in peccato manendum? Aut cui iubetur, ut de præteritis deprecemur, ut nobis dimittantur, si sunt aliqua, quæ deprecantibus dimitti nullatenus possunt? An forsitan temporum cuiquam prodesse longæuitas, ut sicut peracto tricennali spacio nullus sinitur legibus humanis ablata repetere, sic legibus diuinis, post longa peccandi spacia: non liceat indulgentiam postulare? Absit, ut hoc sit in Deo nostro, quod in litibus habet humana conditio. Deus etenim noster sic est misericors & bonus, sicut infinitus est & inuictus: proinde bonitas inuicti non uincitur, & infiniti misericordia non finitur.

Omne tempus vitæ p̄sentis esse pœnitentiæ aptum, multis & authoritatibus & rationibus probatur.

Denique omne uitæ præsentis tempus conuersioni demonstrat aptissimū, dicens: *Iniquus, si se conuertat ab omnibus iniquitatibus suis quas fecit, & custodierit omnia*

omnia mandata mea, & faciat iustitiam & misericordiam, vita viuet & non morietur. Omnia delicta eius, quæcunque fecit, non erunt in memoria. In sua iustitia, quã fecit, viuet. Nunquid voluntate volo mortem peccatoris, dicit Dominus, quàm vt auertatur de via sua mala, & viuere eum? Cùm se autẽ auerterit iustus à iustitia sua & fecerit iniquitatem, secundùm omnes iniquitates quas fecit ille iniquus, omnes iustitiæ eius, quas fecit, non erunt in memoria. In delicto suo, quo deliquit, & in peccatis suis, quibus peccauit, in ipsis morietur. Et infrà dicit: *In eo cùm conuertat se iustus à sua iustitia, & faciat delictum & moriatur in suo delicto quod fecit, in ipso morietur. Et in eo quod auertatur iniquus ab iniquitate sua quam fecit, & faciat iudicium & iustitiam, hic animam suam custodiuit, & auertit se ab omnibus iniquitatibus suis quas fecit, vita viuet & non morietur.* Vtraque sententia uera est: quia utraque diuina est, siue iustum, cùm auersus fuerit à iustitia sua, omnes iustitias eius obliuioni tradendas: siue iniquum,

Ezech. 18.

cùm ab iniquitate fuerit cõuersus ad iustitiam, ipsum saluandum, & omnes iniquitates eius in memoria non futuras.

Iniquum uerò est, si putemus iniquũ quandoq; conuersum, non posse saluari. Iustus est Deus & misericors. Sicut ergo potest per iustitiã damnare auersum, sic potest per misericordiã semper saluare cõuersum. Nulla prolixitas temporis uel æquitati diuinæ uel pietati præiudicat. Pœnitentia nunquã est apud Deum sera, in cuius conspectu semper pro præsentibus habentur, tàm præterita quàm futura. Si diuturnitas peccatorum Dei uinceret misericordiã, non in ętate mundi nouissima Christus ueniret, ut peccatum mundi pereuntis auferret. De quo

Ioan. 1. dicit Ioannes: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi*. Et ipse Saluator de

Matth. 18. se: *Venit enim Filius hominis quærere & saluare quod perierat.*

Samaritani parabola. Samaritanus noster nũquam uulneratum ad stabulum misericorditer impositum iumento perduceret, si aliquod in eo uulnus insanabile iudicaret. Nunquam

quam duobus denarijs datis, redditurũ se, quicquid supererogaret, stabulario spopõdisset, si supererogationem illam non plenæ sanitati prænosceret profuturam. Vt quid enim stabularius aliquid supererogat, si est in saucio uulnus, qđ curari nõ ualeat. Sicut ergo medico nostro nulla est incurabilis plaga, ita nec in aliquo tempore, cœlestis potest deficere medicina. Ideo ipse medicus, semper se posse conuerso salutem donare testatur, dicens: *Cùm conuersus fueris, & ingemueris, saluus eris.* Propter quod duritiam quorundam sic per Hieremiã Deus nõ desinit increpare: *Nunquid qui cadit nõ resurget, aut qui conuersus est non reuertetur? Quare ergo auersus est populus iste in Hierusalem auersione contentiosa? Indurauerunt ceruices suas, noluerunt reuerti.* Non punit Deus in peccatore peccata, si peccatoris ceruix non fuerit indurata. Bonum nobis est igitur, si ad eius misericordiam confugiamus, cuius effugere iustitiam non ualemus. Ipsa enim iustitia Dei talis est, ut auersos damnet, con-

Duritia peccatorum.

Ierem. 8.

 uersos

uersos saluet. Propter quod dicit: *Con-*
Esa. 45. " *uertimini ad me, & saluabo vos.* Semper aũt delectatur conuersione nostra, nec tempus huiusmodi, quãdiu in hac uita est, posuit, quo propitiari conuerso non possit. Imò tempus omne præsentis uitę conuersioni nostræ cognoscitur deputasse. Beatus enim Petrus dicit: *Non tar-*
2. Pet. 3. *dat Dominus promissum suũ, sicut quidam tarditatem existimant, sed patienter fert propter vos, nolens aliquem perire, sed omnes ad pœnitentiam conuerti.*

Parabola de operarijs in vinea.

Si aliquam ætatem iudicaret Dominus conuersionis remedio ineptam, nõ diuersis temporibus operarios uocaret ad uineam. In diuersitate quippe horarum non incongruè accipiatur ætatum diuersitas, ita ut ætas puerilis accipiatur in mane, pubertas in tertia, iuuentus in sexta, grauitas declinantis ætatis in nona, & in undecima senilis ætas ipsa nouissima. In quacunq; igitur quis ætate uocatus, si benignitatem uocantis Domini non spernat, necesse est denarium uitæ perennis accipiat.

Neq;

Neq; enim nõ semper delectatur con uersione nostra: de quo nobis clamat Iohel Propheta: Hæc dicit Dominus Deus uester: *Cõuertimini ad me ex toto corde vestro, in ieiunio & in fletu, & in planctu, & disrumpite corda vestra, & non vestimenta vestra, & cõuertimini ad Dominum Deum vestrum: quia misericors & patiens est, & magnanimis, & multum misericors, & patientiam habens in malis.* Deus semper delectatur conuersione nostra. Ioel. 2.

Propter quod Apostolus Paulus, duritiam cordis increpat in his qui pœnitentiam suorum negligũt agere peccatorum. Dicit enim: *Propter quod inexcusabilis es ô homo omnis qui iudicas. In quo enim iudicas alterum, teipsum cõdemnas. Eadem enim agis quæ iudicas. Scimus aũt, quoniã iudicium Dei est secundũ veritatẽ in eos qui talia agũt: existimas aũt hoc ô homo, omnis qui iudicas eos qui talia agunt, & facis ea: quia tu effugies iudicium Dei? An diuitias bonitatis eius & patientiæ & longanimitatis cõtemnis ignorans: quoniã benignitas Dei ad pœnitentiã te adducit? Secundũ duritiã aũt tuã & impœnitẽs cor* Duritia cordis in peccatoribus grauiter reprehenditur. Rom. 2.

the-

thesaurizas tibi iram in die iræ; & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet vnicuique secundùm opera sua. Alio quoque loco non tàm plangit qui peccare grauiter uidebantur, quàm eos qui peccatorum suorum pœnitentiam gerere noluerunt. Denique dicit Corinthijs:

2.Cor.12. *Ne iterum cùm venero, humiliet me Deus apud vos, & lugeam multos ex his qui antè peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam super immunditia & fornicatione & impudicitia quam gesserunt.* Nec immeritò luget Apostolus, qui pœnitentiam non agunt. Scit enim

Luc.15. *plus esse gaudium coram angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonagintanouem iustis, quibus non est opus pœnitentia.* Dignè igitur illos pro impœnitentia cordis luget beatus Apostolus, pro quibus non gaudet angelicus chorus.

Deus nos vocat ad pœnitentiam per aduersa.

Benignitas ergo Dei ad pœnitentiam nos adducit, ideo nos tribulationibus affligit, infirmitatibus corripit, angustijs eripit, ut qui in sanitate corporis peccauimus, in infirmitate peccatis abstinere disca-

discamus. Qui in lætitia misericordiam Dei cõtemplimus, correpti flagello tristitiæ, iustitiam ipsius formidemus. Ita fit, ut quæ nobis, abutendo sanitate, infirmitatem peperimus, per infirmitatẽ sanitatis beneficia reparemus. Et qui per lętitiam in tribulationes incidimus, per tribulationes ad lætitiam recurramus. Denique magis erga nos dilectionem Dei flagellis & correptionib. Scriptura sancta testatur ostẽdi. Dicit enim: *Fili, ne deficias in disciplina Domini, neque fatigeris, cùm ab eo increparis. Quem enim diligit Domin9, corripit. Flagellat autem omnem Filium quem recipit.* Nam & ipse Saluator illos se dicit amare quos arguit. *Ego*, inquiens, *quos amo, arguo & castigo*. Et Apostolorum doctrina prædicare non cessat: *quia oportet nos per multas tribulationes introire in regnum Dei.* Ipse quoque Dominus arctam uiam, & angustam dicit esse portam, quæ ducit ad uitam.

Heb. 12.

Apoc. 3.

Act. 14.

Tristitiã piorũ, lætitia æterna: Gaudiũ impiorũ luctus perpetuus excipiet.

Vt autem nouerimus illos qui gaudijs temporalibus oblectantur, & iussa diuina

diuina contẽnunt, æternis ignibus concremandos: illos uerò, qui mala temporalia cum timore Dei patienter tolerãt, æterna quiete potituros. Attendamus diuitem purpuratum, & pauperem Lazarum: illum post epulas flãmis perennibus traditum, istum post ærumnas in æterna sinus Abrahę quiete securũ: Vbi cùm stillã diues ardens digito beati pauperis linguæ suæ posceret irrorari, hæc ad eum beati Abrahæ protinus est directa responsio: *Fili recordare: quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autẽ cruciaris, hic verò requiescit.* Non fuit alia causa, qua diues pœnas lueret, pauper gaudio potiretur ac requie, nisi quia ille bona recepit in uita sua, ille autem mala.

Luc. 16.

Non idem est bona vel mala huius vitæ habere vel pati, & recipere.

Non omnes autem, qui bona præsentis uitæ habent, bona præsentis uitæ recipiunt: nec omnes, qui mala huius uitę patiuntur, mala huius uitæ recipiunt: sed illi recipiunt bona in uita sua, qui in gaudio & delicijs uitæ præsentis exultant, & in eo se beatos credunt, quòd se nulla

nulla concuti aduersitate conspiciũt: illi autem mala recipiunt in uita sua, qui pressuras & tribulationes pręsentis uitę cum timore Dei tolerãt, & in corde cõtrito & humiliato non temporalia gaudia, sed æterna suspirant, nec transitura bona, sed permansura desiderant.

Deniq; illis, qui in bonis præsentium rerum uolunt habere lętitiam, dicit Psalmus: *Filij hominum vsq; quo graues corde, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Et alio loco: *Nolite sperare iniquitatem, & in rapina nolite cõcupiscere. Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Tales etiã beatus Iacobus increpare nõ cessat, dicens: *Agite nunc diuites, plorate, vlulantes in miserijs, quæ aduenient vobis. Diuitiæ vestræ putrefactæ sunt, & vestimenta vestra à tineis comesta sunt. Aurum & argentũ vestrum æruginauit, & ærugo eorũ in testimoniũ vobis erit, & manducauit carnes vestras sicut ignis. Thesaurisastis in nouissimis dieb. Ecce merces operariorũ, qui messuri erũt regiones vestras, qui fraudatus est à vobis, clamãt, et clamor eorum*

Illis qui in bonis temporalibus lætitiã habent, Scriptura minatur exitium.

Psal. 4.

Psal. 62.

Iacob. 5.

eorum in aures Domini Sabaoth introiuit. Epulati estis super terram & luxurijs enutristis corda vestra. Talium quoq; risum & gaudium in luctum conuerti præcipit & mœrorem, dicens: *Emundate manus peccatores, & purificate corda duplices animo, miseri estote, & lugete, & plorate. Risus vester in luctum conuertatur, & gaudium in mærorem. Humiliamini in conspectu Domini, & exaltabit vos.*

Iaco.4.

Retributione futura nec boni nec mali priuabuntur.

Neq; uerò putemus tristitiam humilium, & lætitiam superborum luctum piorum, & gaudium impiorum, futura posse retributione priuari: manet utriusque condigna merces, diuino reddenda iudicio. Quam iudex ipse tali cognoscitur decreuisse sententia: *Væ vobis, qui saturati estis: quia esurietis. Væ vobis, qui ridetis nunc: quia lugebitis. Beati, qui nūc esurietis: quia saturabimini. Beati qui nūc fletis: quia ridebitis. Beati qui lugent: quoniam ipsi consolabuntur.* Tales etiā Dauid, semina quidem dicit in fletibus iacere, nec tamen silet cū gaudio & exultatione messuros. Sic enim ait: *Qui seminant*

Luc.6.

Psal.126.

minant in lachrymis, in gaudio metent. Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua. Venientes autem veniēt in exultatione, portantes manipulos suos. Talibus etiam nūc asserit Dominum propinquare, dicens: *Propè est Dominus his qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu saluos faciet.* Intantum uerò prodest tribulatio Christianis, ut per hanc spiritus noster Deo sacrificium fiat. Scriptū nanq; continetur in Psalmo: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despiciet.* Psal. 34. Psal. 51.

His & innumeris huiuscemodi testimonijs informati, principaliter ad Deū conuerti, quanto citiùs festinemus. Dicit enim Scriptura: *Ne tardaueris conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem, ne subitò veniat ira eius, & in tempore vindictæ disperdat te.* Cōuersi autem, de remissione peccatorū, nullatenus desperemus, timentes Domini fidele promissum, quo ait: *Cū cōuersus fueris & ingemueris, saluus eris.* Pressuras tribulationesq; præsentis temporis longanimiter tole- Quamprimùm igitur agamus pœnitentiam. Eccl. 5. Nec desperemus. Aduersa toleremus.

toleremus, & à timore Dei nullatenus discedamus. Præcipit enim nos Apostolus esse in tribulatione patiētes. Qui etiam correptionem præsentis temporis, ad euitandam futuri iudicij pœnam, multum nobis prodesse testatur, dicēs:
1.Cor.11. *Cùm iudicamur autem, à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur.*
Et in ijs Deo gratias agamus. Verùm in ipsis tribulationibus gratias agamus Domino, & hoc quod sanctus Azarias dixit in fornace, nos in tribulatione dicamus:
Dan.3. *Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum, & laudabilis, & gloriosum nomen tuum in secula: quoniam iustus es in omnibus quæ fecisti nobis, & omnia opera tua vera, & rectæ viæ tuæ, & omnia iudicia tua veritas, & iudicium veritatis fecisti, secundùm omnia quæ induxisti nobis, & super ciuitatem sanctam patrum nostrorū Hierusalem. Quoniā in veritate & iudicio induxisti hæc omnia, propter peccata nostra. Quoniam peccauimus & iniquè egimus, discedentes à te, & multùm peccauimus in omnibus, & mandatis tuis non obediuimus, nec conseruauimus,*

neq;

neq; fecimus, sicut praecepisti nobis esset. Et omnia, quae induxisti nobis, & omnia quaecunq; fecisti nobis vt benè nobis, in vero iudicio fecisti. Et paulò pòst ait: *Et nunc sequimur in toto corde, & timemus faciem tuam, ne confundas nos.*

Plura ex Fulgentio Codex ille uetustus nõ habuit. Quæ uerò sequuntur, aliunde sunt exscripta, ex Bibliothecis S. Laurentij & S. Ægydij Norinbergæ.

REVERENDÆ MATRI AC DOMINÆ, CHARITATI PIRCKHEIMERIN ABBAtissæ *virginum sanctæ Claræ, Norinbergæ, Dominæ suæ omni honorificentia praecolendæ, Ioannes Cochlæus.*



VM pestis Francofortiana me hîc spe diutius distineret, Mater obseruandissima, ne illuc, ubi residere debeo, irem, allatus est ad fratrem tuum (quo non est hîc alius, uel fama notior, vel omnijuga literarum eruditione clarior) codex quidam peruetustus, Longobardicis & insuetis, atq; adeò incognitis huic seculo literis, perscriptus,

in quo continebantur opera Beati Fulgentij, Theologi vn=decunq; suspiciendi, non solùm honore antiquitatis, verum=etiam vbertate doctrinæ, elegantiáq; styli & copia dicendi. Continuò igitur persuasit Germanus ille tuus & Kobergero nostro, Bibliopolæ inquam famatissimo, vt Calchographiæ impensas ministraret, & mihi antiquo suo clientulo vt codi=cem, dùm hic essem, exscriberē. Fuit is mihi labor haudqua=quam facilis, non solùm quòd oculi mihi sint alioqui hebe=tiores, languidioresq;, quàm vt facilè percurrant scripta ve=tustiora, situ blattisq; squalentia, verumetiam, quòd totum volumen adeo insolitis scriptum erat characteribus, vt ne=cesse fuerit, me velut à nouo Alphabetarium (fratri tuo lite=ras quasdam præmonstrante) fieri. Vltra hanc molestiam suberant difficultates non paucæ. Erat enim opus admodū informe, non sententiæ punctis, non verba spacijs, non titulis libri erant distincti, sed perpetua quædam textura, seu va=stum aliquod mare, desertumúe campestre, vbi nescit igno=tus, aut quousq; pergat, aut quò retro cedat. Eo tædio totū perscribendum fuit opus: non enim poteram insolitam eius=modi Scripturā citò relegere, vt sensum Authoris velut sco=pum certum intenderem. Itaq; licet essem perquam cupidus intelligendi singulorum librorum argumenta, nihil tamen cōmodè consequi potui, donec omnia perscripsissem, vt meā deinceps scripturam, vtpote notiorem mihi oculisq; meis ma=gis peruiam, citò perspicerem, quid sibi velit author intelle=cturus. Veruntamen non statim, nacto transcribendi fine, o=mnis est labor finitus. Erant adhuc sine frontibus titulorum libri, contextus verborum sine punctis flaccidi & indistincti, sine annotationibus Scripturarū loca, margines nudi, & id

genus

genus defectus plurimi, quibus ad implendis, frequenter fuit totum opus reuoluendum. Supra omnes verò molestias fuit inquisitio locorum, quibus frequentissimè (quæ illius erat copia, ingeniiq́; vis) vsus est author. Nam eo tempore ita erat Sacra scriptura omnibus Theologiæ studiosis nota, vt inter allegandum non foret opus neque Authoris neque libri, multo minus capitis nomine. Satis tum erat dixisse, scriptum est, aut dicit Scriptura, seu propheta. Quemadmodum & antea vsque ab initio Christianæ doctrinæ obseruatum fuerat, primùm à Saluatore ipso & Apostolis eius: deinde à patribus, quotquot Sacris literis operam dederant, antequam Barbarorum immanitate temporumq́; iniuria omnis recta interiret eruditio. At nostris tēporibus adeò neglectui fuerūt literæ diuinæ, vt nō satis sit, si notus fieri debeat locus quispiam allegatus, nomen vel Authoris, vel libri, capitisúe indicasse, nisi & certa capituli portio, per alphabeti literas distributa, demonstretur. Laboriosum itaque fuit, tot allegata perquirere, suisq́; libris & capitulis reddere, literis demum certis, velut digitis ostendere. Accedebat alia quoque difficultas, quòd author alia, quàm nos, vsus est interpretatione Latina, vt non rarò mihi opus fuerit, non tàm verba quàm sensum allegatum perquirere. Volui tamen vnus tot importunitates perferre, vt omnibus per Calcographiam facilis & absoluta communicetur tanti lectio Authoris, qui ante mille iā annos tam præclarè literas Sacras edocuit. Ideo & amplioribus in marginibus breues extraxi sententiarum summas, vt vel per transennam inspicienti peruia sit mens Authoris. In titulis item librorum argumenta comprehendi, singulosq́; suis præfixi libris, atque vniuersos in

primam congressi paginam vt in promptu habeat lector vbi summam huius operis agnoscat absque foliorum reuolutione. Nec verò lectori quippiam in Authore quærenti, opus foret semper ad caput libri recurrere, singulis paginis & argumentum & librum affixi. At vt opus auctius fieret, multas hîc bibliothecas, & publicas & priuatas, locupletes sanè ac neutiquam vulgares, discussi, ex quibus, quæ Fulgentij essent, huic operi adiungerem. Nihil autem inueni vsquam, nisi in curia diui Laurentij, vbi præpositus (vt est tàm vita, quàm doctrina insignis Theologus) ostendit mihi vnum Fulgentij ad Donatum libellum, aliquotq; eius sermones in vetusto volumine contentos. Sed eorum quatuor iam antea transcripseram ex libro quodam, quem Abbas Sancti Aegidij inquirenti mihi benignè cõmunicauerat. Inueni item tres libros Mythologiarum, & vnum de abstrusis sermonibus, qui itidem adscribuntur Fulgentio. Quia verò aliena inest illis materia magis grammaticæ quàm theologiæ conueniens, non libuit, præsertim ex fratris tui consilio, eos libros huic albo Theologico inserere. Accipe igitur, reuerenda mater, hanc meam, quantulacunque est, operam, eo, quo tibi offertur, animo. Nempe vt tuo sub nomine (quod doctissimis plerisque iampridem celebre est & venerabile) bonis omnibus communicentur tàm præclari Theologi (qui tot seculis latuit) opera, tàm eloquentia quàm eruditione referta. Adiecissem alicubi scholia, nisi acceleratum fuisset, non solùm ab impressore, sed à meipso: nam iter mihi nunc maximè suadent, non solùm literæ amicorum, verumetiam pestis ipsa, quæ illic placata in his nunc regionibus sæuire occipit, & gelu diuturnum ita

vias

vias explanauit, vt commodissimum sit nunc iter arripere. Bene vale mater doctissima, cum studioso virginum choro. Ex Norinberga vndecimo Calendas Ianuarij. Anno salutis M. D. XIX.

BEATI FVLGENTII DE FIDE ORTHODOXA, ET DIVERSIS ERRORIBVS *hæreticorum,*

AD DONATVM:

LIBER VNVS.

Cui fortassis rectiùs inscriberetur de Trinitatis & Incarnationis mysterio.

Domino eximio & in Christi charitate plurimùm desiderabili filio Donato, Fulgentius, seruorum Dei famulus, in Domino salutem.



MVLTIS benedico Dominum, dilectissime fili, cuius gratia talis es, ut cùm sis ætate iunior, non quæ sunt carnis, sed quę sunt spiritus, cōcupiscas: & de fidei feruore succēsus, illa laudabiliter iam incipias meditari, quibus non uoluptas carnem damna- *Laudabile in iuuene S. literarum studium.*

biliter nutriat, sed agnita ueritas animũ spiritaliter pascat. Ipsius enim factũ inspiratione nõ dubito, ut cum studijs insistere soleas secularium literarum, diuinis eloquijs affectum impendas. Illud utiq; uolẽs magis apprehendere nõ unde tumida eloquentia discitur, sed unde uitæ perennitas comparatur.

Commendatur studium S. Theologiæ.
Abac. 2.

Quisquis enim fidem uerã tenet, uitam possidet: *iustus enim ex fide viuit*. Et quisquis in eiusdem fidei mysterio cupit instrui uitæ scientiam desiderat adipisci. In qua tamen quisq; crescit, quanto magis, quod uerũ & salutare est, discit. Huius scientiæ qui tenuerit indubitanter initium, perueniet ad perfectum, & qui nõ spreuerit lac Apostolici sermonis humiliter accipere, ipse merebitur solidi cibi perceptione gaudere. Siue autẽ quis intra ecclesiam catholicam lacte nutriatur, siue cibo pascatur, tamen à sinu matris ecclesiæ nõ recesserit, uitę particeps permanebit: quia tenens fidei iustitiam, possidebit & uitam. Quam uitam nec ille possidebit, qui permanet in infidelitate,

litate, nec ille qui perseuerat in crimine: quoniam de illis esse cõuincitur, qui secundùm Apostoli sententiam uerã, *ambulant in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à via Dei per ignorantiã, quæ est in illis propter cæcitatem cordis ipsorum*. Ipsa enim cordis cæcitas, & quid credat, & quid agat, ignorat. *Ephes.4.*

Dicis itaq;, à quibusdam Arrianis de Patre & Filio propositã quęstionem, in qua Patrẽ maiorẽ, & minorẽ Filiũ asserebant: te uerò, propter diuinarũ ignorantiam literarum, quibus minus instructus es, non inuenisse, quid eis in defensionem ueræ fidei responderes. *Donatus ab Arrianis tẽtatus.*

Hoc in te itaque primitus in nomine Domini laudo: quia si tibi non fuit tanta respõdendi facultas, permansit tamẽ in corde tuo ueritatis firma credulitas. Nõ enim omnes qui Christi participes sunt, etiam respondendo possunt defensare quod credunt, sed etiam illa pars est profectò uictoriæ, ut quamdiu quis sermone non potest defendere ueritatem, *Qui veritatem ore non possunt defendere: corde deuitent errorem.*

fideli tamen corde deuitet errorem. Expedit autem, ut saluberrima Petri Apostoli uerba sectemur, præcipientis, *ut simus parati semper ad respondendum omni poscenti nos rationem de fide & spe, quæ in nobis est.* Volens ergo ad respondendũ paratior inueniri, petis, ut nostro instructus sermone, agnoscas, quemadmodũ Hæreticis, fidem nostram impugnare uolentibus, diuinis ualeas armatus eloquijs obuiare.

1. Pet. 3.

Trinitatis mysterium.

Proinde illud admoneo, principaliter teneas sanctam Trinitatem: id est, Patrẽ & Filium & Spiritum sanctum, naturaliter uerum esse Deum, summum, uerũ, & bonum, unius naturæ, unius essentiæ, unius omnipotentiæ, unius bonitatis, unius æternitatis, unius immensitatis. Ac sic, cùm unum Deum audis, Patrem & Filium & Spiritum sanctum, unã naturam summæ illius Trinitatis intellige. Et cùm Trinitatem audis, Patrem & Filium & Spiritũ sanctum, tres personas unius summæ illius diuinitatis agnosce. Tres enim personæ sunt, Pater & Filius

&

& Spiritus sanctus, ideo Trinitas dicitur. Sed una substantia est Patris & Filij & Spiritus sancti, ideo ipsa Trinitas unus Deus ueraciter à fidelib. prædicatũ.

Tres itaq; personas esse, Patrẽ & Filiũ & Spiritum sanctum, ostendunt ipsius eloquia ueritatis. Vnde Saluator noster ait: *Non sum solus, sed ego & qui misit me Pater.* De Spiritu sancto quoq; dicit: *Ego rogabo Patrem & alium paracletum dabit vobis spiritum veritatis.* Præcepit etiã baptizari gentes, in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. His itaq; huiusmodi testimonijs ostẽditur, Patrem & Filiũ & Spiritum sanctum, tres esse personas, sed non tres esse naturas. Vnde Trinitas illa sancta dignè creditur in personis. *Tres personæ in Trinitate.* *Ioan. 8.* *Ioan. 14.*

Tres autem Deos dici, Patrem & Filium & Spiritum sanctum, non permittit unitas naturalis. Et quia in una natura Trinitatis, nulla potest esse diuersitas, ideo in tribus personis manet inconfusa proprietas, & in unitate naturæ regnat incommutabiliter substantialis æqualitas. Ideo de Filio dicitur: *Qui cũ in forma* *Sed vnus Deus.*

Dei

Philip. 2. *Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo.* Et quia nō solùm soluebat sabbatum, sed & Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo. Ad hanc æqualitatem naturæ uirtutisq; etiã illud pertinet, quod ipse Filius ait: Ioan. 5. *Quia quæcunq; Pater facit, hæc eadem & Filius similiter facit. Et sicut Pater suscitat mortuos et viuificat, sic & Filius quos vult viuificat.* In illa Trinitatis natura, sic totum unum est, ut nihil ibi posit separari uel diuidi: sic totũ æquale est, ut nihil ibi maius aut minus ualeat inueniri.

Testimonia Scripturæ de vnitate Dei. Istum nobis unum Deum, noui & ueteris Testamenti ueridica demōstrat Authoritas. De hoc enim uno Deo Beatus Moyses dicit: Deut. 6. *Audi Israël, Dominus Deus tuus, Deus vnus est, & Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Et Deut. 32. ipse Dominus Deus de se: *Videte quòd ego sum solus, & non est alius Deus præter me.* De hoc & Beatus Dauid dicit: Psal. 18. *Quis Deus, præter Dominũ, aut quis Deus, præter Deum nostrum.* Sanctus quoq; Iacobus Apostolus, istum unũ Deum prædicans,

dicans, ait: *Tu credis: quia vnus est Deus, bene facis. Dæmones credunt, & contremiscunt.* Iac. 2.

Veruntamen non ignoramus ista testimonia, & si qua similia in diuinis reperiuntur eloquijs, quibus unus & solus asseritur Deus, nō ipsi sanctæ Trinitati, sed uni tantùm personæ: id est, soli Deo Patri, ab hęreticis asſignari. Proinde illorũ, quæ proposuimus testimonia: id est, illius, quo dicitur: *Audi Israël, Dominus Deus tuus, Deus vnus est:* & alterius, quo legitur: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies:* in quantum, ipso Domino Deo donante, possumus, intelligentiam requiramus.

Hæretici testimonia hæc de persona Patris intelligunt.

Deut. 6.

Matth. 4.

Primùm quippe nos testimoniũ posuisse meminimus illud, quod dicitur: *Audi Israël, Dominus Deus tuus, Deus vnus est.* Hoc itaq; sic utrinq; fatemur esse firmisſimum, ut ab hoc testimonio nullus existimet aliquatenus recedendum. Proinde quoniam duos à fidelibus coli, regula præcepti huius nulla ratione permittit, aut Patrem & Filium credant unum

Ratiocinatur contra Arrianos, ex dicto: Audi Israël, &c.

Aut Pater & Filius vnus sunt Deus, aut duo.

unum naturaliter Deum, si uolunt sine huius transgressione mandati unũ Deũ sic colere, ut nec Patrem colant sine Filio, nec Filium sine Patre. At quia Deus maior & Deus minor, Deus unus esse non possunt, necesse est, ut aut Patrẽ solum Dominum Deum suum dicant, & Filium Dominũ Deum suum omnimodis negent: aut solum Filium, Dominũ Deum asserant, & à Dei Patris cultura recedant. Sed Deum Patrem Dominum Deum suum negare non possunt, quem usque adeò Dominum Deum omnium esse confirmant, ut etiam ei diuinitatem Filij tanquã minoris Dei inuitæ seruitutis subiugare contendunt. Filium uerò, si Dominum Deum suum negare uoluerint, ipsius paternæ uocis testimonio protinus arguuntur. Per os enim Prophetæ, ex persona Dei Patris dicitur: *Et domui Iudæ miserebor, et saluabo eos in Domino Deo suo*. Ipsum Dominum esse Deum nostrum Euangelicæ quoq; ueritatis commendat authoritas, ubi beati Thomæ Apostoli cõfessio prauitati

Sin duo: vel solus Pater erit Dominus, vel solus Filius.

Atqui Patrẽ Dominum suum non negant:

Filium verò si Dominum Deum suum negarint.

1. Reclamat authoritas Prophetica. Ose. 1.

uitati hæreticæ prorſus contrà dicit, exclamantis atque dicentis: *Dominus meus & Deus meus*. Ergo quando & Patrem Dominum ſine dubio confitentur, & Filium Dominum Deum fateri Prophetica atque Euangelica ueritate coguntur, aut Patrem & Filium, perſonarum proprietate ſeruata, unum Dominum Deum naturaliter dicant, aut confitẽtes ſolum Patrem ſuum Dominum Deum, conſequenter dicant Filium nec Dominũ ſuũ eſſe nec Deũ. Quod cùm dixerint, nunquam ſe audebunt aſſerere Chriſtianos, cùm utique Chriſtianus à Chriſto nomen accepit: Chriſtianus autem nullatenus eſſe poſsit, quiſquis ipſum Chriſtum Dominum Deum ſuũ eſſe non dixerit. Fateantur ergo Patrem & Filium non duos Dominos Deos, ſed unum Dominũ Deum ſuum, ſi uolunt ueritatem tenere fidei, & nolunt rebelles præceptis legalibus atque Euangelicis inueniri.

Et Apoſtolica.

Ioan. 20.

2. Chriſtianos ſe eſſe ſimul negant.

Ergò Pater & Filius vnus ſunt Deus.

Sic enim poterunt & illius teſtimonij quo dictum eſt: *Dominum Deum tuũ adora-*

Aliud contra Arrianos ex dicto: Dominum Deum tuũ, &c.

adorabis, & illi soli seruies: intellectum pariter officiumq; seruare. Neque enim fas est, sic adorare Deum Patrem, ut Deum Filium non adores, cùm utiq; de ipso Filio scriptũ sit in Deuteronomio: *Lætamini cœli cum eo simul, & adorent eum omnes angeli Dei.* De ipso quoque Beatus Dauid in Psalmo dicit: *Adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes seruient ei.* Quia si Filius secundùm diuinitatem unus Deus cum Patre nõ esset, unius cum eo naturæ utiq; non fuisset, & si naturæ alterius esset, creatura sine dubio esset. Si aũt creatura esset, seruiendum ei, sanctarũ Scripturarũ authoritas nõ iuberet, sed potius prohiberet. In primo enim decalogi mandato sicut unius Dei cultura seruitusq; manifestissimè præcipitur, ita omni creaturæ adoratio ac seruitus à fidelibus exhibenda, uehemẽtissimè prohibetur: Ibi enim dicitur: *Ego enim sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti, de domo seruitutis, non erunt tibi dij absque me.* Sed si hoc simul à Patre & Filio dictum acci-

Psal.97. *Filius quoq; adorandus, ideoq; verus Deus est.* *Psal.72.*

Alioquin creaturæ, adorationẽ & seruitutẽ deberi sequeretur.

Quod tamẽ seuerè prohibetur. *Exod.20.*

accipitur, unus Dominus Deus credatur Pater & Filius. Sed si hoc aut Pater sine Filio aut sine Patre creditur dixisse Filius, necesse est, ut aut Pater Dominus negetur, aut Filius. De illo enim qui dixit: *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti, de domo seruitutis, nõ erunt tibi dij absq; me:* de ipso sanctus Moyses ait: *Audi Israël, Dominus Deus tuus Deus vnus est.* Et quia ipse Deus sibi soli præcipiens tantummodo seruiendum, seq; iubens à fidelibus adorandũ, prorsus interdixit, ne quis auderet creaturam adorare, creaturæq; seruire, propterea in fine illius primi præcepti, de omnibus quæ creauit ita loquitur. *Non adorabis ea nec seruies eis: ego enim sum Dominus Deus tuus.* Quod utiq; sciens Beatus Apostolus, *iram Dei reuelari* ꝓnunciat, *super omnẽ impietatem & iniustitiam eorum, qui commutauerunt veritatẽ Dei in mendacium, & coluerunt & seruierunt creaturæ potius quàm creatori, qui est benedictus in secula.* Veritatem Dei tenere, est unum Deum colere. Veritatem

Deut. 6.

Exod. 20.

Rom. 1.

" Dei in mendacium conuertere, est creaturæ seruire. Vera enim religio in unius " constat ueri Dei seruitio. Ipsa nanque ueritas unus est Deus, & sicut excepta una ueritate nõ est alia ueritas, sic absque uno Deo uero nõ est alius uerus Deus. Ipsa enim una ueritas, est naturaliter una uera diuinitas. Et ita non possent duo ueri dij ueraciter dici, sicut ipsa una ueritas, naturaliter non potest diuidi.

Vt Veritas una ita unus Deus.

Sancta uerò scriptura, quæ nobis unum Dominum Deum ueraciter salubriterque commendat, sicut Patrem uerum Deum, sic & Filium uerum Deum, fidelibus cũctis insinuat. De Patre quippe dicit beatus Paulus Apostolus Thessalonicensibus scribens: *Conuersi estis ad Dominũ à simulachris, seruire Deo viuo & vero, expectare Filium eius de cœlis, quem suscitauit à mortuis Iesum, qui eripuit nos ab ira ventura.* Hic Iesus Christus nõ sic est Dei Patris Filius, sicus nos sumus. Ille est enim proprius, nos redẽpti: ille natus, nos facti: Ille uerus, nos adoptiui: ille autem, qui uerus est Filius, ipse e-

S. Scriptura & Patrẽ & Filium uerũ Deũ asserit.

1. Thes. 1.

ſe etiam uerus eſt Deus, non adoptione generatus, ſed de Patre naturaliter natus. In quo uero Deo ueroq́ Filio ideo eſt uera diuinitas: quia naturalis eſt illi de Patre natiuitas. Propter quod eũ uerum Patris Filiũ, uerum Deum uitamq́ue æternam, beatus Ioannes in Epiſtola ſua profitetur: *Scimus, quia Filius Dei venit, & dedit nobis intellectum vt ſciamus verum.* Et ſcimus in uero Filio eius Ieſu Chriſto, Hic eſt uerus Deus, & uita æterna. *1. Ioan. ulti*

Verum itaque Deum colere, ueroq́ue Deo ſeruire, non eſt utique ueritatem Dei in mendacium commutare. Ille ueritatẽ Dei cõmutat in mendacium qui Deo non uero exiſtimat ſeruiendũ. Ille aũt Deũ non uerũ colit, & Deo non uero ſeruit, qui creaturæ ſeruierit, creaturamq́ coluerit. Quia ubi Deus non uerus colitur, & Deo nõ uero ſeruitur, ibi Dei ueritas in mendaciũ commutatur. *Veritatẽ Dei in mendaciũ commutare, quid.*

Quoniam ergo, & Deum Patrem Deum uerum, & Deum Filium Deum uerum, cœleſtium eloquiorum *Cõcludit cõtra Arrianos.*

 atteſta-

atteſtatione cognoſcimus: aut unum uerum Deum naturaliter Patrem & Filiū cum catholicis aſſerant: aut duos ueros Deos à ſe coli contra ueritatem ſanctæ fidei dicāt: aut creaturæ cultores ſeipſos profiteri non metuāt, ut ueritatem Dei ſe in mendaciū commutaſſe, ipſa rerum manifeſtatione cognoſcant. Vna quippe ueritas, unius ueri Dei, imò una ueritas, unus uerus Deus, non permittit ſeruitutem atque culturam ueri Dei, Deo creaturæq; coniungi: uera quoq; religio excepto uno uero Deo, nulli Deo ſinit culturæ ac ſeruitutis obſequium à natura Dei Patris, ſine dubio creata natura eſt. Quid eſt autē creata natura, niſi creatura? Omnis porrò creatura, quoniam opus eſt ueritatis, eſt quidē creatura uera, non tamen eſt ueritas. Sola autem naturaliter eſt ueritas, quæ naturaliter eſt uera diuinitas. Illi ergo ueritatem Dei non commutant in mendacium, ſed ueræ fidei tenent ſalutare myſterium, qui nec ſolum Patrem nec ſolum Filium, ſed ſimul Patrem & Filium, unum Dominū

Deum

Deum ſuum, corde credunt ad iuſtitiã, & ore confitentur ad ſalutem. Quia nõ ſolùm Pater Deus, ſed etiã Filius Deus naturaliter & uerax De9, ueritas, Deus permanẽs cum Patre naturaliter, unus uerax, unus uerus, unaq; ueritas. Quia duos Deos credi uel dici, omnino prohibet una ueritas, quæ ſola uera eſt diuinitas. *Rom. 10.*

Proinde, ſecundùm diuinam naturã non eſt minor Patre, ſed æqualis eſt Patri: quia Filius ita uerus Deus dicitur, ut Pater Deus uerior non dicatur. In Deo enimuero, nihil minus exiſtimari ſinit ipſa ueritatis agnitio. Permanet itaq; in Patre & Filio naturaliter una ueræ diuinitatis æqualitas, & una incõmutabilis ac ſempiterna maieſtas. Sic autem Filium Patri æqualem ueraciter dicimus, ut etiam minorem ueraciter non negemus. Scimus enim Deum Filium natũ de natura Dei Patris, natum etiam de natura Virginis matris. Ac per hoc uerum Deum ueritatem paternæ naturæ, uerũ Deum hominẽ de ueritate maternę ſub- *Christus Patri æqualis, ſecundùm diuinitatẽ: eodem minor ſecundũ humanitatem.*

ſtantiæ, quem diuinitatis æternitas oſtẽdit ſine initio natum, & temporalis ſuſceptio carnis docet ſine dubio minoratum. Aequalis eſt Filius Patri, & minor eſt Filius Patre, æqualis uera diuinitate, minor uera humanitate. Aequalis, quia
Iohan. 1. *in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum:* minor autem, *quia Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis.* Aequalis, quia *cùm*
Phil. 2. *in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo:* minor autem, quia *ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens.* Aequalis eſt Patri Filius: quia de Domino natus eſt Dominus: minor eſt autem Patre Filius: quia de ancilla factus eſt ſeruus. Inde eſt quod dicit:
Pſ. 22. *De ventre matris meæ, Deus meus es tu.* Et iterum: *O' Domine, ego ſeruus tuus,*
Pſ. 116. *& filius ancillæ tuæ.* Aequalis eſt Patri Filius: quia *omnia per ipſum facta ſunt, &*
Ioan. 1. *ſine ipſo factum eſt nihil.* Minor eſt autem Patre Filius: quia *factus eſt ex muliere,*
Gal. 4. *factus ſub lege.* Et ideo, ſicut ueraciter Dei Filius Deo Patri coæternus a-
gnoſcitur

gnoscit, sic ueraciter matre posterior in uenitur. Primam quippe natiuitatem Filij, nullatenus pręcessit ęternitas Patris, cuius tamen secundũ natiuitatem præcessit temporalis natiuitas matris. In illa quippe natura Dei Patris, quæ esse non cœpit, de æterno Patre, coæternus est Filius, inenarrabiliter natus: in natura uirginis, quæ esse cœpit ex tẽporali matre, tẽporaliter est idẽ Filius misericorditer generatus. In ea natura Dei Filius ęqualis est Patri, qua ante omnia coæternus est Patri: & in ea natura est Filius Patre minor, in qua est & matre posterior. In ea natura Patri æqualis est Filius, in qua creator est angelorũ: in ea natura Patre minor est idẽ Fili9, in qua ab initio creaturæ adoratur & laudatur ab Angelis.

Duplex Christi natiuitas.

Apostolica quippe authoritas, huius minorationis nõ destitit demõstrare mysteriũ, dicens: *Eum aũt, qui modico quàm Angeli minoratus est, videmus Iesum propter paßionem mortis gloria & honore coronatum.* Superiùs autem, cuius naturæ sit hęc aßignanda minoratio, euidenter

Minoratio Christi.

Heb. 2.

ostensum est, quādo illud testimonium Prophetæ probatum est, in quo dicitur:

Psal. 9. *Domine quid est homo, quod memor es eius, aut filius hominis quoniam visitas eum? Minorasti eum paulò minus ab angelis,*

Christus in forma Dei, æqualis est Deo.

Dei ergo Filius, ante susceptionē carnis, *cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo,* quia in illa forma Dei Filius æqualis est Patri.

Phil. 2.

Quia si minor esset, in eadem forma Dei non esset. Sed in forma Dei Filium esse, Apostolica dicit authoritas. Ideo ergo æqualem Deo esse, non illi rapina fuerat, sed natura, quæ in forma ueri Dei non nisi uerus esse potuit Deus. Et diuinæ formæ unitas, ipsa est diuinitatis huius naturalis æqualitas. Vbi ergo formę unitas in natura erat, æqualitas rapina non erat. Naturalis autem diuinitatis ęqualitas, quæ in forma Dei erat, auferri Deo uero non poterat.

Idem igitur Christus & Patre minor & eidem æqualis.

Inde est, quòd retinens ueritatem diuinitatis, & ueritatem accipiens carnis, unus idemq; Dei & hominis filius, & Patre factus est minor, & Patri permansit

ſit æqualis. Ideo utrunq; ueraciter ipſa ueritas dixit: *Et Pater maior me eſt, & ego & Pater vnum ſumus.* Verè ergo Deo Patre minor eſt Chriſtus: quia naturaliter ex patribus eſt ſecundùm carnē. Et uerè Deo Patri ęqualis eſt Chriſtus: quia naturaliter eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſecula. Proinde uera fides, quæ in uno eodemq; Chriſto, utriuſq; credit & confitetur ſubſtantiæ ueritatem, unū eundēq; Chriſtum Dei Filium, & ſecundùm ueritatem carnis factum, prædicat minorem, & ſecundùm ueritatem diuinitatis Patri Deo credit & confitetur ęqualem. Sic ueraciter unum Deum cum Patre Filiū, uera fides adorat, quæ ſic uni Deo nouit à creaturis omnibus ſeruiendum, ut nouerit creaturæ non debere ſeruitutis obſequium.

Ioan. 14. *Ioan. 10.*

Inde eſt, quod etiam Spiritum ſanctum creatorem uera fides aſſerit, non creaturam. Quomodo enim creator eſſe negetur, à quo firmata cœlorum uirtus oſtenditur, dicente Dauid: *Verbo Domini cœli firmati ſunt, & Spiritu oris eius*

Spiritus S. quoq; uerus eſt Deus. 1. quia creator. Pſ. 33.

Ibid. 104. *omnis virtus eorum.* Et alio loco: *Emitte spiritum tuum & creabuntur.* Creator quippe est omnium rerum, qui factor est omnium. De quo Beatus Iob dicit:
Iob.26. *Spiritus diuinus, qui fecit me.* Spiritus er-
2. quia immensus. go sanctus, sicut omnia creauit, sic omnia replet immensus. Et quia omnia replet, naturaliter est uerus Deus. Scriptũ est enim: *Quia spiritus Domini repleuit or-*
Sap. 1. *bem terrarum.* Nam & Beatus Dauid, ubiq; esse Spiritum Dei testatur, dicens
Ps.139. ipse de eo: *Quò ibo à spiritu tuo, aut à facie*
3. quia templum eius sumus. *tua quò fugiam?* Quomodo autẽ negant Arriani, Deum esse Spiritum sanctum, cùm ita simus tẽplum Spiritus sancti, sicut sumus templum Patris & Filij. Apo-
1.Cor.3. stolus enim dicit: *Nescitis, qui templũ Dei estis? & Spiritus Dei habitat in vobis? Siquis autẽ templum Dei violauerit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctũ est, quod estis vos.* Sic autem nos Apostolus asserit esse templũ Dei, ut in eadem epistola, nos dicat etiam Spiritus sancti.
1.Cor.6. Dicit enim: *Nescitis, quia membra vestra templum sunt, qui in vobis habitat, Spiri-*

tus

tus sancti, quę habetis à Deo? Et ut ipsum Spiritum sanctum Deum esse monstraret, cõtinuò subiunxit: *Glorificate & portate Deum in corpore vestro.*

Aequalis est ergo Patri & Filio Spiritus sanctus: 1 quia creator est omniũ rerũ, sicut Pater & Filius. Aequalis est Patri & Filio Spiritus sanctꝰ: 2 qa replet mundũ, immẽsus sicut Pater & Filiꝰ. Aequalis est Patri & Filio Spiritus sanctus: 3 qa omniũ fideliũ membra unũ templũ habẽt, sicut Pater & Filius. Quis aũt negare audeat, unam esse diuinitatem Patris & Filij & Spiritus sancti, cùm corpora fidelium (quę membra sunt Christi) ipsa sint templum Spiritus sancti? *Conclusio de Spiritu S.*

Trinitas est itaq; unus solus creator omnium rerũ Deus. Trinitas est unus solus immẽsus naturaliter Deus. Ad huiꝰ imaginẽ Trinitatis homo factus agnoscit, in cuius nomine baptizatus, denuo renouatꝰ. Baptizari aũt gẽtes, in nomine Patris & Filij & Spiritꝰ sancti, Saluator noster edocuit, ut sicut Trinitatis opere initiũ cõditiõis accepimꝰ, sic in nomine *Conclusio de Trinitate.*

Trini-

Trinitatis, diuinę adoptionis gratia frui mereremur. Vnus est ergo uerus Deus Pater & Filius & Spiritus S. qui omnipotētissima bonitate creat homines, & gratuita miseratione iustificat peccatores. Præter hunc unum Deum uerum
Deut. 32. nullus est Deus, quia dum dicit: *Videte, quia ego sum Deus, & non est alius præter me:* Docet nos & admonet, graue esse peccatum, siquis extra unum Deum alium credat. Alium sine dubio credit, quisquis in Patre & Filio & Spiritu sancto diuersitatē diuinitatis existimat, cū ille Deus qui solus habet ueram diuinitatem, colendi alterius Dei nullatenus tribuat facultatem: nec Sacramento redemptionis sit aliquatenus nominandus, quisquis ab unius ueri Dei natura inuenitur extraneus. Mysterium autem redēptionis humanæ nulla ratione perficitur, si in baptismo uel Filij uel Spiritus sancti uocabulum subtrahitur.

Proinde quoniam epistolaris modus sermonem nostrę disputationis nō permittit extendi, dilectionis tuæ primordia,

dia, non sunt lectionis prolixitate fatiganda, sed breuitate potius excitãda: ut dum breue opus delectabiliter legis, ad prolixã lectionẽ ardentiùs inflãmeris. Pauca quæ dicturus sum, intentè lege, prudẽter intellige, & indubitanter tene, ex quib. ualeas in assertione à falsis uera discernere, & Christianam fidem, ipsius illuminatoris nostri iuuamine retinere.

Recta fides.

Vnus Deus est sancta Trinitas, Pater & Filius & Spiritus sanctus. Vna est Patris & Filij & Spiritus sancti natura, sed non una persona.

Sabellianorum & Arrianorũ hæreses.

Proinde, ut retẽta ueritate, possis refellere, uel certè respuere falsitatẽ, si quẽ uideris, ita Patris & Filij & Spiritus sancti unã confiteri naturã, ut uelit unã asserere personã, noli Christianũ catholicũ putare, sed hereticum Sabellianũ agnosce. Si quem uerò audieris, ita tres personas, Patris & Filij & Spiritus sancti dicere, ut uelit tres naturas istarũ triũ personarũ asserere, Arrianum hæreticũ sine dubitatione intellige. Verũ est enim qđ Sabelliani de natura Patris & Filij & Spiritus

Spiritus sancti credūt, sed falsum est, qđ tres personas esse non credunt. Verum est etiam, quod Arriani tres personas Patris & Filij & Spiritus sancti dicūt, sed falsum est, quod istarū trium personarū tres naturas persuadere contendūt. Peruersè itaque Arriani naturam Trinitatis diuidunt; personas Sabelliani confundunt. Cùm ita sit una natura Patris & Filij & Spiritus sancti, ut nō una persona: quia alia est persona Patris, alia Filij, alia Spiritus sancti.

Macedonianorū error. Siquem uerò uideris, Patris quidē & Filij unam conficere naturam, sed Spiritus sancti alteram prędicare substātiam, ut ęqualē quidem dicat Patri Filium, & solum minorē asserat Spiritum sanctū, iste nō tenet catholicę fidei ueritatē, sed Macedonianæ perfidiæ sectatur errorē. Proinde quia non est catholicus Christianus, sed Macedonianus hæreticus est, ab omnibus est fidelibus respuēdus.

Christus uerus Deus & Homo. Nunc pauca de mysterio dominicæ incarnationis aduerte. Christus enim Dei Filius, qui seipsum ueritatem profitetur,

tetur, sicut uerus est Deus, sic uerus est homo. In quo, sicut est plenitudo diuinæ naturæ, ita est & plenitudo humanæ substantiæ. Inest enim illi naturalis ueritas diuinitatis, naturalis ueritas animæ rationalis, & naturalis ueritas carnis. Ac per hoc naturalis diuinitas communis est illi cū Patre: naturalis uerò humanitas cōmunis est illi cum uirgine matre.

Si quis ergo sic in Christo ueram diuinitatē prędicat, ut eius ueram carnē negare cōtendat, nō est Christianus catholicus, sed hæreticus Manichæus: cū ipse Christus discipulis dubitātibus diceret: *Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* *Manichæorum hæresis.* *Luc. 24.*

Rursum, siquis in Christo sic ueritatem prædicat animæ & carnis, ut ueritatem in eo nolit accipere deitatis: id est, qui sic dicit Christum hominem, ut Deum neget, non est Christianus catholicus, sed Phocinianus hæreticus. Christus enim quemadmodum secundùm ueram diuinitatem Deus creator est hominum: ita secūdùm uerā carnē mediator *Phocinianorum error.*

tor est Dei & hominum. Mediator enim nullatenus esset, si uel cum Patre diuinitatis naturam, uel cum hominibus commune carnis & animæ substantiam non haberet. Et crucifixus est ex infirmitate, & uiuit ex uirtute Dei.

Conclusio. Hæc tibi, Charissime fili, pro tuo sancto desiderio & dilectione transmisi, ex quibus tibi quidē prębeatur instructionis gustus, & ex hoc gustu crescat in te prolixioris lectionis affectus, ut tanto magis possis Deo adiuuante proficere, quanto studiosiùs cœperis sanctorum patrū relicta requirere, inuenta frequentiùs atq; attentiùs recensere. Vnde tibi, Deo adiuuante, gratia scientiæ plenioris accedat, qua possis nō solùm ueram retinere fidem, uerumetiam hæreticorū mortiferam conuincere falsitatem, credens, & firmiter retinēs, unam naturam & tres personas in Trinitate Deo, & unam personam duasq́; naturas in unigenito Dei Filio, Domino nostro Iesu Christo.

SER-

SERMONES

Beati Fulgentij

QVINQVE:

QVORVM

Primus est de dispensatoribus Domini.

II. de duplici natiuitate Christi: vna æterna ex Patre: altera temporali ex Virgine.

III. De laudibus Mariæ ex partu Saluatoris.

IIII. De Sancto Stephano Protomartyre, vbi & de conuersione Pauli quædam.

V. De Epiphania, vbi & de innocentum nece & muneribus Magorum nonnulla.

SERMO BEATI FVLGENTII, DE DISPENSATORIBUS DOMINI.

Quædam solis pastorib. quædam & his & ouibus suis præcepit Dominus.



Ominicus Sermo quem debemus omnes, non solùm studiosè, uerumetiam sapienter audire, cui nos oportet humiliter ac delectabiliter obedire, moderationis suæ tenens ubiq; temperiem, ut nec ouibus desint pabula, nec pastorib. alimenta quædam specialiter solis præcepit nobis. Nobis nanq; (id est, seruis, quos pater ille familiâs, rerum omnium Dominus, ad hoc in sua magna domo constituit, ut populo eius uerbum gratiæ ministremus) specialiter iniungitur sanctæ prædicationis officium: generaliter uerò nobis & uobis, Saluatoris indicitur obedientia mandatorum.

In mandatis Dei summa copia.

In quibus denuo mandatis, tanquam ditissimis ferculis, sic cœlestium deliciarum copia spiritalis exuberat, ut in uerbo Dei abundet, quod perfectus comedat, abundet etiam, quod paruulus sugat

gat. Ibi est enim simul & lacteus potus, quo tenera fidelium nutriatur infantia, & solidus cibus, quo robusta perfectorum iuuentus, spiritalia sanctæ uirtutis accipiat incrementa. Ibi prorsus ad salutem consulitur uniuersis, Quos Dominus saluare dignatur: ibi est, quod omni ætati congruat, ibi, quod omni professioni conueniat, ibi audiuimus pręcepta quæ faciamus, ibi cognoscimus præmia quæ speremus, ibi est iussio, quę nos per literam doceat & instruat scientiam, ibi promissio quæ per gratiam trahat, perducat ad gloriam.

Seruorũ igitur quos populo suo p̃posuit Dominus, speciale uolẽs officiũ demõstrare, ait qđ ex Euãgelio modò audiuimus: *Quisnam est fidelis dispensator & prudẽs, quẽ cõstituit Dominus supra familiam suam, vt det illis in tempore tritici mensuram? Beatus ille seruus, quem cũ venerit Dominus, inuenerit vigilantem.*

Parabola de dispensatore quem Dominus familiæ suæ præfecit. Luc. 12.

Quis est iste Dominus fratres? Christus sine dubio, qui suis discipulis ait: *Vos me vocatis Magister & Domine,*

Dominus quis, & quæ sit eius familia? Ioan. 13.

mine, & bene dicitis, sum etenim. Quæ est etiam huius Domini familia? Nimirum illa est, quam ipse Dominus de manu inimici redemit, & suo Domino mãcipauit. Hęc autem familia est catholica Ecclesia, quæ per orbem terræ copiosa fertilitate diffunditur, & redemptam se precioso sui Domini sanguine gloriat.

Matt. 20. *Filius enim hominis*, sicut ipse ait, *venit, non ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem, pro multis.* Grex ergo boni pastoris ipsa est familia redemptoris.

Dispensator quis sit. Dispensator uerò qui sit, quem oportet esse fidelem pariter & prudentem, Paulus nobis ostendit Apostolus, qui

1. Cor. 4. de se suisq; socijs loquens, ait: *Sic nos existimet homo, vt ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei.* Hic iam quæritur inter dispensatores ut fidelis quis inueniatur.

Non soli Apostoli, sed & Episcopi sunt dispensatores. Ne quis autem nostrûm solos Apostolos dispensatores factos existimet, neglectoq; militiæ spiritalis officio, seruus piger infideliter imprudẽterq; dormitet,

mitet, ipſe beatus Apoſtolus, Epiſcopos quoq; diſpenſatores eſſe oſtendẽs, ait: *Oportet enim Epiſcopum ſine crimine eſſe, ſicut Dei diſpenſatorem*. Serui autem patrisfamiliâs ſumus, diſpenſatores Domini ſumus, menſuram tritici quam uobis erogemus, accepimus. Tit. 1.

Quæ uerò ſit iſta menſura tritici, ſi quæramus, ipſam quoq; nobis Beatus Paulus Apoſtolus oſtendit, dicens: *Vnicuiq; ſicut Deus diuiſit, menſuram fidei*. Quam ergo menſuram tritici Chriſtus nuncupat, ipſam menſuram fidei Paulus appellat, ut agnoſcamus, non aliud eſſe ſpiritale triticum, quàm Chriſtianæ fidei uenerabile Sacramentum. Huius tritici menſuram uobis in nomine Domini damus, quotiens illuminati dono gratiæ ſpiritalis, ſecundùm regulam ueræ fidei diſputamus & eandẽ tritici mẽſuram per dominicos diſpenſatores accipitis, cùm quotidie per Dei famulos uerbum ueritatis auditis. De ipſa nunc ergo tritici menſura loquamur: ex ipſa, ſicut Deus diuidit, uniuerſi paſcamur: *Menſura tritici quæ ſit?* Rom. 12.

inde alimenta bonæ uitæ ſumamus, ut ad æternæ uitę præmia peruenire poſsimus, in illum credentes, in illo ſperantes illum prę omnib. & in omnibus diligentes, qui ſeipſum nobis, & alimentũ præſtat, ne deficiamus in uia, & præmiũ ſeruat, ut gaudeamus in patria. Chriſtus eſt enim alimentum noſtrum: Chriſtus erit pręmium noſtrum: Chriſtus eſt cibus & cõſolatio currentium uiatorum, ipſe ſatietas & exultatio quieſcentium beatorum. Ad ipſam itaque tritici menſuram pertinet, quod Dominus ait: *Vendite, quæ poßidetis, & date eleemoſynam, facite vobis ſacculos, qui non veteraſcunt, theſaurum non deficientem in cælis, quò fur non appropriat neq; tinea corrumpit.*

Chriſtus alimẽtum et præmium noſtrum.

Luc. 12.

Magnum bonum eſt, fratres chariſſimi, ualde congruum, ualde commodum, & maximè Chriſtianis appetendum, ut unuſquiſq; deficere non delectetur in peius, ſed omnes proficere ſtudeamus in melius.

Chriſtiani proficere debent in melius.

Arbores ſumus, fratres, in agro Dominico conſtitutæ: Deus autem noſter a-

Arbores ſumus in agro Domini.

agri-

gricola. Ille nos compluit, ille colit, ipse fœcunditatem donat, ipse fructificandi gratiam subministrat, Pluuia Dei est sermo sanctæ prædicationis, cultura Dei est infusio gratiæ spiritalis. Deus igitur præcepto nos compluit, adiutorio colit, Dum compluit, aufert à nobis ignorantiæ siccitatem: dum colit, bene uiuendi condonat ubertatem: dum pluit, terram nostri cordis irrigat: dum uerò colit, de ipsa terra spinas & tribulos, mundanæ cupiditatis extirpat. Debemus itaque fœcundari cœlestibus pluuijs, debemus congrua fructificatione manib. superni responde re cultoris. Et si nõ possunt omnes arbo res æquales fruct9 afferre, nulla tamẽ debet in agro Dominico sterilis pmanere.

Multum metuenda est nobis, fratres, illa sententia comminantis, qua dicitur: *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Quòd si sterilitas in ignem mittitur, rapacitas quid meretur? Aut quid recipiet, qui alienum tulerit, si semper ar-

Arbor sterilis excidetur. Matth. 3.

debit qui de suo non dederit? Et si iudicium sine misericordia erit illi, qui nõ facit misericordiam, quale iudicium erit illi, qui fecerit & rapinam? Timeamus ergo fratres, timeamus actus nostros.

Omnes igitur aspirent ad perfectionem.

Obediens Christo, uendat quæ possidet, & eleemosynam det, ut de terra cor ad cœlum leuet, ut auaritiam calcet, ut ad perfectionis culmen tota mentis intentione festinet, ut non sit solicitus quæ sunt mundi, sed quæ sunt Domini, ut mũdum sibi crucifixum habeat, seq; mundo crucifixum exhibeat, ut sit omnino pauper in seculo, & diues in Christo. Quis ignoret boni huius magnitudinem?

Qui uerò ad summũ perfectionis gradum pertingere nequeunt: dent operam ut secundum locum obtineant.

Videmus autem, non omnib. uendẽdarum rerũ suarũ inesse uirtutẽ. Vnusquisq; enim proprium habet donum ex Deo, alius quidem sic, alius aũt sic. Ecce hoc tam magnum bonum implere pauci possunt, multi nõ possunt. Nunquid quia paucis donatur ista perfectio, propterea debent esse pessimi, quicunq; in bono nondum possunt esse perfecti?

Nun-

Nunquid propterea Christianus debet uitio rapacitatis insistere: quia fortè nõdum potest omnes res suas pauperibus erogare? Aut ideo debet aliena cõcupiscere: quia ꝓpria necdũ potest omnino cõtemnere? Absit hoc fratres ab omnib. Christianis, auertat hoc Deus à fidelib. suis. Apostolꝰ enim ueraciter dicit: *Quia neq; auari neq; rapaces regnũ Dei possidebunt.* Manifestũ est aũt, quia omnes, q à regno Dei alienabuntur, in æternũ ignẽ cũ Diabolo eiusmodi angelis damnabuntur. Proinde dilectissimi, si non omnes possunt implere qđ Dominus ait: *Vendite quæ possidetis*: Illud tamen, quod adiecit, dicens: *Date eleemosynam*: omnibus est posibile, si asit bona uoluntas: omnibus facile, si non asit dira cupiditas: omnibus salubre, si ferueat charitas: cunctis debet esse commune ut omnibus donetur æterna fœlicitas. 1. Cor. 6. Luc. 12.

Qui ergo tãtam uirtutẽ accipit à Domino, ut omnia quæ in mundo sunt, cœlestis regni amore contemnat, quæ habet uẽdat, & egenis expendat: qui uerò

tantæ uirtutis nondum eſt, de his quæ habet, inquantum habet, eleemoſynam faciat. Tantum operatur bona uoluntas, quantum ſuppetit facultas. Perfectus poſsideat primum uirtutis locum, imperfectus ſaltem perueniat ad ſecundum. Efficiatur ille glorioſè dignus, ſit iſte laudabiliter largus: ſit ille ſanctę paupertatis ardentiſsimus amator, ſit iſte ſanctorum pauperum pijſsimus conſolator. Habeat iſte apud Deum patronos pauperes: quia cum Domino iudicaturus ſedeat, ſit iſte talis, qui ad dexteram iudicandus aſsiſtat: ſit ille talis qui ad æterna tabernacula perpetuo iure poſsideat, ſit iſte talis, quem ille recipiat. Admonet enim nos Dominus, dicens: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, qui vos recipiant in æterna tabernacula.*

Luc. 16.

In bonis operibus nemo ſit ſegnis aut ſterilis.

Hoc ergo, fratres, neceſſarium eſt omnibus nobis, ut in bonis operibus nemo ſit ſegnis, nemo ſit ſterilis, nemo pręſentium delectatione futura contemnat, nemo æterna deſpiciens ſola temporalia

ralia peruersus aspiciat, nemo spiritalibus corporalia præferat, nemo terrā cœlestibus anteponat.

Thesaurum nostrum, fratres, in cœlis ponamus, ut etiam cor nostrũ in cœlis habere possimus. Necesse est enim ut quò processerit dilectionis thesaurus, illuc etiā cogitationis sequatur affectus. Ideo ueritas ait: *Vbi enim thesaurus vester est, ibi & cor vestrum erit.* Vt ergo in cœlis thesaurizemus, cœlestia diligamus. Vis nosse, ubi thesaurizas? attende qđ amas. Vis nosse quod amas? attende qd cogitas. Ita fiet, ut thesaurum tuum ex toto amore cognoscas, & amorem tuũ indicium tuæ cogitationis intelligas.

Thesaurizādum in cœlis.

Matth. 6.

Ostendens autē Dominus, quomodo in cœlis thesaurizare possimus, ait: *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes.* Si istum Domini sermonē secundũ literam uelimus accipere, nihil in eo commodi spiritalis possimus inuenire. Quid enim ꝓfuit ad animæ salutē, si aliquis corporaliter aut lũbos præcingat, aut lucernā accēdat? Alia ergo in præcin-

Quomodo thesaurizandum in cœlis.

Luc. 12.

ctis

ctis lumbis, & lucernis ardentibus, quę-renda est intelligentia ſpiritalis, quæ ſcilicet diuino ſit præcepto condigna, quæ noſtræ ſaluti congrua reperiatur & commoda. Neq; enim fruſtra quodam loco ipſe Dominus ait: *Verba quæ ego loquutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt*. In lumbis itaq; concupiſcentia carnalis oſtenditur: in lucernis uerò fides & charitas Chriſtiana monſtratur. Iubẽs Dominus lumbos noſtros præcingi, concupiſcentias carnis ſine dubio præcepit refrenari. Imperans autem, ut lucernas ardentes habeamus, hoc utique iubet, ut & lumine ueræ fidei ſplendeamus, & ſanctæ charitatis operibus ferueamus. Iubens ut ſint lumbi noſtri præcincti, mandat, ut mala deſideria atque opera fugiamus. Iubens, ut ſint lucernæ noſtræ ardentes, monet ut bona diligamus atque faciamus.

Ioan. 6.

Quid ſit lũbos præcingere & lucernas ardentes habere.

Iſta quæ de Euangelio propoſuimus cum propheticis ſermonibus conferamus. Vtrunque enim teſtamentũ Deus inſtituit, unus Dominus dedit, & ſi ſunt

Veteris et noui teſtamenti harmonia.

utriuſq;

utriusq; testamenti diuersa pro temporibus Sacramenta, concordat tamen in utroque salutis humanæ sententia, qua præcipitur, ut nō peccemus, & iubetur, ut bonis operibus insistamus. Præcepit itaque Dominus per beatum Dauid dicens: *Declina à malo, & fac bonum.* Per Esaiam quoq; omnes his admonet uerbis: *Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite peruersè agere, discite benefacere.* Hoc ergo nunc Dominus per seipsum prçcipit, quod nobis per sanctos etiam Patriarchas Prophetasq; mandauit. Quid est enim: *Sint lumbi vestri præcincti*, nisi *declinate à malo?* Quid est: *Sint lucernæ ardentes*, nisi *facite bonum?* Quid est: *Sint lumbi vestri præcincti*, nisi *quiescite agere peruersè?* Quid est: *sint lucernæ ardētes*, nisi *discite benefacere?*

Ps. 37.

Esa. 1.

Præcinguntur enim fidelium lumbi, dum cōcupiscentia mala comprimitur, dum iniqua cogitatio cohibetur, dum libidini resistit animus, dum lasciuiæ denegatur effectus, dum calcatur luxuria, dum auaritia contemnitur & rapina, dum

Lumbi quādo præcingantur.

dum proximi læsio deuitatur, dum superbia uincitur, dum inuidia superatur.

Lucernæ quando ardeant. Ardent uerò lucernæ fidelium, dum rectæ fidei regulam seruant, dum in sinu matris Ecclesiæ longanimiter perseuerant, dum terrena contemnunt, & cœlestia concupiscunt, dum sollíciti pacem custodiunt, dum se inuicem purè diligunt, dum mutuo se honore præueniunt dum mansuetudine cordis & humilitate proficiunt, dum misericordiæ opera libenter atque hilariter faciunt, dumq; in operib. bonis nõ hominibus, sed Deo placere contendunt.

Quomodo lumbos præcinctos & lucernas ardẽtes habere debeãt Christiani. Omnis ergo Christianus pręcinctos habeat lumbos, ut fugiat libidinem: Ardentẽ habeat lucernam, ut custodiat castitatem. Præcinctos habeat lumbos, ut aliquid alienum nec rapiat nec furetur. Ardentẽ habeat lucernam, ut de suo misericorditer opereť. Præcinctos habeat lumbos, ut minorem non opprimat. Ardentem habeat lucernam, ut oppresso uelaminis iustitiæ duntaxat defensionis auxilium impendat. Præcinctos habeat

lum-

lumbos, ut habenti non auferat cibum. Ardentem habeat lucernam, ut eſurienti tribuat alimentum. Præcinctos habeat lumbos, ut non ſpoliet ueſtitum. Ardentem habeat lucernam, ut ueſtiat nudum. Pręcinctos habeat lumbos, ut domum nullius inuadat. Ardentem habeat lucernam, ut peregrinos Chriſti libenter excipiat. Pręcinctos habeat lumbos, ut fugiat elationem. Ardentem habeat lucernam, ut ſeruet humilitatem. Pręcinctos habeat lumbos, ut expellat à ſe inuidiam & liuorem. Ardentem habeat lucernam, ut puram cunctis exhibeat charitatem. Præcinctos habeat lumbos, ut non exhibeat membra ſua arma iniquitatis peccato. Ardentem habeat lucernam, ut exhibeat membra ſua arma iuſtitiæ Deo.

Hæc eſt, Fratres, catholicæ fidei uera ſanaq́ue doctrina. Hæc eſt menſura tritici, de qua Domini redemptoris eſt paſcenda familia. Ex hac nobis, quantum Dominus tribuit, damus, ipſumq́ Dominum iugiter exoramus, ut & nos

Concluſio conſtans inuocatione diuinæ gratiæ.

&

& uos in timore gratiæ suæ pascere dignetur auxilio. Auferat à nobis dominationem prauæ cupiditatis, donet omnibus profectum & perseuerantiā charitatis. Lumbos uestros ipse præcingat. Lucernas nostras ipse ardere faciat, ardentesq; custodiat, ut nec refrigescat nostra charitas, nec aliqua nobis dominetur iniquitas. Sed Dominus ac redēptor noster omnibus tribuat, uniuersis donū sanctæ illuminationis ac uirtutis infundat: nobis donet, ut quod ab illo audimus, rectè intelligamus, & sicut oportet faciamus, uobisq; faciendum, sermone sufficienti & congruo prædicemus: uobis quoq; donet, ut quod ab illo per seruos eius auditis, & corde intelligatis, & opere faciatis. Hoc ergo diuina misericordia operetur in omnib. nobis, ut nos quos uoluit esse dispensatores, fideles faciat & prudentes: uos quoque faciat obedientes & humiles, ut mensuram tritici dominici, quam uobis damus, communem nobiscum salubriter atque utiliter habeamus.

SER-

SERMO BEATI FVLGENTII, DE DVPLICI NATIVITATE CHRISTI, VNA AEterna ex Patre: altera temporali ex Virgine.



CVpientes aliquid de huius diei solennitate narrare, simulq́ꝫ considerantes illud unum Verbum, de quo dicere uolumus, nulla inuenimus uerba, quibus sufficienter aliquid dicere ualeamus. Est enim hoc Verbum, non quod desinit prolatũ, sed quod permanet natum, non transitorium, sed æternum, nõ factum à Deo Patre, sed genitum, nec solùm genitum, sed etiam unigenitum. Vnum quippe Verbum, Deus Pater genuit de se ipso, per quod omnia creauit ex nihilo. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deũ, & Deus erat Verbum, hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* In hoc autem quod per illud Verbum Deus Pater omnia fecit, o- *Verbum quod est Dei Filius.* *Ioan. 1.*

ſtenditur quia hoc Verbum genuit ipſe, non fecit.

Verbum vnius eſt naturæ cũ Deo Patre: ſed alterius perſonæ.

Illud igitur Verbum de Deo Deus eſt, de creatore creator eſt. Vnde hoc in ſe naturaliter habet eſſe, quod Pater eſt. Natus eſt itaque de Patre Deo Filius Deus, alter in perſona, non alius in natura, ſemper apud Patrem, ſemper cum Patre, ſemper de Patre, ſemper in Patre. Semper apud Patrem, cum quo illi eſt naturalis immenſitas. Semper cum Patre, cum quo illi una eſt naturalis ęternitas. Semper de Patre, de quo illi eſt naturaliter æterna natiuitas. Semper in Patre, cũ quo illi eſt una naturaliter æqualisq́; diuinitas. Et alter quidem ille Pater eſt, alter ille quod Filius eſt: neuter tamẽ alter Deus: quia Pater & Filius unus eſt Deus. Quapropter quoniam de Patre Deo & Filio Deo naſcitur ſermo, dignè dicimus alterum eſſe Patrem, & alterũ Filium, & nihilominus dignè dicimus unum Deum eſſe Patrem & Filiũ. Cùm enim dicimus alterum eſſe Patrem, alterum Filium, diſcretas perſonas genitoris ge-

tris genitiq; mõstramus: dum uerò dicimus unum Deum esse Patrem & Filiũ, ipsam unam naturam indiscretæ diuinitatis ostendimus: altera est enim persona genitoris & geniti, sed una est natura genitoris & geniti.

Quomodo uerò sufficienter aut dignè loqui poterit quis? de quo? Homo de Deo, mortalis de immortali, uisibilis de inuisibili, mutabilis de incommutabili, opus de opifice, de creatore creatura, de factore factura, paruus de immenso, temporalis de æterno, humilis de altissimo, plasmatus è limo de illo qui omnia creauit ex nihilo. Cuius est inenarrabilis omnipotẽtia, qua nos gratuita bonitate fecit: nec minus tamen inenarrabilis gratia, qua nos omnipotentissima miseratione saluauit, qui & opus creatricis omnipotentiæ gratis fecit, & opus gratiæ saluatricis omnipotenter impleuit. Illic habens potestatem condendi & regendi creaturã suam, hic habens potestatem ponendi & sumendi pro nobis animam suam.

Homo de Deo sufficienter loqui non potest.

 Omni-

Omnipotentiam uerò nunc dicimus, qua Verbum, quod in principio erat, & apud Deum erat, & Deus erat, fecit omne quod nouerat: gratiam uerò, qua Verbum caro factum, uenit quærere & saluum facere, quod perierat. Omnipotentiam, qua fecit omnem diem: gratiã, qua certo die cõcipi, & certo die dignatus est nasci.

Duplex dies Christi, alter æternitatis, alter temporis.

Idem igitur minoratus paulò minus ab angelis, in die factus est hominũ, qui coæternus & æqualis Deo Patri, dies sanctorum semper est angelorum. De ipso quippe Propheta dicit: *Benè nũciate diem de die, salutare eius.* Quid est diẽ de die, nisi Filiũ de Patre? Est igitur de Patre Filius, de die dies, sed tamen Pater & Filius nõ duo dies, sed unus est dies. Est de Patre Filius, de Deo Deus: Pater tamen & Filius non duo dij, sed unus est Deus. Vnus igitur dies æternitatis simul Pater & Filius à nobis agnoscitur, in die autem temporis solus Filius inuenitur. Dies etenim æternus, Pater & Filius, nostrum corpus & animam

fecit:

fecit: in die uerò temporis, solus Filius nostrũ corpus animamq; suscepit. Christus dies æternus, unigenitus, in forma Dei manens: Christus in die temporis unigenitus, formã serui accipiens. Christus dies æternus, diues permanens, ut conderet nos: Christus in die temporis, pauper factus, ut redimeret nos. Dies ęternus Christus Deus de Deo Patre: Christus in die tẽporis Deus homo, de Virgine matre. Christus dies æternus, Verbum eructauit de corde Patris: Christus in die tẽporis, Verbum caro factũ, de utero Virginis matris. Christus dies æternus, Deus uerus de Deo uero: Christus in die temporis, sponsus procedens de Thalamo suo. Dies æternitatis Christus, angelos sanctos creãs. Dies in tempore Christus homines saluans. Dies ęternitatis Christus, in cœlo sanctos angelos pascens: Dies temporis Christus homines in terra reficiens.

Christus panis angelorum & hominum.

Vt enim panem angelorum manducaret homo, creator angelorum factus est homo, utrosq; pascẽs, & integer per-

manens. Quam bonus panis, qui & angelos pascit per spem, ut de ipso satientur in patria, & nos pascit per fidem, ne deficiamus in uia. Ille panis, qui seipsum dat angelis gaudiū stabilitatis, seipsum dedit hominibus ad remedium sanitatis. Et qui est angelorum esca, nobis factus est medicina.

Prærogatiua hominū ex incarnatione Verbi.

Veruntamen hic, dilectissimi fratres, attendite magnitudinē gratiæ, & agnoscite, quid Deus hominem dignatus est prærogare. Christus enim Dei Filius, de uero Deo Deus uerus, & unus cum Patre naturaliter Deus, semper ex seipso sanctos angelos pascit, sed tamen angelicam naturam Dei Filius non accepit. Vt autem suam charitatem Deus commendaret in nobis, Filius eius naturam nostram suscepit ex nobis, & Deus unigenitus, qui panis est angelorum, ut etiam hominem seipsum faceret panem, simul hominis & animam suscepit & carnem. Accepit utranque ueram, utranque sanctam, utranque mundam. Accepit animam nostram sine iniquitate, ac-

te, ac-

te, accepit animam noſtram cum mortalitate, accepit animam iuſtam, per quã noſtris animabus iuſtitiam redderet: carnem uerò propterea dignatus eſt habere mortalem, ut ſecundùm ipſam moriens, mortem uinceret, ſecundũ ipſam, etiam reſurgeret, per quam noſtra corpora ſuſcitaret.

Magnum myſterium, dilectiſsimi fratres, magnum diuinæ dilectionis indicium. Homo Deum cõtemnens, à Deo diſceſsit, Deus hominem diligẽs, ad homines uenit. Dilexit impium, ut faceret iuſtum: dilexit infirmũ ut faceret ſanum: dilexit peruerſum, ut faceret rectum: dilexit mortuũ, ut faceret uiuum. Et quid ampliùs dicam? quandoquidem Deus unigenitus humanam naturam tantum dilexit ut eam nõ ſolùm à poteſtate mali angeli liberet, uerumetiam in ſeipſo ſuper omnes bonos angelos, in Patris dextra collocaret.

Dilectio Dei erga genus humanũ.

Natura enim quæ in primo homine mundum peccato polluit, ipſa in ſecundo homine mundum à peccato mundauit.

Comparatio primi & ſecũdi Adami.

dauit. Primus homo de terra terrenus: secundus homo de cœlo cœlestis: Primum hominem mulier corrupta mente decepit: secundum hominem uirgo incorrupta uirginitate concepit. In primi hominis coniuge, nequitia Diaboli seductam deprauauit mentem: in secundi autem hominis matre, gratia Dei & mentem integram seruauit & carnem. Menti contulit firmissimam fidem, carni abstulit omnino libidinẽ. Quoniam igitur miserabiliter pro peccato damnatus est homo, ideo sine peccato mirabiliter natus est Deus homo.

Comparatio Euæ & Mariæ.

Attendite, fratres, medicinalis gratiæ lineas, diuina nobis benignitate monstratas. Tunc ad Euam angelus malus accessit, ut per eam homo, quem Deus fecerat, à Deo separaretur: Nunc autem ad Mariam bonus angelus uenit, ut in ea, humanæ naturę Deus unigenitus uniretur. Venit ad Euam Diabolus, ut uitam nobis malignus auferret: uenit ad Mariam Gabriel, ut uitam reddendam hominibus nunciaret.

Per

Per primi hominis culpã, cœpit Diabolus homini dominari: per ſecundi hominis gratiam, cœpit ab homine ſuperari. Super primum ſuperbus: ſub ſecundo captiuus. Per illum nos captiuatos tenuit: per iſtum nos liberatos amiſit. Primus Adam nobis author extitit culpę: nouiſsimus Adam nobis author extitit gratię. Ille de limo plaſmatus, terrenos protulit: iſte de Spiritu ſancto natus cœleſtes effecit. Per illum perdidimus gratiam priorem: per iſtum recepimus ampliorem. Ille quippe nobis intulit peccati maculam, cum qua naſceremur ad ſupplicium: iſte nobis contulit iuſtificationis gratiam, ut renaſceremur ad regnum. Per illum nos filios ſeculi generatio carnalis effecit: per iſtum nos filios Dei generatio ſpiritalis exhibuit. Ille nos uitijs ſubdidit: iſte nos florere uirtutibus fecit. Ille nos per uitia deiecit, quò primus cecidit: iſte nos per uirtutes eleuat, quò primus aſcendit. Ille quippe primus cecidit in infernum: iſte primus conſcendit in cœlum. *Redit ad cõparationem primi & ſecundi Adami.*

In die natiuitatis decet nos meminisse diei resurrectionis.


Interea fratres, dignum est, ut in die dominicæ natiuitatis, diem quoque dominicæ resurrectionis solenniter audiatis. Vnigenitus enim Deus, sicut pro nobis dignatus est nasci, sic pro nobis secundùm carnē dignatus est mori, dignatus est suscitari. Iste dies est uisitationis, ille redemptionis. Opus enim gratiæ, qua nos Deus unigenitus saluos fecit, conceptus in utero cœpit, ipsumq; opus gratiæ de sepulchro resuscitatus impleuit. Conceptus in utero, factus est particeps mortis nostræ: resurgens de sepulchro, fecit nos participes uitæ suæ.

Nunc itaque omnes Dominum exoremus, ut sicut in isto die gaudium suo populo tribuit, ad illum quoque diem omnes cum gaudio & pace perducat, populumq; suum in fide & charitate custodiat,

Amen.

SER.

SERMO BEATI FVLGENTII, DE LAVDIBVS MARIÆ EX PARTV *Saluatoris*.



Atiuitas Domini noſtri Ieſu Chriſti, totum mundum noua aduentus ſui luce hodie perfudit. Hodie de cœlo Deus deſcendit ad hominem, ut in cœlo homini præpararet aſcenſum. Hodie accepimus natum Dei, Virginis Filiũ, omnium credentium Saluatorẽ, Deus de Patre, homo de matre: Deus occultus, homo manifeſtus. Et quoniam Diabolus per ſerpentem Euæ loquutus, per Euæ aures mundo intulit mortem: Deus per angelum ad Mariã pertulit Verbum, & cunctis ſeculis uitam effudit. Angelos ſermone eiecit, & Chriſtum uirgo concepit. *Dies natiuitatis Chriſti.*

O` coniũctio ſine ſordibus facta, ubi maritus ſermo eſt, & uxor auricula. Hoc ſplendore concipitur Dei Filius, hac mũdicia generatur. Nulla fieri gra- *Chriſti conceptio & natiuitas ſine labe.*

uedo

uedo potuit concipienti, nulla tristitia parturienti. Qui enim uenerat triste lætificare seculum, uentris non contristauit hospitium. De cœlis medicus transiens per uirginem, post trāsitum suum illæsam fecit uirginem permanere. Qui enim disrupta corporum membra in alijs poterat integrare tangendo, quanto magis in sua matre; quod inuenit integrum, potuit non uiolare nascendo? Creuit enim eius partu integritas corporis potius quàm decreuit. Et uirginitas ampliata est potius quàm fugata. In augusto corporis membro sustinuit, quicquid sustinent cœli. Plena sunt uiscera, & nullum nouit contagium uirginis conscientia. Cùm esset grauida, salubri leuitate plaudebat: Lumen enim quod intra se habebat, pondus habere non poterat.

Maria, fenestra cœli. Facta est Maria fenestra cœli: quia per ipsam, Deus uerum fudit seculis lumen. *Scala cœlestis.* Facta est Maria scala cœlestis: quia per ipsam Deus descendit ad terras, ut per ipsam homines ascendere mereantur ad cœlos.

cœlos. Ipſis enim licebit aſcendere illuc, qui Deum crediderint ad terras per Virginem Mariam deſcendiſſe. Facta eſt Maria reſtauratio fœminarum: quia per ipſam à ruina patriæ maledictionis probantur eſſe ſubtractæ. *Reſtauratiō fœminarū.*

Tria deniq; mala Euæ à tribus bonis Mariæ probantur excluſa. Nam Euę dictum eſt: *In doloribus & triſtitia paries, & ad virum conuerſatio tua, & ipſe dominabitur tui.* Tribus ergo his malis ſe ſubiungant fœminæ, quæ Mariam non ſequuntur, dolori, triſtitię, ſeruituti. Maria autem econtrario, quàm præclariſsimis tribus bonis ſublimetur auſculta, ſalutationis angelicæ, benedictionis diuinæ, & plenitudinis gratię. Sic enim eam legitur ſalutaſſe: *Aue Maria gratia plena, benedicta tu inter mulieres.* Cùm dixit, *Aue:* ſalutationem illi cœleſtē exhibuit. Cùm dixit, *gratia plena:* oſtēdit ex integro iram excluſam primæ ſententiæ, & plenā benedictionis gratiam reſtitutā. Cùm dixit: *benedicta tu inter mulieres:* uirginitatis eius benedictum fructū expreſsit, *Tria mala Euæ, à tribus bonis Mariæ excluſa. Gen. 3. Luc. 1.*

pressit, ut ex eo benedicta dicatur inter mulieres, quæcunque perseuerauit uirgo. Maledicta enim Eua fuerat, quam nunc credimus per Mariam ad benedictionē gloriæ remeasse.

Venite uirgines ad uirginem, & lętamini, ponite maledictionem præuaricationis, & benedictionem restaurationis assumite. Proijcite dolores, quos Eua per serpentem accepit, & quos per angelum Maria suscepit honores, assumite. Pellite tristitiam concipientes, gemitus parturientes abijcite, ut solus uobis iste uirginis Filius dominetur. Venite uirgines ad uirginem, uenite concipientes ad cōcipientem, uenite parturientes ad parturiētem, uenite matres ad matrem, uenite lactantes ad lactantem, uenite iuuenculæ ad iuuenculam.

Ideo omnes istos cursus naturæ uirgo Maria in Domino nostro Iesu Christo suscepit, ut omnibus ad se cōfugientibus fœminis subueniret, & sic restauraret omne genus fœminarum ad se uenientium, noua Eua seruando uirginitatem,

tatem, ſicut omne genus uirorũ Adam nouus recuperat Dominus Ieſus Chriſtus, qui cum Patre & Spiritu ſancto uiuit & regnat Deus per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

SERMO BEATI FVLGENTII, DE SANCTO STEPHANO PROTOmartyre.



Eri celebrauimus temporalẽ ſempiterni regis noſtri Natalem: hodie celebramus triumphalem militis paſsionẽ. Heri enim rex noſter, trabea carnis indutus, de aula uteri uirginalis egrediẽs, uiſitare dignatus eſt mundum: hodie miles de tabernaculo corporis exiens, triũphator migrauit ad cœlum. Ille ſempiternæ Deitatis maieſtate ſeruata, ſeruile cinctorium carnis aſſumẽs, in huius ſeculi campum pugnaturus intrauit: iſte depoſitis corruptibilibus corporis iudumentis, ad cœli palatium, perenniter regnaturus, aſcendit. Ille deſcendit, carnẽ uela-

Chriſti natiuitatis & Stephani morientis comparatio.

uelatus, iſte aſcẽdit, ſanguine laureatus. Aſcendit iſte, lapidantibus Iudæis: quia ille deſcendit, lætantibus angelis: *Gloria in excelſis Deo*, heri ſancti angeli exultantes cantauerunt: hodie Stephanum lætantes, in ſuũ conſortiũ ſuſceperũt. Heri Dominus exiuit de utero uirginis: hodie miles egreſſus eſt de ergaſtulo carnis. Heri Chriſtus pro nobis pannis eſt inuolutus: hodie Stephanus ſtola eſt ab eo immortalitatis indutus. Heri præſepis anguſtia Chriſtũ portauit infantem: hodie immẽſitas cœli ſuſcepit Stephanũ triumphantẽ. Solus Dominus deſcẽdit, ut multos eleuaret: humiliauit ſe rex noſter, ut ſuos milites exaltaret. Qui enim corpori ſuo uirginis pręparauit uterũ, ipſe martyri ſuo aperire dignatus eſt cœlũ. Dominus Chriſtus anguſtias intrare non dedignatus eſt uteri, ut animã Stephani latitudo ſuſciperet cœli.

Luc. 2.

Stephanus inuictus.

Neceſſariũ tamẽ nobis eſt, fratres chariſsimi, agnoſcere, quibus armis pręcinctus Stephanus, ſæuitiam Iudæorũ potuit ſuperare, ut ita meruiſſet fœliciter

trium-

triumphare. Neq; enim paruipendenda sunt, talis uirtus, talisq; triũphus. Haud uerò uilibus armis potuit præmuniri, qui à multis nõ potuit superari. Inuictæ nanq; in eo enituit insigne uirtutis, quæ nec frequentium sæuitiam formidauit, nec lapidantium ictibus deuicta succubuit. Vsq; adeò enim inter fremẽtes permansit interritus, & inter lapidum fuit cruciamenta securus, ut incredulitatem Iudæorũ fidenter argueret, & benignus pro lapidantibus exoraret.

Quod est ergo tam magnum atq; insuperabile genus armorum, quo munitus, sæuientes argueret, lapidantes non repercutiens, sed patiens superaret, insuper & occisus, aulam cœlestis regni, uiuus & coronatus intraret? Proculdubiò munimine regio septus, nullatenus est ab aduersarijs separatus. Quoniam rex noster, cùm sit altissimus, pro nobis humilis uenit: sed inanis uenire non potuit.

Quibus armis fuerit munitus.

Magnum quippe donatiuũ suis militibus attulit, quo eos nõ solùm copiosè di-

Donatiuum quod'nam Christus militibus suis distribuerit.

ſe ditauit, ſed etiam ad certandum inui-
ctiſsime confortauit. Attulit nanque
donũ charitatis, quæ perduceret homi-
nes ad cõſortium Deitatis. Quod ergo
attulit, erogauit, nec ſibi aliquid minuit,
ſed mirabiliter & ſuorum pauperiem di
tauit, & indeficiẽtibus theſauris plenus
ipſe permanſit.

Charitatem pro armis habuit Stephanus.

Charitas ergo, quæ de cœlo ad terras
depoſuit Chriſtum, ipſa Stephanum de
terra eleuauit ad cœlum. Charitas quæ
præceſsit in rege, ipſa ſubſequenter re-
fulſit in milite. O admiranda ubiq; po-
tentia Saluatoris. O prædicanda inde-
ſinenter gratia redemptoris. Oſtendit in
matre uirginitatis æternæ miraculum,
demonſtrauit in martyre inuictæ chari-
tatis indicium. Integritas quippe inte-
merata permanſit in uirgine, dilectionis
uirtus inuicta perſeuerauit in martyre.
Et ſicut in matre Domini nõ potuit uir-
ginitas uiolari, ſic in martyris mente nõ
potuit Chriſti charitas tanto ſæuientiũ
agmine ſuperari. Stephanus ergo, ut no
minis ſui coronam meruiſſet accipere,
cha-

charitatem pro armis habebat, & per ipſam ubiq; uincebat. Per charitatē Dei, ſæuientibus Iudæis non ceſsit, per charitatem proximi, pro lapidātibus interceſsit. Per charitatem arguebat errantes ut corrigerentur: per charitatem pro lapidantibus orabat, ne punirentur. Charitatis uirtute ſubnixus, uicit Saulū crudeliter ſæuientem, & quem habuit in terra perſequutorem, in cœlo meruit habere conſortē. Ipſa ſancta & indefeſſa charitas deſiderauit orādo acquirere, quos nequiuit monendo conuertere.

Neq; enim, fratres, exiſtimandus eſt Stephanus tunc inimicos dilexiſſe, cùm pro eis oraret, & nō dilexiſſe, cùm eorū incredulitatē arguēdo corriperet. Abſit hoc ab anima martyris ad cœli palatiū feſtinantis. Ipſa enim ſancta charitas firmam ſeruauit in oratione patientiam, quæ rigidam tenuit in correctione cenſurā. Et ideo in oratione audiri meruit lenitas: quia ſine charitate non fuit in correctione ſeueritas. Ac per hoc, ſiue orando, ſiue corripiendo, charitatē bea-

Stephanus inimicos dilexit; & cùm pro eis orauit & cùm eos corripuit.

tus Stephanus reseruauit: quia utrobiq; salutem errantium cogitauit: & indicio sanctę orationis ostēdit, increpationem illam non fuisse odij, sed amoris.

Doctoris Ecclesiastici officium est & corrigere peccantes & pro ijs orare.

Hoc aūt faciens, & pręsentib. charitatem beatus martyr exhibuit, & utile nimis exemplū posteris reliquit. Demonstrauit enim geminā ecclesiastici dispensatoris industriam, ut ad corrigendū cuiuslibet peccantis errorem, & non desit in ore correptio, & ad Deum pro eo supplex effundatur oratio, ut qui malum fecit, per increpationē de malis operibus confundatur, & per orationē apud Deum adiuuetur. Ac sic, ipsa charitas, & in ore iustitiam sonet, ut errātem corrigat, & in corde patientiam seruet, ut pro errante orationem puro affectu dilectionis effundat. Qui enim errantem non corripuerit de negligentia iudicatur: qui autem pro eo non orauerit, de pernicie condemnatur.

Nemo igitur correptionib. offendatur.

Quocirca fratres, si quando aliquis pro animæ salute corripitur non aspernanter accipiat monita charitatis, nec præ-

præſentem triſtitiam ſuæ uoluntatis attendat, ſed conſideret quæ lucra utilitatis acquirat. Idcirco enim arguitur, ut à prauis operibus corrigatur. Nec tamẽ cùm uidet correptionem aliqua uerborum auſteritate feruere, exiſtimet charitatem in corde frigeſcere. Sic enim uigilet in ore correptio, ut in corde non dormitet oratio. Ac ꝑ hoc, in utroq; peccanti, conſultè proſpicitur, ut dũ homo correptus de peccato confunditur, & à malis operibus ſepa■retur, & per orationẽ (Deo miſerãte) ſaluetur. Nam & ſancta Scriptura dicit: *Quoniã quem diligit Dominus, corripit. Flagellat autem omnem filium quem recipit.*

Aut exiſtimet ideo charitatem frigeſcere.

Heb. 12.

Chriſti ergo Charitate compulſi, & bonos hortamur, ut in bono permaneant: & malos cõpellimus, ut à malo diſcedant. Pręſertim quoniam in iſtis duobus ſanctis, geminum nobis monſtratur ſalutis indicium. Vt ſi quis bonus eſt, imitetur perſeuerãtiam charitatis in Stephano: qui autem malus eſt, ſectetur exemplum cõuerſionis in Paulo. Et qui

Boni Stephanũ: Mali Paulum imitentur.

bonus est, ęquitatem usque ad finem teneat: qui autem malus est, quantotius à sua peruersitate discedat. Nec bonũ hominem præsumptio iustitiæ faciat negligentem, nec malum iniquitas faciat desperantem, sed ille bonũ fortiter teneat, iste malum celeriter deserat. Bonus timeat ne cadat, malus conetur ut surgat. Quisquis ergo malus est cũ Paulo prosternatur in malo, ut cùm eo erigatur in bono. Quoniam & ille cecidit malus, & surrexit bonus. Prostratus est iniquus, & erectus iustus. Cecidit sæuissimus persecutor, & surrexit ueridicus prædicator. Cadens lumen corporis impius perdit, surgens autem lumen cordis iustificatus accepit.

Paulus nũc cum Stephano triumphat.

Coniũctus est itaq; Stephano, factus ouis ex lupo. Et ecce nunc Paulus cum Stephano lætatur, cum Stephano Christi claritate perfuitur, cum Stephano exultat, cum Stephano regnat. Quò enim præcessit Stephanus, trucidatus lapidibus Pauli, illuc sequutus est Paulus, adiutus orationib. Stephani. Quàm


uera

uera uita, fratres mei, ubi non Paulus de Stephani occisione cōfunditur, sed Stephanus de Pauli consortio gratulatur; quoniā charitas in utroq; lætatur. Charitas quippe in Stephano superauit sæuitiam Iudæorum, charitatis in Paulo cooperuit multitudinem peccatorum, charitas in utroq; pariter regnū meruit possidere cœlorum.

Charitas igitur est omniū fons & origo bonorum, munimen egregiū, uia quæ ducit ad cœlum. In charitate qui ambulat, nec errare poterit, nec timere. Ipsa dirigit, ipsa protegit, ipsa perducit. Quocirca fratres, quoniam scalam charitatis constituit Christus, per quam ad cœlum omnis possit conscendere Christianus, puram charitatem fortiter retinete, ipsam uobis inuicem exhibete, & in ea proficiendo conscendite, insistite operibus bonis, ut ad præmia æterna peruenire possitis, adiuti gratia Saluatoris: Qui uiuit & regnat in secula seculorum, Amen. *Exhortatio ad Charitatem.*

SERMO BEATI FVLGENTII, DE EPIPHANIA.

Epiphaniæ festum cur sic dicatur.



Oſtis fratres chariſsimi, quia dies iſte, qui nobis in honorem Domini, per annos ſingulos celebratur, ore cũctorum fidelium Epiphania uenerabiliter nuncupatur. Et quia Græcum probatur eſſe uocabulum, multis Latinis eſt incognitum. Inde eſt, quòd nomẽ iſtud omnes quidem Latini dicunt, ſed non omnes inueniuntur noſſe quod dicunt. Proinde bonum eſt, ut cuncti, qui diem hodiernum Epiphaniam nũcupant, & cur hoc dicatur ignorant, ſacramentum diei huius nominis interpretatione cognoſcant. Debet enim diei huius ſolennitas à fidelibus celebrari, & ideo ſolennitatis cauſa non debet ignorari. Hunc ergo diem, ſicut diximus, Epiphaniam uocat Chriſtiana religio. Epiphania uerò interpretatur manifeſtatio. Traditũ autem tenemus à patribus quod unigenitus Dei, poſtquàm eſt ſecundùm car-

nem

nem temporaliter natus, in iſto die eſt Magis uenientibus manifeſtatus, à quibus oblatis muneribus, ſuppliciter eſt adoratus. Nam quia ipſe eſt Deus, qui ſibi in ueteri Teſtamento, primitias offerri mandauit: idem Deus homo natus, gentium primitias ſuo cultui dedicauit.

Apoſtolica uerò teſtatur authoritas: *quia vnus eſt Deus, qui iuſtificat circumciſionem ex fide, & præputium per fidem.* Circumciſionis nomine Iudæos, præputij nomine gentes indubitanter oſtẽdens. Iſti ſunt duo parietes, qui ex diuerſo uenerunt, & in lapidem, qui factus eſt in caput anguli, in unitate fidei conuenerunt. Vnus paries uenit ex Iudæis, alter ex gentibus. Lõgè à ſe diuerſi erant, quando diuerſa credebant. Poſitus eſt in medio lapis angularis, qui ad ſe utrunque parietem duceret, & utrunque uno nomine nuncuparet, eſſentq; unum communione uocabuli, qui fierent una gratia ſacramẽti. Per Chriſtum enim qui eſt pax noſtra, faciens utraque

In Chriſto Iudæi & gentes coaluere.

Rom. 3.

Epheſ. 2.

unum, Iudæi & gẽtiles facti sunt unum, quibus fidei unitas unum indidit nominis Christiani uocabulum. Ad lapidem ergo angularẽ uterq; paries uenit, & uerum angulum fidei unitas fecit.

Ideo natiuitas eius primùm pastoribus Iudæis & gẽtilibus Magis manifestata.

Horum duorum parietum unus adductus est, quando pastoribus Iudæis Christum natum angelus nunciauit: alter paries adductus est, quando gentilibus Magis nouum sydus apparuit. Illi fuerũt primitiæ Iudæorum, isti facti sunt primitiæ gentiũ. Illi de proximo adducti, isti de longinquo reducti. Propè enim erant Iudæi, qui Deũ colebant: longè erãt gentes, quę idolis seruiebãt. Hoc utiq; significabant pastores, qui nascẽte Christo propè sunt * infanti, & Magi, qui sunt de longinquis partib. adducti.

** f. inuenti.*

Magi regem Iudæorum quærũt adorandum.

Matth. 2.

Qui tamen uenientes, cùm ipsi Iudæi non essent, regem Iudæorum se quęrere professi sunt, & ad ipsum adorandum, se uenisse dixerunt. Ait enim Euangelista: *Quia Magi ab oriente venerunt Hierosolymam dicentes: Vbi est qui natus est rex Iudæorum? Vidimus enim stellam eius*

in

in oriente, & venimus adorare eum. Quid est, dulcissimi fratres, ut isti Magi regem Iudęorum adorandum quærerent, cùm ipsi Iudæi nō essent. Et quem regem? Vtiq; non Herodem, sed Christum. Volūt adorare regem nuper natum, nec adorant regem ante annos aliquot ordinatum. Adorare cupiunt infantem lactantem, nec adorant regem populis imperantem. Nam & de Herode rege Iudęorum filij iam fuerāt nati, qui erant patre mortuo regnaturi. Mortuo enim isto Herode, Archelaus in Iudæa regnauit, & Galileæ principatū iunior Herodes obtinuit. Archelaus natus est in palatio, Christus in diuersorio. Archelaus natus est in lecto argēteo positus, Christus autem natus, in præsepio est breuissimo collocatus. Ille forsitan preciosis inuolutus est sericis, iste uilissimis inuolutus est pannis. Et tamē ille natus in palatio contēnitur, iste natus in diuersorio quęritur. Ille à Magis nullatenus nominatur, iste inuentus, suppliciter adoratur. Omnino spernitur primogenitus regis, &

Non Herodem aut filiū eius Archelaū: sed Iesum pauperculæ Filium.

& muneribus adoratur primogenitus pauperculæ mulieris. Quis est iste rex Iudæorum? Pauper & diues, humilis & sublimis? Quis est iste rex Iudæorũ, qui portatur ut paruul9, adoratur ut Deus? paruus in præsepio, immensus in cœlo, uilis in pannis, preciosus in stellis, cuius natiuitate comperta, Herodes turbatus est, & omnis Hierosolyma cum illo.

Ad Herodem turbatũ Apostrophe pro Christo, qua timor illius præposterus redarguitur.

„ Quid est, quod sic turbaris Herodes? „ Quoniam natũ regem Iudæorũ audisti, „ turbaris, suspicionibus agitaris, inuidiæ „ stimulis inflãmaris: & ob hoc natũ re- „ gem occidere conaris. Inanis est ista tur- „ batio tua, & uana prorsus cogitatio tua. „ Rex iste, qui natus est, nõ uenit reges pu- „ gnando superare, sed moriẽdo mirabili- „ ter subiugare. Nec ideo natus est, ut tibi „ succedat, sed ut in eum mũdus fideliter „ credat. Venit ergo, nõ ut pugnet uiuus, „ sed ut triũphet occisus. Nec ut sibi de a- „ liis gentib. auro exercitũ quærat, sed ut „ pro saluandis gentibus preciosum san- „ guinem fundat. Inaniter inuidendo ti- „ muisti successorem, quem credendo de-

buisti

buisti quærere Saluatorē. Quia si in eū " credederes, cum eo regnares: & sicut ab il- " lo accepisti temporale regnum, accipe- " res etiam sempiternū. Huius enim pue- " ri regnum non est de hoc mundo, sed per ipsum regnatur in mundo. Ipse est e- nim sapientia Dei, quæ dicit in prouer- bijs: *Per me reges regnant*. Puer iste Ver- bum Dei est, Puer iste uirtus & sapien- tia Dei est. Si potes contra Dei sapien- tiam, cogita. In tuam perniciem uersa- ris, & nescis. Tu enim regnum nulla re- nus habuisses, nisi ab isto puero, qui tūc natus est, accepisses. Puer, qui nūc a Ma- gis dicitur rex Iudæorum, idem Creator & Dominus angelorum. Quapropter, cuius times infantiam nascentis, magis timere debes omnipotentiam iudican- tis. Noli eum timere regni tui successo- rem, sed time infidelitatis tuæ iustissimū damnatorem. Vtinam eum, Magis ad- orantibus, etiam tu pariter adorares, & non ad eum Magos, fraudulenta calli- ditate mādares: *Ite*, inquit, *& interrōga- te diligenter de puero, & cùm inueneritis,* *renun-*

Prouerb. 8.

Matth. 2.

renunciate mihi, vt ego veniens, adorem. O' calliditas ficta. O' incredulitas impia. O' nequitia fraudulenta. Si adorare istum puerũ certissime disponebas, quare pro illo multos pueros occidebas? Sanguis innocentum, quem crudeliter effudisti, attestatur, quid de hoc puero uoluisti.

Herodes infantibus à se occisis, non nocuit, sed profuit.

Et tamen non solùm istum Puerum non inuenisti, sed nec illis pueris aut quid nocuisti, imò inscius, quòd illis ꝓderat hoc egisti. Per sæuitiam quippe tuam facti sunt martyres, qui per infantiam suam fuerant innocentes: quando per gratiam huius pueri, pro eo meruerunt mori, priusquam eum possent coram hominibus cõfiteri. Iste itaq; Puer, qui mundum creauit, qui mundum regit, qui omnia quæcunq; uult facit, qui cuncta mirabili atq; insuperabili ordine disponit, hoc ordinauit, hoc egit, ut per tuam inuidiam furiosam, illi pueri mortem susciperent preciosam: & quod eis ad salutem tuam præstare non possis amicus, hoc ad damnationem tuã faceres

tes inimicus. Ad hoc ergo te permisit infantes occidere, ut illos de te faceret triumphare. Te ergo permisit ad nequitiam, illos perduxit ad palmam.

Vnus enim idemq; est Dominus omnipotens, qui paruulus uagiēs: unus idemq; est, qui tuam crudelitatē dignatus est fugere, cuius maiestatem non potes effugere. Fugit enim non formidine humana, sed dispensatione diuina. Fugit non necessitate, sed potestate. Ideo autem dignatus est in Aegyptum fugere, ut postea crucem dignaretur ascēdere. Et illa potestate Puer latuit in Aegypto, qua potestate iuuenis pependit in ligno. Vnus enim idemq; mortis susceptor, uitæq; largitor: unus idemq; immortalis ex Patre, mortalis ex matre, ꝓpria potestate moriens, propria potestate resurgens.

Christi fugā in Aegyptū cur instituta?

Iste itaque Puer, qui natus est, ideo non inuenitur in numero paruulorum morientium: quia ipse expectatio gentium. Sanguis huius proinde propterea non cum istorum sanguine funditur

Christus cur nō cum paruulis occisus: & tamē mortuus postea?

pue-

puerorum: quia ſolus in remiſsionem fundendus eſt peccatorum. Et illi omnes pueri inaniter morerentur, niſi huius ſanguine ſaluarētur. Et iſte quidem puer certiſsimè morietur: quia ſi mori nolet, nullatenus naſceretur. Morietur autem, non ut impleat ſæuitiā tuam, ſed ut perficiat manſuetudinem ſuam. Faciet enim eum mori benignitas propria, non malignitas aliena. Morietur, non ut tu infidelis regnes in ſeculo, ſed ut ſecum regnare faciat fideles in cœlo. Morietur, non ut perdat breuem uitam, ſed ut conferat ſempiternam. Morietur, non ut ſeruus iniquitatis, ſed ut Dominus maieſtatis. Morietur, non uinculo neceſsitatis, ſed ꝓpoſito uolūtatis. Morietur mirabiliter, morietur miſericorditer, morietur ſingulariter, morietur per propriam poteſtatē, ut ſuam in omnib. adimpleat uolūtatem. Adhoc enim miſericorditer morietur, ut reſurgens cunctis gētibus dominetur. Morietur ergo ſicut unus, & quidem, quem Deum hominem cōcepit fides uirginis, & Deum homi-

hominem peperit fœcunditas uirginalis.

Si neſcis ueram huius pueri Deitatē, attende ſtellam in cœlo fulgentem, Magos præcedentem, & iter ignorantibus oſtendentem. Hęc ſtella nunquam antè apparuit: quia nunc eam Puer iſte creauit, & Magis ad ſe uenientibus præuiam deputauit. Iſte Puer in præſepi quidem paruulus collocatū, ſed magnus in cœlo mirabiliter operatur. Permittit ſe manibus in terra portari, ſed præcepit ſibi cœleſtia famulari. Quid ergo quod infantilem attendis ætatem, & eius diuinā nō intelligis poteſtatem? Sic fuit ueraciter intimanda pueri huius naturalis diuinitas, & naturalis humanitas, utraq; naturaliter uera, utraque unita, nec in ſe inuicem confuſa nec à ſe inuicem ſeparata. Ipſum enim habuit Maria filiū de ſe natum, cui ſtella debitę ſeruitutis exhibuit famulatum: Ipſum eundemq́; Maria in Bethlehem dominum hominem peperit, quem ſtella Magis in oriente poſitis nūciauit. Magi ergo uenerūt & Filium *Stella ſignū Deitatis in Chriſto.*

Virginis unum eundemq; Dominũ hominem cognouerunt.

Munera Magorum quid significent.
Matth. 2.

Deniq; attende, quid obtulerunt, & agnosce, quid crediderunt. Refert enim Euangelista: *quia intrantes domum inuenerunt puerum cum Maria matre eius, & procidentes, adorauerunt eum, & apertis thesauris istis, obtulerunt ei munera, aurũ, thus & myrrham.* Per ista tria munerum genera, in uno eodẽq; Christo, & diuina maiestas, & regia potestas, & humana mortalitas intimatur. Thus enim ad sacrificium: aurum pertinet ad tributum: myrrha ad sepulturam pertinet mortuorum. Omnia hæc sancta fides Christo ueraciter offerre nõ desinit, dum unum eundemq; uerum Deum, uerum regẽ, uerumq; hominem credit, ut uere pro nobis mortuum, ueraciter recognoscat.

Ex muneribus Magorũ erroris conuincuntur 1, Arriani. 2. Manichæi.

In oblatione thuris, confunditur Arrianus, qui soli Patri sacrificium deberi contendit. In oblatione myrrhæ confunditur Manichæus, qui Christum uere mortuum pro nostra salute non credit. In auro uero simul uterq; cõfunditur: qa

&

& Manichæus de ſemine Dauid ſecundùm carnem natum non credit regem, & Arrianus de unigenito naturalem aſſignare nititur ſeruitutem. Proinde uterq; nõ experietur regem, à quo per fidem regatur: ſed à quo pro infidelitatis crimine puniatur. Quia ab uno diuinitatis, ab altero carnis ueritas denegatur. In hiſdem muneribus confunditur etiam Neſtorius, qui nititur Chriſtũ in duas perſonas diuidere, cũ uideat Magos, nõ alia Deo & alia homini, ſed uni Deo homini eadem munera obtuliſſe ſuppliciter. Nõ ergo diuidat in pſonis, q non inueniť diuiſus in donis. Propterea quippe unus idẽq; iſtis muneribus honoratur, ut unus idẽq; Deus & homo cognoſcatur. Iſta Magorum oblatio confundit etiã Eutychetis inſaniam, qui non uult in Chriſto utranq; ueram prædicare naturã. Veritatẽ quippe iſtorum munerũ tollit, dum in Chriſto unam naturam prædicare contendit. 3. *Neſtorius.* 4. *Eutyches.*

Nos itaque dilectiſsimi fratres, offeramus Chriſto indubitanter in fide,

Exhortatio ad exemplũ Magorum.

quod Magi obtuliſſe cognoſcuntur in munere, ut uerè diuinitatis humanitatisq́; confeſsio ipſa ſit apud Chriſtũ noſtra fidelis oblatio. Hęc munera cũ Magis unanimiter offeramus, & ad regionẽ ſanctorũ tota cordis deuotione tendamus. Nec teneamus uiam ueteris uitæ, ſed diuinis mãdatis humiliter obſequentes, uiam mutemus, & in quã præcepit Domin9, ambulemus, ut ad patriam peruenire ualeamus, ubi ſine fine cũ ipſo gaudeamus. Via enim hominis eſt uita eius. Qui malè uiuit, uiam tenet erroris. Qui bene uiuit, per uiam graditur ueritatis. Quapropter qui ambulet uiã fornicationis, uiã teneat caſtitatis. Qui uiã tenebat auaritiæ, teneat uiam uitæ. Qui ambulabat per uiam fictionis, uiã teneat nũc puritatis. Ambulemus benè per fidẽ, ut perueniamus ad ſpem, ubi plenum erit gaudium noſtrũ: quia implebitur in nobis deſiderium noſtrum.

Per eum qui uiuit & regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

BEATI

Beati Fulgentij RVSPENSIS EPISCOPI:

& aliorum quindecim Africæ Episcoporum de Incarnatione & Gratia Domini nostri Iesu Christi:

SEV

De Gratia & Libero arbitrio ad PETRVM DIACONVM & Collegas eius Responsio.

Cui hac primùm editione præmissus est D. PETRI DIACONI & Collegarum de eodem argumento ad B. FVLGENTIVM & alios Africæ Episcopos LIBER.

ANAGNOSTES LECTORI S.

IN quinto Tomo Orthodoxographorum, quæ ante annos aliquot ex Officina Henricpetrina, magno S. Theologiæ studiosorum commodo, prodierunt, extat inter cætera scriptum quoddam Petri Diaconi de Incarnatione & Gratia Domini nostri Iesu Christi, Romà ad Episcopos Africæ transmissum. Ad quod cùm B. Fulgentius hoc suo libro de eodem argumento conscripto responderit: placuit Typographo in tui gratiam, benigne Lector, P. Diaconi libellum responsioni Fulgentij præfigere, & tanquam auctarium quoddã nouæ huius editionis hoc loco inserere. Quod ni fallor, tibi quoq; non displicebit. Vale.

PETRVS Diaconus uixit circa annum Christi CCCCLXXXVI. Valente Arriano principe ad gubernacula Romani Imperij sedente. Qui fuerit non satis constat, sed qualis in doctrina fuerit ex hoc libello exiguo colligitur, cuius tamen alij Augustinum, alij Fulgentium faciunt auctorem. Illos refutant tempora, quia quatuor in hoc libro ponuntur Concilia, quorum duo sunt post mortem Augustini congregata: hos ipsa ratio conuincit, quia ad se ipse Fulgentius scribere non potuit. Quod uerò Bertramus ex hoc uerba quædam citat Fulgentij nomine, id auctoritatis nihil habet.

Inuentus est ante paucos annos in cœnobio Parcensi, quod est societatis Præmonstratensis, in agro Lonauiense.

D. PE-

D. PETRI DIACONI ET ALIORVM QVI IN CAVSA FIDEI A GRAECIS EX ORIENTE Romam missi fuerunt, de Incarnatione & Gratia Domini nostri Iesu Christi, seu de Gratia & libero arbitrio ad Fulgentium & alios Episcopos Africę,

LIBER VNVS.

CAPVT I.

Quòd consensus Ecclesiarum in fide, sit confirmatio fidelium.

DOMINIS SANCTISS. ET CVM OMNI *ueneratione nominãdis,* Daciano, Fortunato, Albano, Orontio, Boëtho, Fulgẽtio, Ianuario, *& cæteris* Episcopis, *& in Christi confeßione decoratis: exigui* Petrus Diaconus, Iohannes, Leontius, Iohannes *& cæteri fratres, in causa fidei* Romam *directi.*



VTILE & pernecessarium sanctisq; Dei Ecclesijs specialiter credimus profuturum, ea quæ de incarnatione & dispensatio- Proœmium

pensatione diuina, nobiscum uniuersæ sanctæ Ecclesiæ Orientalium contra hæreticos defendunt (qui prauis & iniquis argumentis antiquam Ecclesiæ fidem inquietare non cessant) Sanctitati uestrę suggerere, atque de his consensum uestræ Beatitudinis suppliciter pomereri. Quia nullo sanctam gloriosamque confessionem uestram credimus dissentire; præsertim cum uno ubique Spiritu sanctam Dei Ecclesiam uegetari, minimè dubitemus.

Non enim parua, imò potius magna lætitia uniuersi replebũtur Orientales, si Sanctitatem uestram suis, imò magis catholicis nouerint in omnibus consentire dogmatibus.

Vnde suppliciter petimus & obsecramus Beatitudinem uestram, quatenus diligenti examinatione, eà quæ inferiùs continentur discutientes (ut decet uerissimos & intrepidos Christi prædicatores) scriptis sentẽtiam uestram nobis patefacere iubeatis: ut si Deo prȩstante catholicæ fidei conueniens, & Apostolicis

cis traditionibus nostra apud uos (sicut non diffidimus) fuerit expositio comprobata, & facilè tantorum uirorũ probatissimorumq; sacerdotum authoritate muniti: iniquæ loquentium ora obstruere ualebimus, & in fide sanctorum patrum perseuerantes, Deo qui nos sanctimonij sui cõfessione glorificauit, gratias referamus, Domini sanctissimi & Deo dignissimi. Nunc ea quæ sequuntur, diligentiùs petimus exploretis.

CAPVT II.

Quòd in Christo duæ naturæ, sine confusione in vnam personam sunt vnitæ.

IGitur iuxta sanctorum patrum traditionem, Dominum nostrum Iesum Christum in duabus naturis unitis & inconfusis: id est, diuinitatis, & humanitatis, in una persona siue substantia confitemur: nec illis acquiescentes, qui unã Dei Verbi naturam incarnatam prædicantes, uenerabilis Chalcedonensis Cõ

cilij fidem refugiunt: nec illos admittentes, qui duas naturas dolosè pronũciantes, unam Dei Verbi naturam incarnatam minimè cõfitentur, æstimantes hoc duarum naturarum professioni contrarium: Quasi aliquid aliud, quàm duas naturas ineffabiliter unitas, una Dei Verbi natura incarnata significet, Beato Cyrillo Alexandrinæ ciuitatis antistite, ad Successum Episcopum Diocesariæ ita scribente: Si enim unam naturam dicentes, Dei uerbi tacuissemus, non inferentes incarnatam, sed uelut abijcientes dispensationem, erat illis forsitan nõ improbabilis sermo simulantibus interrogare, ubi est in humanitate perfectio, aut quomodo substantia nostra subsistit. Quoniam uerò & perfectio quæ in humanitate est, & essentiæ nostræ manifestatio illata est, per id quod dictum est incarnati, iam deferant arundineam uirgam sibimet supponentes.

Vna Dei Verbi natura incarnata.

B. Cyrillus Alexãdrinus.

CAPVT

CAPVT III.

Quòd beata Maria propriè sit Dei mater.

BEatam uerò uirginem Mariam nō propter dignitatem hominis illius, qui ex ipsa natus est (quem gratia & nō natura Deum quidam impiè prędicare nō metuunt) sed propriè, & secundùm ueritatem credimus theotocon: id est, Dei genitricem, eò quòd peperit uerè & propriè Deum uerbum incarnatum, & hominem factum, atque essentialiter siue naturaliter carni unitum.

Maria θεοτόκος.

Propterea etiam essentialem siue naturalem factam naturarum unitionem omnimodis confitemur, non sicut illi, qui tanquam in Propheta, ita in Christo Domini Verbum inoperasse contendunt. Quos redarguit Beatus Gregorius Nazianzenus ad Clidoniū dicens: " Si quis sicut in Propheta secundū gra- " tiam dicit inoperasse Domini uerbum, " & non essentialiter factam confitetur u- " nitionem, sit uacuus melioris in operationis,

Vnio duarū naturarū in Christo naturalis seu essentialis.

Gregor. Nazianzen.

tionis, magis autem plenus sit deterioris. Nec sicut illi qui secundùm illustrationem, aut dilectionem, aut affectionē, aut personalem, uel subsistentialem siue secundùm authoritatem, aut potentiam aut æqualitatem honoris, unitionē tentãt astruere naturarum. Quos paulò superiùs memoratus Beatus Cyrillus anathematizat, dicens contra Nestorium:

B. Cyrillus.

,, Si quis in uno Christo diuidit substan-
,, tias post unitatem sola societate conne-
,, ctens secundùm dignitatem, & auctori-
,, tatem, aut potentiam, & non magis con iunctionem quæ est secundùm unitatē naturalem, anathema sit. Deus enim uerbum non nomine uacuo, non particula sui, sed natura Deus tantus, quantus & Pater est, æqualis per omnia Patri, præter hoc tãtummodo quòd ille Pater est, iste Filius, naturæ se humanæ uniens, factus est homo.

Paulus Samosatenus cur damnatus.

Hinc etiam à sanctis patribus adunatione ex diuinitate & humanitate Christus Dominus noster compositus prædicatur. Quod nolens Paulus Samosatenus

tenus confiteri, damnatus eſt ab Antiocheno Concilio, Malchione presbytero eiuſdem Antiochenæ Eccleſiæ uiro per omnia eruditiſsimo, & ab uniuerſis ſacerdotibus, qui cõtra eundem Paulum conuenerant, tunc electo, qui ſummum diſputationis certamen à Concilio memorato ſuſcipiens, ita eundem hæreticũ inter cætera redarguit dicens: Ex ſimplicibus fit certè compoſitum, ſicut in Christo Ieſu, qui ex Deo uerbo & humano corpore, quod eſt ex ſemine Dauid unus factus eſt, nequaquam ulteriùs diuiſione aliqua, ſed unitate ſubſiſtens. Tu uerò uideris mihi ſecundùm hoc nolle compoſitionem fateri, ut non ſubſtantia ſit in eo Filius Dei, ſed ſapientia ſecũdùm participationem. Hoc enim dixiſti, quod ſapiẽtia diſpẽdiũ patiatur, & ideo compoſita eſſe poſsit, nec cogitas, qđ diuina ſapiẽtia ſicut, antequã ſe exinaniſſet, indiminuta pmanſit: ita & in hac exinanitione quã geſsit miſericorditer, indiminuta atq; indemutabilis extitit. Et hoc etiam dicis quòd ſapiẽtia habitaret

Malchio contra P. Samoſaten.

in eo.

,, in eo. Habitamus & nos in domibus,
,, alter in altera: ſed neq; pars domorum
nos ſumus, nec noſtra pars domus eſt.

Athanaſius. Similiter etiam beatus Athanaſius in libello, cuius eſt titulus: Quòd unus ſit Chriſtus, Hæreticorum uanitatem refutans, poſtquam de filij Dei diuinitate inqſitiones eorũ ſuperfluas approbaſſet, ita ꝓſequit̃: Sic, inquit, etiã de incar-
,, natione ingrunt: Quomodo (inquiũt)
,, incarnat9 Deus? quomodo incorporat̃
,, quomodo componitur? Ad paruũ cor-
,, puſculum incapabilis, quomodo unit̃,
,, increatus creato, & circumſcripto incir-
,, cumſcriptus? aut quomodo in partem,
,, magnus ille & immẽſus & indiuiduus?
,, Si autem magnitudo illa in paruo loco
,, contracta eſt, aut paruum illud factum
,, eſt magnum, aut pars, & non omnis di-
,, uinitas carni unita eſt: quod eſt impium
,, credere. Et prolapſi ſunt ex hoc quòd
,, dicunt quomodo, & quali modo? &
,, qua ſententia in perfidiam etiam iſti &
,, inhabitationem pro incarnatione ope-
,, rati ſunt, & pro unitate & compoſitione

inope-

inoperationem humanam, & pro una " substantia Domini nostri Iesu Christi, " duas subsistentias, & duas personas, & " pro sancta & ineffabili Trinitate, qua- " ternitatem indecenter dogmatizantes " & impiè. "

Rursus Beatus Gregorius in sermo- *Regula B.* ne de Filio: Vno autem, inquit, capitu- " *Gregorij.* lo meo, ut altiora quidem ascribas di- " uinitati, & illi naturæ quæ pasſionibus " & corpore probatur esse superior: hu- " miliora uerò cōposito tribuas, qui pro " pter te semetipsum exinaniuit, & incar- " natus est. Hinc ergo rectiſsimè credi- " mus, quod plenus & perfectus Deus uerbum etiam post assumptam carnem, nullum augmentum detrimentumqúe pertulerit, imò unitione sua ineffabilem gloriam contulerit assumptæ naturæ.

CAPVT

CAPVT IIII.

Quòd non ſit facta quaternitas in Deitate per incarnationis myſterium.

λόγος cũ carne unus eſt ex Trinitate.

HAc de cauſa Trinitas, etiam poſt incarnationis myſterium Trinitas manſit: quia idem Deus uerbum, etiam cũ propria carne unus eſt ex Trinitate: non quòd caro eius ſit de ſubſtãtia Trinitatis, ſed quia caro Dei uerbi eſt, qui eſt unus ex Trinitate. Ipſe enim omnino, & non alius aſcendit in cœlũ, qui deſcendit de cœlo, Filius hominis, qui eſt in cœlo.

Ioan. 3.

λόγος paſſus, crucifixus, &c. carne. Cyrill. anathematiſmo 12. 1. Iohan. 1.

Quapropter & Deum uerbum paſſum carne, & crucifixum carne, ſepultũ carne, ſecũdùm Beatum Cyrillum profitemur, dicentem: Si quis non confitetur Deum uerbum paſſum, crucifixum carne & mortem carne guſtaſſe, factũq; primogenitum ex mortuis, ſecundùm quod eſt uita, & uiuificator, tanquam Deus, anathema ſit.

Chriſtus ho-

Similiter etiam hominem Chriſtum dicimus

dicimus Verbum, secũdùm illud Beati Iohannis: *Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ tractauerũt de Verbo vitæ.* Neque enim uerbum secundùm Deitatis suæ naturam tractari potuit, manibus humanis, nisi fieret homo: Est etiam proculdubio Puer ille, quem Beata Virgo genuit, quem pãnis inuoluit, quem in præsepio collocauit, quem octauo die circuncidit, quem Simeon uir iustus, proprijs amplexatus est gremijs; quem subiectum parentibus Euangelistæ referunt, quem profecisse ætate & sapientia protestantur; naturâ Deus, per quem facta sunt omnia uisibilia & inuisibilia, unigenitus & primogenitus, in quo omnia constant, secundùm Apostolum. Et hoc ipsum claris uocibus etiam Esaias Propheta protestatur dicens: *Puer natus est nobis, et Filius datus est nobis, cuius potestas in humero eius, & vocabitur magni cõsilij Angelus, admirabilis, cõsiliarius, Deus fortis, dominator, princeps pacis, Pater futuri seculi.*

mo est λόγος & naturâ Deus.

1. Iohan. 1.

Coloss. 1.

Esa. 9.

Et idcirco acquiescendum illis nullatenus credimus, qui puero illi Deum fortem unitum asserunt, nec Deum fortem ipsum esse puerum credunt, præsertim cùm nō alterius cuiuslibet, sed eius omnino thronus, qui de Spiritu sancto & Maria Virgine natus est, atque in Iordane à Ioanne, ut aquas sanctificaret, baptizatus, *est in seculum seculi, virga æquitatis, virga regni tui: Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, propterea vnxit te Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis.* Quomodo autem ungi poterat Deus, cuius thronus est in seculum, nisi fieret homo?

Ps. 45.

CAPVT V.

Quòd Deus factus sit homo, & homo non sit factus Deus.

Duæ natiuitates uerbi Dei.

SEcundûm hanc ergo Prophetæ sententiā, Deus factus est Christus, non autē Christus factus est Deus: sicut dicunt hæretici, qui per profectum, non per naturam Christum Deum audent asserere: Deus enim unctus est: quia ipse

factus

factus est homo, non enim est alter Deus, alter homo, sed idem Deus, idem homo.

Qui enim naturalis est Filiꝰ Virginis, idem naturalis est Filius Dei, propterea & duas natiuitates credimꝰ Dei Verbi, & confitemur: id est, unam ante secula in Patre, secũdùm diuinitatem: alteram in nouissimis diebus à Virgine sancta, secundũ carnem: execrantes eos qui negant secundũ carnem Dei uerbi natiuitatẽ: qui etiã refugiunt unius eiusdemq́ Filij Dei fateri mirabilia, & passiones, quod omnis Dei Ecclesia confitetur.

Accipimus autem & quatuor Concilia secundùm hunc expositionis nostræ sensum Nicenum trecentorum decem & octo episcoporum: Constantinopolitanum centum & quinquaginta, qui dãnauerunt impios Pneumatomachos: necnon etiam Ephesinum primum, cui præfuerũt beatissimi Celestinus Romanus, & Cyrillus Alexãdrinus antistites: & sanctum ac uenerabile, quod apud Chalcedonam celebratum est.

Epiſtolas quoque Beati Leonis amplectimur, anathematizantes uniuerſos contraria dogmatibus Eccleſię ſentientes, ſimul & omnia ſcripta Theodori Mopſuheſtini, & Neſtorij diſcipuli eius, omnesq; qui illis ſimilia ſapiunt cũ eodem Neſtorio, nec nõ etiam cuncta ſcripta duodecim capitulis aduerſantia beati Cyrilli, quæ contra eundem Neſtoriũ ædidit: his adijcientes Eutychem Dioſcorum cum ſocijs eorũ, omnesq; quos iuſtè ac regulariter ſedes Apoſtolica cõdemnauit.

CAPVT VI.

Qualis homo ſit creatus, & qualis cum ſua poſteritate per peccatum eſt effectus.

POſt hæc conſequens eſt, etiam qualiter de Chriſti gratia ſentiam9, qua nos eruit de poteſtate ſatanæ, ſecundùm quod nobis eſt traditũ ueſtræ Beatitudini declarare: quia etiam in hac parte authoritas ueſtra nobis ualde eſt neceſſaria.

Credi-

Credimus itaq; bonum, & sine ulla carnis impugnatione à Deo creatore omniũ factum Adam, magnaq; præditũ libertate, ita ut & bonum facere in propria facultate haberet, & malũ, si uellet, posset admittere: eratq; mors & immortalitas in eius posita quodammodo arbitrij libertate. Capax enim erat utriusq; rei, ut si seruaret præceptum, sine experientia mortis fieret immortalis: si uerò contemneret, mors continuò sequeretur.

Qualis Adã sit creatus,

Itaque serpentis astutia deprauatus, sponte diuinæ legis præuaricator effectus est, & ideo secundùm quod ei prędictum fuerat iusto iudicio Dei, mortis pœna damnatur, totusq;: id est, secundũ corpus & secundùm animam, in deterius commutatus, amissa libertate propria, sub peccati seruitio mancipatur.

Ex hoc nullus est hominum, qui non huius peccati uinculo nascatur astrictus, præter eum qui ad hoc uinculum peccati soluendum, nouo generationis modo natus est, mediator Dei & homi-

Tota Adami posteritas, Christo excepto, obnoxia peccato & morti.

hominum, homo Christus Iesus. Quid enim aliud potuit aut potest nasci ex seruo, nisi seruus? neque enim cùm esset liber Adam filios procreauit, sed postquã seruus peccati factus est. Ideo sicut omnis ab illo est, ita & omnis homo seruus peccati per ipsum est. Hinc Apostolus Paulus & Romanos quinto: *Ex vno*, inquit, *in omnes homines in condemnationẽ.* Et rursus: *Per vnum hominem peccatũ intrauit in hunc mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt.* Fallũtur ergo omnimodo, qui dicunt mortẽ solam, non & peccatum transisse in genus humanum: cùm Apostolus & peccatum & mortem mundo per eum testetur illatum.

Liberamur autem gratiâ Saluatoris. Ab hac igitur damnatione & morte, nullus omnino liberatur, nisi gratia Redemptoris. Qui cùm esset Dominus, utpote Deus, ut nos à seruitute perpetua & potestate Diaboli liberaret, atq; ad ueram libertatem educeret, factus est seruus, accipiens formam serui. Hinc est, *Phil. 2.*

quod

quod dicit ad Iudæos: *Tunc verè liberi e-ritis, si vos Filius liberauerit*. Putabant enim se uerè liberos, qui humanis occupationibus intentione uanissima seruiebant. Vt ergo falsa libertas fieret Christiana libertas, eadem libertas liberatore indiguit, quo posset per eius gratiam ab occupationibus humanis auersa, ea cogitare & desiderare, quæ pertinent ad uitam æternam. *Ioan. 8.*

Sine hac igitur gratia potest quidem cogitare & desiderare humana, non autem potest cogitare aut uelle, seu desiderare diuina. Quorum primum est & præcipuum fundamentum, & crepido quodammodo, siue omnium bonorum origo, credere in Dominum gloriæ crucifixum. Quod utique non est ex naturalis arbitrij libertate: quia non hoc caro & sanguis, sed Pater cœlestis reuelat cui uoluerit, ad ueram eum attrahens libertatem, non uiolenta necessitate, sed infundendo suauitatem per Spiritum sanctum, ut mox credentes dicamus: quia Dominus est Ie-

Sine qua grá tia humana quidem non autem diuina possumus cogitare & uelle.

Matt. 16.

ſus, quod nemo per naturalem arbitrij libertatem poteſt dicere, niſi in Spiritu ſancto.

Fides Dei donum. Fruſtra ergo garriunt, qui dicunt, meum eſt uelle credere: Dei autem gratia eſt adiuuare, cùm etiam ipſum credere, quod eſt conſenſum præbere ueritati, nobis à Deo dari teſtetur Apoſtol. dicens: *Phil. 1.* *Vobis enim datũ eſt à Chriſto, non ſolùm vt in eum credatis, verumetiam vt pro illo patiamini.*

CAPVT VII.

Quòd Deus alios faciat credere ſua bonitate, alios deſerat iuſto iudicio, ſed occulto.

Obiectio. SEd dicunt, ſi nolentes Deus facit, ut uelint credere: nullus autem eſt qui naturaliter, ut dicitis, poteſt credere in Filio Dei, aut aliquid boni uelle qđ pertinet ad uitam æternam: cur ergo nõ facit omnes uelle, cùm non ſit perſonarum acceptio apud Deum, præſertim cũ *1. Tim. 2.* de ipſo ſcriptum ſit: *Qui vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionẽ veritatis venire,*

nire. Aut enim uult & nõ poteſt, aut mẽtitur Scriptura diuina. Quòd ſi horum quodlibet ſentire eſt impiũ, reſtat ut nõ ille excitet uoluntatem humanam, ſed eam expectet ab homine, ut æquum ſit in uolentibus præmium, in nolentib. autem iuſta damnatio.

Hæc ſi ita ſunt, ut hæretici iactitant, comprehenſa ſunt ab ipſis inſcrutabilia, & incomprehenſibilia Dei iudicia. Si enim, ut ipſi uolunt, uolentes damnat, ſaluat autem nolentes, nihil eſt omnino quod queratur ulteriùs. Et quantum ad ipſos, fallit Scriptura diuina, quę incomprehenſibilia Dei teſtatur iudicia. Nos autem incomprehenſibilia credentes, & demonſtrantes iudicia Dei, ex una maſſa perditionis alios ſaluari dicimus bonitate & gratia Dei, alios iuſto & occulto iudicio derelinqui.

Dei iudicia incomprehẽſibilia.

Alioquin dicãt, ſi poſſunt, hi qui hoc diuinæ iuſtitiæ & bonitati contrarium æſtimãt: cur is qui omnes homines uult ſaluos fieri, & ad agnitionem ueritatis uenire, tam multas uirtutes fecit in Co-

rozaim & Bathſaida, & nullam harum in Tyro, & Sidone facere uoluit: ubi ſi factæ fuiſſent, ſicut ipſe teſtatur forſitan in cinere & cicilio pœnitentiam egiſſent? Aut cur in Aſia & Bithynia Apoſtolum uetuit uerbum ſalutis annunciare?

Quod ſi iſta nequeunt comprehendi, redeant ad ſe, & inueniẽtes ſe homines, deſinant quęrere, cur alios ſaluet gratuito dono, alios derelinquat iuſto & occulto iudicio: qui poteſtatem habet ex eadem maſſa aliud uas facere in honorem, aliud in contumeliam, & clament unà nobiſcum, imò iuxta Apoſtolum:

Rom. 11. *O' altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm inſcrutabilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius? Quis enim cognouit ſenſum Domini? aut quis conſiliarius eius fuit? aut quis prior dedit ei & retribuetur illi? Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia ipſi gloria in ſecula ſeculorum, Amen.* Manifeſtè ergo non nobis, ſed Apoſtolo omnino reſiſtit, qui dicit: Niſi ego priùs uoluero, gratia ad me non uenit. Quod omnino nihil

hil aliud est dicere, nisi priùs dare Deo, ut retribuatur illi.

CAPVT VIII.

Quòd sancta cogitatio, pium consilium, omnis motus bonæ voluntatis ex Deo sit.

SEd nos sequentes eundem Apostolum, omnem bonarum cogitationũ originem, earumq́ꝫ confessionem & uoluntatem ex Deo, & per Deum & in Deo dicimus, qui prauas hominum uoluntates & terrenis actibus implicatas, per infusionem & operationem intrinsecus sancti Spiritus absoluit, & corrigit, sicut scriptum est: Præparatur uolun tas à Domino.

Hinc etiam Beatus Basilius Cæsariensis Episcopus in oratione sacri altaris, quam penè uniuersus frequentat Oriẽs, inter cætera: Dona (inquit) Domine uirtutem ac tutamẽtum, malos quæsumus bonos facito, bonos in bonitate conserua, omnia enim potes, & non est qui contradicat tibi, cùm enim uolueris saluas, *Basilius.*

,, uas, & nullus resistit uoluntati tuę. Ecce quã breuiter, quamq; districtè, doctor egregius olim huic controuersiæ finem posuit, docens per hanc precem, non à seipsis, sed à Deo malos homines bonos fieri, nec sua uirtute, sed diuinæ gratiæ adiutorio in ipsa bonitate perseuerare.

Innocentius. Similiter Beatus Innocentius Apostolicę sedis antistes, in Epistola ad Concilium Mileuitanum: Omnia, inquit, studia, & omnia opera ac merita sanctorũ, ad Dei gloriam laudemq; referẽda sunt: quia nemo aliunde ei placet, nisi ex eo, quod ipse donauerit. Quod diligentiùs manifestiusq; in Epistola sua ad Papam Romanum replicantes, ipsius Papæ sententiam explicant Africana Concilia dicẽtes: Illud autẽ quod in literis, quas ad uniuersas prouincias curasti esse mittendas, posuisti dicens: Nos tamen instinctu Dei (omnia enim bona ad authorẽ suum referẽda sunt, unde nascuntur) ad fratrũ & coepiscoporũ nostrorũ cõscientiã uniuersa retulimus: sic accipimus dictum,

Africana Cõcilia.

Vide in capitulis Celest. cap. 8.

ctum, ut illos qui contra Dei adiutoriū " extollunt arbitrij libertatē, districto gla- " dio ueritatis, uelut cursim transiens am- " putares. Quid enim tā libero fecisti arbi " trio, quàm quòd uniuersa in humilitatis " nostræ conscientiā retulisti? Et tamen " instinctu Dei, factū fideliter sapienterq́ue " uidisti, ueraciter fidenterq́ue dixisti, ideo " utique quia præparatur uoluntas à Domi " no, & ut boni aliquid agant Paternis in- " spirationibus suorū ipse tangit corda fi- " liorum. *Quotquot enim Spiritu Dei agun* " Rom. 8. *tur; hi filij sunt Dei*, ut nec nostrum deeſ- " se sentiamus arbitrium, & in bonis qui- " busque uoluntatis humanæ singulis mo- " tib. magis illius præuenire non dubite- " mus, gratiā, quod ita Deus in cordib. hō " minum, atque in ipso libero operetur ar " bitrio, ut sancta cogitatio, pium consi- " liū, omnisq́ue motus bonæ uoluntatis ex " Deo sit: quia per illum aliquid boni poſ- " sumus, sine quo nihil possumus. "

His congruè beatissimus Celestinus *Celestinus* in Epistola ad Gallos data: Cū enim (in- " *cap. 12.* quit) sanctarū plebiū præsules mandata " sibi

„ ſibi legatione fungantur, apud diuinam
„ clementiam humani generis agunt cau
„ ſam, & tota ſecum Eccleſia congemiſcẽ-
„ te poſtulant & precantur, ut infidelibus
„ donetur fides, ut idolatræ ab infidelita-
„ tis ſuæ liberentur erroribus ut Iudæis
„ ablato cordis uelamine, lux ueritatis ap
„ pareat, ut hæretici catholicæ fidei perce-
„ ptione reſipiſcant, ut ſchiſmatici ſpiri-
„ tum rediuiuæ charitatis accipiant, ut la-
„ pſis pœnitentiæ remedia conferantur,
„ ut denique cathechuminis ad regenera-
„ tionis Sacramenta perductis, cœleſtis
„ miſericordiæ aula reſeretur. Hæc autem
„ non perfunctoriè neq; inaniter à Domi
„ no peti: uerũ efficaciter ipſarũ precum
„ monſtrat effectus, quandoquidẽ ex om
„ ni errorũ genere, plurimos dignat̃ attra-
„ here, quos eruens de poteſtate tenebra-
„ rũ trãsfert in regnũ filij charitatis ſuæ, &
„ ex uaſis irę facit uaſa miſericordię: quod
„ à Deo totũ diuini operis eſſe ſentitur, ut
„ hæc efficienti Deo gratiarum ſemper a-
„ ctio, laudiſq; confeſsio, ꝓ illuminationẽ
„ talium uel correctione referatur. Rurſus
poſt

post pauca: His ergo (inquit) Ecclesia- ‘‘ *Idē ca. 12.*
sticis regulis ex diuina sumptis authori- ‘‘
tate documentis, ita adiuuāte Domino ‘‘
Deo confirmatissimus, & omnium bo- ‘‘
norum effectuum, atq; operū, & omniū ‘‘
studiorū, omniūq; uirtutum, quib. ab ini ‘‘
tio fidei ad Deum tenditur, Deum pro- ‘‘
fiteamur authorē: & non dubitemus ab ‘‘
ipsius gratia omnis hominis merita prę- ‘‘
ueniri, per quē fit, ut aliquid boni & uel- ‘‘
le incipiamus & facere: quo utiq; auxi- ‘‘
lio & munere Dei nō aufertur liberū ar- ‘‘
bitrium, sed liberatur, ut de tenebroso ‘‘
lucidū, de prauo rectū, de languido sa- ‘‘
nū, de imprudenti sit prouidum. Termi- ‘‘
nat autem idē magister hanc ipsam Epi-
stolam atq; concludit ita dicens: Quia ‘‘ *Idē ca. 13.*
ad confitendam gratiam Dei, cuius ope ‘‘
ri ac dignationi nihil penitus subtrahen ‘‘
dum est, satis sufficere credimus qcquid ‘‘
secundū prædictas regulas Apostolicæ ‘‘
sedis nos scripta docuerunt, ut prorsus ‘‘
non opinemur catholicum, quod appa- ‘‘
ruerit præfixis esse sententijs contrariū. ‘‘
Hęc, sanctissimi, non quasi ignorantib.
sug-

ſuggerere neceſſarium æſtimauimus: ſed ad confutandum eorum amentiam, qui ea ut noua dogmata, & penitus Eccleſijs inaudita refugiunt, huic paruitatis noſtræ libello inſerere utile conſiderauimus.

Quorum omnium ſanctorum Patrũ imbuti doctrinis, anathematizamus Pelagium, & Celeſtinũ, ſimulq́; etiam Iulianum Edanenſem, & qui illis ſimilia ſapiunt, præcipuè libros Fauſti Galliarum epiſcopi, qui de monaſterio Lirinenſi profectus eſt, quos contra prædeſtinationis ſententiam ſcriptos eſſe non dubium eſt. In quibus non ſolùm contra horum omnium ſanctorum Patrum, uerumetiam cõtra ipſius Apoſtoli contradictionem ueniens, humano labori ſubiungit gratiæ adiutorium; atq; totam omnino Chriſti euacuans gratiam, antiquos ſanctos, non ea gratia qua & nos, ſecundùm quod docet beatiſsimus Petrus Apoſtolus: ſed naturæ poſſibilitate ſaluatos impiè profitetur.

Libri Fauſti contra prædeſtinationẽ.

Petrus

Petrus misericordia Dei Diaconus, subscripsit.
Iohannes misericordia Dei Monachus subscripsit.
Leontius misericordia Dei Monachus subscripsit.
Ioannes misericordia Dei Lector subscripsit.

D. FVLGENTII RVSPENSIS EPISCOPI ET ALIORVM QVINDECIM EPISCOPOrum Africæ de Incarnatione & Gratia Domini nostri Iesu Christi: seu de gratia & libero arbitrio, ad Petrum Diaconum qui ex Oriente in causa fidei Romam missi sunt,

LIBER VNVS.

CAPVT I.

Quòd recta in Deum fides in hac vita, salus hominum est.

Dilectißimis, *& in Christi fide atq; gratia plurimùm amplectendis, sanctis fratribus* Petro Diacono, Iohanni, Leontio, *& alio Iohãni, cæterisq; fratribus, quos vnà vobiscum in causa fidei Romam directos literis intimastis*: Dacianus, Fortunatus, Boëthus, Victor, Scholasticus, Vorontius, Vindicianus, Victor, Ianuarius, Victorianus,

ctorianus, Fotinus, Quod vult Deus, Fulgentius, Fœlix, & Ianuarius in Domino salutem.



Beatus frater noster Iohannes Diaconus à uestra societate directus, literas nobis quas misistis habuit, quibus recensitis, uestram simul alacres & fidem cognouimus & salutem, imò in agnitione fidei uestra nobis salus innotuit. Quę enim uera in hac uita salus est hominum, nisi recta in Deum fides? quæ per charitatem operatur, per quam nos gratia diuina saluatos Apostolica testatur authoritas, dicens: *Gratia salui facti estis per fidem, & hoc non ex vobis. Dei enim donum est, non ex operibus, vt nequis extollatur.* Et quia charitas, rectæ fidei debet iugiter adhærere, quæ studio atque efficacia bonorum operum cooperit multitudinem peccatorũ, ideo Doctor gentium in fide & ueritate, ne quid sibi humani tumoris auderet arrogantia uendicare, post commendationem fidei per quam gratis salui facti sumus, operum quoque bonorum gratiam, muneribus diuinæ

Eph. 2.

uinæ benignitatis aſsignans ſubſequenter adiunxit: *Ipſius enim ſumus factura, creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus.* In eis nos Deo dirigente ambulare, ipſo rerum gaudemus effectu. Solicitudine quippe non pigri, & ſpiritu feruentes, quò deuotione laudabiliore Domino ſeruitis, eò charitas de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta nos inſtigat, pro fidei communione plenius agnoſcẽda ueſtri exilij ſecreta perquirere. Eph.2. Rom.12.

Quia igitur ſermo Dei non eſt alligatus, qui uiuus eſt & efficax, idcirco nos quoque ea quæ de incarnatione ac diſpenſatione Domini noſtri Ieſu Chriſti, & de gratia (quæ gratis indignis ita tribuitur, ut ipſa in nobis & exordium & profectum bonæ uoluntatis operetur) canonicorum ſancta authoritate uoluminum, paternorum quoq; dictorum doctrina, atque inſtitutione percipimus & tenemus, ueſtræ charitati reſcripto indice demõſtrauimus, cõfidentes in Do- 2.Tim.2.

mino (à quo & fides infunditur, ut corde credamus ad iustitiam, & sermo datur, ut ore cõfiteamur ad salutem) quod nostrum pariter & sensum gubernabit & stylum, ut uestræ interrogationi talis reddatur nostra responsio, in qua & de incarnatione Domini ea dicamus, quæ nostræ redemptionis continet ueritas, & de gratia Dei ea loquamur, quæ nobis ipsa gratis infundit superna maiestas.

Rom. 10.

CAPVT II.

Quòd in Christo confiteri oporteat duas naturas, & vnam personam, Deum scilicet & hominem, de Maria Virgine pro nostra salute veraciter natum.

Repetit sententiam P. Diaconi, de psona Christi, ex epistola eius.

Dicitis itaque uos iuxta sanctorum Patrum traditionem, Dominum nostrum Iesum Christum in duabus naturis unitis & inconfusis: id est, diuinitatis & humanitatis in una persona siue substantia confiteri: Vnde consequenter beatam quoq; Mariam propriè & secundùm ueritatem, uos credere asse-

re asseritis genitricem Dei, eò quòd scilicet peperit uerè & propriè Deum uerbum incarnatum & hominem factum, atq; essentialiter siue naturaliter carni unitum. Hæc ex epistolæ uestræ tenore posuisse sufficiat. Ex his enim pẽdent cętera, quæ de incarnatione Domini sermonis uestri professio comprehendit.

Si quis igitur in Domino nostro Iesu Christo, aut duas naturas aut unã noluerit siue dubitauerit credere ac prædicare personam: Vel si quis noluerit confiteri eundem Deum atque hominem: id est, Verbum incarnatum, de Maria Virgine, pro nostra salute ueraciter natum, tantum à catholica fide deprehenditur ac demonstratur extraneus, quantum sacramento redemptionis humanæ resistit ingratus. *Suam sententiam priori ὁμόψηφον subnectit.*

Hoc enim est illud magnum pietatis commendatum fidelibus cunctis ore apostolico sacramẽtum, *quod manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in hoc mũdo, assumptum est* *1. Tim. 3.*

in gloria. Quia ſcilicet Verbum quod in principio erat, & apud Deum erat, & Deus Verbum erat: id eſt, Dei unigenitus Filius, Deiq; uirtus & ſapientia, per quem & in quo facta ſunt omnia, & ſine quo factum eſt nihil: id eſt, Deus unigenitus *cùm in forma Dei eſſet*: id eſt, cùm æqualem per omnia genitori unitatem cum eo naturalis eſſentiæ poſsideret, & in ea natura quam ſempiternus habet ex Patre, hoc quod naturaliter Pater eſt: id eſt, Deus uerus ſummus incommutabilisq; eſſet, neq; alter à Patre Deus, ſed manente perſonali diſcretione, unus naturaliter cũ Patre Deus eſſet, nec minor ſcilicet nec poſterior Patre, nec diuerſæ poteſtatis, nec alterius eſſentiæ: (*non enim rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo*) tamen *ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens*: id eſt, in ſimilitudine hominum factus, idem habitu inuentus ut homo in quo nulla potuit eſſe rapinæ arbitratio: quia de ſubſtantia Patris ineffabili ac ſempiterna natiuitate genita, naturalis ęqualitatis in eo perma-

Ioan. 1.

Verbũ cùm in forma Dei eſſet. Philip. 2.

Semetipſum exinaniuit formã ſerui accipiens.

permanet plenitudo. Semetipsum igit̃ exinaniuit formam serui accipiẽs. In eo quippe Deus homo esse naturaliter uoluit, & Dominus omniũ rerum, seruilẽ naturã sine amissione propriæ dominationis assumpsit, in quo serui formã misericorditer exinanitus accepit.

Quàm benè autem sanctus Apostolus noui Testamenti, sicut ipse testatur factus à Deo minister idoneus, ne quisquam nostrum exinanitum Dei Filium audiens, amissam uel diminutam æqualitatem paternæ formę in Deo unigenito noxia cogitatione cõciperet, & obliquos sequẽs serpẽtinæ deceptionis anfractus, rectę fidei tramitẽ nõ teneret, illa exinanitione submotis reseruauit ambagibus, quando subsequenter adiecit, *formã serui accipiẽs*. Illa igitur exinanitio unigeniti Dei, acceptio fuit formæ seruilis, non amissio uel diminutio Deitatis. Diuina quippe natura nec minui potest aliquatenus nec augeri: quia incommutabilis manẽs hoc habet semper esse, qđ est. Nã si Deus ille uerus & summus,

Exinanitio Filij Dei quomodo intelligenda.

2.Cor.8. *qui propter nos egenus factus est, cùm esset diues, vt illius paupertate nos diuites essemus*, plenitudinem suam (quod nefas est) exinanitus amitteret, aut aliquid mutabilitatis in illa formę seruilis acceptione sentiret: non dixisset beatus Iohannes Euangelista de Verbo incarnato: *Et* Iohan.1. *vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis.*

Verbum caro factum est.

Verbum itaq; caro factum, in ueritate humana caro esse cœpit, sed in ueritate diuina Verbum esse non destitit. Et susceptionis ac redemptionis humanę mysterium ideo efficaciter peregit redemptoris admiranda benignitas: quia nec mutabilitatis, nec diminutionis unquã receptrix esse potuit diuina maiestas. Verbum igitur Dei, idemq; Verbum Deus, humanam carnem de carne matris accipiens, sic utiq; formam serui accepit, ut permanens in forma Dei æternus atq; incõmutabilis Deus per unitatem personæ, in quam formam serui accepit, fieri dignaretur ipse, quod fecit. In similitudinem quippe hominũ factus, ha-

habitu est inuētus ut homo, & incōmutabilem habēs de natura Patris per omnia Deitatē, creari dignatus est nō creatus, & fieri uoluit ex muliere, non factus à Patre, sed genitus. Atq; ita *Verbum caro factum est*, ut esset *unus mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, qui est super omnia Deus benedictus in secula*, unus & uerus Dei atque hominis Filius, unus idemq; de Patre sine initio Deus semper genitus: de matre uerò Deus secundùm carnē temporaliter conceptus & natus. Quam carnem non conceptā accepit unigenitus Deus, sed in ea est Deus ipse altissima humilitate conceptus. Idē quippe Deus creatus est in Virgine, & de Virgine secundū carnē, qui sibi, de qua, & in qua creauerat genitricē. 1.Tim.2.

CAPVT III.

Quòd Verbum non solùm in Virgine caro factum est, sed etiam ex Virgine.

Si Verbum non ex Virgine carnem assumpsisset, nō esset mediator noster.

SI autem Deus Verbum sic in Virgine caro fieret, ut ex ea nō fieret, proculdubio non de carne matris idem

Deus haberet substãtiam carnis, essetq́ eius per Virginem transitus, atq; ita nec Mediatoris sacramentum nobis proficeret ad salutem, nec humanæ diuinæq́ plenam in se Christus Dei Filius inconfusibiliter uniret substantiæ ueritatem. Hoc ergo medicinaliter usa est bonitas diuina remedio, ut ille unigenitus De9, qui est in sinu Patris, non solùm in muliere, sed etiam ex muliere fieret homo. Quod indubitãter diuinis credere atq; iubemur oraculis.

In Virgine Deus homo factus. In ea quippe Deum hominem factũ Propheta non tacuit, dicens: *Mater Syon dicet homo, & homo factus est in ea, & ipse fundauit eam altißimus*. Esaias quoque Spiritu sancto plenus, futuræ incarnationis Filij Dei sic prænunciat sacramentum: *Esa.7.* *Ecce Virgo in vtero concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen eius Emanuel, quod interpretatur, nobiscum Deus*. Quia ergo ille, quem in utero Virgo concepit & peperit nobiscum Deus uocatur. Deus utique in utero Virginis conceptus natusq́ cognoscitur. In E-

uan-

uangelio quoq; dicitur de Maria: *Inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto*. Etiam Ioseph quem uirum Mariæ non ad concubitum corruptelamq; carnis, sed ad testimonium custodiamq; sacræ uirginitatis & castissimæ fœcunditatis habuit, angelico sic admonetur oraculo: *Ioseph, fili Dauid, ne timeas accipere Mariã coniugem tuam. Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Math. 1.

Ex ipsa quoq; factus cœlestibus demonstratur eloquijs. Dicit enim Apostolus Galatis: *Postquam autem venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege.* Romanis etiam scribens, ut uerum firmumq; ponere se demonstraret fundamentum fidei epistolæ suæ tale collocauit exordium: *Paulus seruus Iesu Christi, vocatus Apostolus segregatus in Euangelium Dei, quod antè promiserat per Prophetas suos, in Scripturis sanctis de Filio suo, qui factus est ei ex semine Dauid, secundùm carnem.* Timotheo quoque dilecto Filio in fide, principaliter huius fidei sollicita cõmen

Ex Virgine Verbum caro factum. Gal. 4.

Rom. 1.

dat

2.Tim.2. dat affectione memoriam, dicēs: *Memor esto Christū Iesum resurrexisse à mortuis, ex semine Dauid secundùm Euangelium meum.* Ad ipsam quoqꝫ beatam Virginē futuram scilicet creatoris sui, imò rerum omnium genitricem, Gabriel Angelus Lucæ 1. hoc usus inuenitur alloquio: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altißimi obumbrabit tibi: Ideo quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.*

Typus Incarnationis. *Genes.24.* Ad hoc pertinet salutis nostræ mysterium, quod Pater noster Abraham dispensatorem domus suæ præcepit, sub eius femore manum ponere, & iurare per Deum cœli. Quod non nisi spiritu 1.Cor.10. fecisse credendus est, tunc scilicet quando omnia in figura contigisse uas electionis insinuat. Illud igitur ideo sanctus Abraham, Pater gentium, fecit, nō quia carni suæ credebat aliquod iam esse cum Deo cœli naturale consortium, sed ut ostenderet Deum cœli ex ea carne nasciturum hominem, quæ de semine ipsius Abrahæ propaginis duceret ueritatem.

Vnus

Vnus est igitur Christus Dei Filius, in natura diuinitatis & carnis, in quo singularitas personalis non confundit humanam diuinamq; naturã, & inconfusa unitio naturarum non facit geminam inesse personã. Veritas enim propterea nostræ reconciliationis permanet & salutis: quia & Deus unigenitus uerus homo pro nobis est factus, & idẽ homo non alius conceptus & natus est, quàm unigenitus Deus.

" Christus " inconfusus & in- " diuisus.

Beata igitur Maria Deum Verbum, secundùm quod caro factum est, & concepit & peperit. Cuius utero Verbum Deus non carnem, in qua conciperetur intulit, nec ex ea materiam conceptæ siue formatæ carnis non ipse Deus concipiendus, sed tãtùm nasciturus assumpsit: sed ex ea & in eadem uirgine humanæ carnis naturam secundùm quã temporaliter Deus sempiternus conciperetur & nasceretur, accepit. Ipsa quippe acceptio carnis, fuit conceptio uirginalis: neque enim in utero sanctæ illius & Matris & Virginis, illa spiritualis & ex

Maria Deũ concepit & peperit: Verbum in & ex ea carnẽ assumpsit.

Deo Patre sine initio genita Verbi Dei natura, poterat absque carne temporaliter concipi, sicut nec caro sine Verbi Dei unitione potuit aliquatenus nullius uiri coitu seminata, in intimo uuluæ uirginalis innasci.

Acceptio carnis & cõceptio Virginis simul sunt tempore.

Hanc ergo carnem tunc ex se natura Virginis concipientis exhibuit, cùm in eam Deus concipiendus aduenit. Non est igitur aliquod interuallum temporis æstimandum inter conceptæ carnis initium & concipiendæ maiestatis aduentum. Vna quippe fuit in utero Mariæ Virginis conceptio diuinitatis & carnis, & unus est Christus Dei Filius, in utraque natura conceptus, ut maculam uitiatæ propaginis inde inciperet abolere, unde in unoquoque nascentium uidebatur existere.

CAPVT IIII.

Quòd ad delendum peccatum originis, Dei Filius sibi humanam naturam immaculatus, immaculatam uniuit.

Nam

NAm quia omnes homines ex coitu maris fœminæq́ nascentes, ipsius conceptionis exordium originalis peccati habent contagione respersum: quia peccatũ quod primus homo cùm esset natura bonus, Diabolica malignitate seductus admisit, in posteros quoq; cum pœna ac cum morte trãsiuit, quod in ueritate sanctus Dauid enunciat, dicens: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea:* necessarium utiq; admodum fuit, ut misericors Dominus & iustus, iniquitatis humanæ uestigia deleturus, in ipso cõceptu sibi humanam naturã dignaretur immaculatã immaculatus unire, ubi eam cõsueuerat p̃ inflictã peccati originalis maculã, suæ parti dominioq; Diabolus uendicare.

Quia omnes homines in peccato concipiuntur: Filius Dei carnem immaculatam assumpsit.

Psal. 51.

Naturæ igitur humanę, cuius ueritatẽ plenitudinemq́ Deus unigenitus assumere uoluit, cõceptũ quoq; eius natiuitatẽq́ suscepit. Absit enim quisquã catholic⁹ credat aut dicat, quòd unigenitus Deus suo nos sanguine redẽpturus, in

Verè tamen conceptus, natus, sicut & mortuus.

in ea carne qua idem Deus factus est hõmo, respuerit humanæ cõceptionis initia, cùm in eadem carne Deus ipse immortalis permanẽs humanæ mortalitatis fuisset passurus extrema. Sicut enim carne moriẽs incommutabilẽ atq; inamissibilẽ naturalem sui statũ Deus uerus uiuusq; nõ perdidit: sic idem Deus uniuersus naturaliter & æternus cum parua carne conciperetur, uniuersitatẽ naturali non caruit. Et cùm temporaliter carne nasceretur, æternitatem naturalẽ in qua de Patre atq; in Patre sempiternus Deus est, non amisit: quia uita illa suum uoluit esse, quem in carne suscepit, obitum, & æternitas illa suum habuit in matre conceptum.

Verbum igitur Deus: id est, unigeni-
Apoc. 1. tus Dei Filius qui est in omnibus (sicut ipse testatur) alpha & ω, initium & finis: sic initialiter secundũ humanã naturam cõcipi carne nõ abnuit, sicut eadẽ carne moriens, Deus humanæ naturæ debitũ finale persoluit. Nullatenus namq; humana natura ad auferendum peccatum mundi

mundi sufficiens atque idonea fieret, nisi unione uerbi Dei, non naturali confusione, sed solùm personali unitate transiret. Verbum quippe cùm caro fieret unitione mirabili suam naturã fecit, quã ex nobis accepit. In qua tamen unitione Deifica, & omnino mirabili, uerbi diuinitas mutata non est in carnẽ, ueraque uerbi humanitas naturalem prorsus tenuit nostri generis ueritatem.

Virgo igitur, quod sæpe commemorandũ, ipsum Deum uerbum secundùm hoc quod in ea caro factum est, & concepit & peperit, & illũ unigenitum Deũ, uirtutem scilicet & sapientiam Dei, candorem lucis æternæ, & speculũ sine macula Dei maiestatis, & imaginem bonitatis illius, splendorem gloriæ, figuram substantiæ eius, quem sine ullo initio de sua natura sempiternum atque incommutabilem genuit incommutabilis ac sempiterna diuinitas Patris: eundem humana natura totũ plenumque Deum & hominem initialiter concepit & peperit uterus uirginalis.

Virgo Verbum concepit & peperit.

CAPVT V.

Quòd Deus & homo in Christo, non duas personas, sed duas naturas sine confusione unitas significant.

CVm autem Dominum Chriſtum Deum hominemq́ dicimus, non perſonalem dualitatem, ſed utriuſque naturæ unitionem ueriſsimam ſine ulla facta confuſione monſtramus. Idem quippe Deus qui homo, idem homo qui Deus eſt: quia ſic Deo uerbo mirabiliter unita eſt humana natura, ut ipſe uerus Deus, uerus homo fieret: alteram uerò perſonam incarnati Verbi, uera humanitas non haberet. Acceſsit enim Deo humana ſubſtantia, non perſona. Deus itaque cùm ſua carne, unus eſt Chriſtus, Filius Dei & Filius hominis, idem Verbum ſimul & caro, imò idem Verbum caro: quia idem Deus homo.

CA-

CAPVT VI.

Quòd Deus non ſit in Chriſto, ſicut in Patriarchis aut Prophetis.

NOn autem ſic Deus Verbum carnem accepit, ut caro non fieret, cũ Euangeliſta dicat: *Verbum caro factum eſt.* Neq; naturam carnis ita Deus ſummus atque uniuerſus aſſumpſit, ut tãquam in uno de Patriarchis aut Prophetis, in illo quidem homine Deus eſſet, ſed idem Deus homo non eſſet. Abſit ut hoc Chriſtiana conſcientia teneat, aut ſe quiſquam fidelium profanari tanta impietate permittat. Ioan. 1.

Cùm enim Verbum caro factum eſt, ſic diuinitas humanitatem ſibi mirabiliter unire dignata eſt, ut utriuſq; naturę ueritate ſeruata, in uno eodemq́; Deo atq; homine Chriſto, pro uita mũdi * diuina fieret illa eius humanitas. Deus em̃ nõ continẽs in ira miſericordias ſuas, ad hoc homo factus eſt, ut quicquid in homine creauerat integrũ, idem Deus in ſe totum redintegraret aſſumptum. *Verbum humanitatem ſibi vniuit.* ** f. victima.*

Hoc itaq; habuit Dei hominiſq́; mi-

Christi conceptio & partus secundùm carnē mirabilis.

rabilis quidem, sed uerus ille secundùm carnem conceptus & partus, quo Deũ cœli Virgo ineffabiliter cōcepit & peperit, & Virgo genitrix inuiolata permansit, illa scilicet gratia plena, & beata in mulieribus, ueraciter ab angelo nuncupata, q̄ gratiæ præuenientis ope, atq; opere Spiritus sancti superueniente in se, & uirtute Altissimi obumbrāte sibi, Deum Dei Filium cōceptura, uiri coitũ nec pertulit omnino nec uoluit, sed uirginitatem retinens & mentis & corporis, ab eo quem conceptura & paritura fuerat, donum incorruptæ fœcunditatis & fœcundæ integritatis accepit.

Virgo concepit Verbũ quatenus caro factum est.

Ita Deum Verbum secundùm quod caro factũ est Virgo sancta cōcepit, angelorũ hominumq; factorē, eundemq; nihilominus Virgo peperit hominum Redemptorē. Neq; enim sancta Virgo Maria Deum sine carnis assumptione, nec carnen sine unitione concepit: quia ille cōceptus Virginis Deo fuit carniq; communis.

Hæc est gratia, qua factũ est, ut Deus qui

qui uenit peccata tollere: quia peccatũ in eo nõ eſt, homo conciperetur atq; naſceretur in ſimilitudine carnis peccati, de carne peccati. Caro quippe Mariæ, quę in iniquitatib. fuerat humana ſolennitate concepta, caro fuit utiq; peccati, quæ Filiũ Dei genuit in ſimilitudinem carnis peccati. Teſtatur enim Apoſtolus: *Quia miſit Deus Filiũ ſuũ in ſimilitudinẽ carnis peccati*, illũ ſcilicet *qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinã arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo, & ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens, in ſimilitudine hominũ factus*. Propterea uerò in ſimilitudine carnis peccati miſſus eſt Dei Filius, idem qui in ſimilitudine hominũ factus, ut & ſimilis hominibus fieret in ueritate carnis quã ipſe creauerat, & diſſimilitudinẽ noſtram Deus in carne ſine peccato creatus auferret, quã noſtræ carni nõ ex opere ſuo, ſed ex noſtro peccato ineſſe cernebat. In ſimilitudine igitur carnis peccati Dei Filius miſſus apparuit: quia in eius uera humana carne non iniquitas hominis, ſed mortalitas

Christus in ſimilitudine carnis peccati, de carne peccati natus.

Rom. 8.

Philip. 2.

fuit. Similitudo uerò carnis peccati cùm in Dei Filio uel potiùs Dei Filius in similitudine carnis peccati cùm dicitur, credēdum est unigenitū Deum de Virginis carne mortalis non traxisse peccati sordem, sed accepisse naturę integram. ueritatem, ut ueritatis ortus de terra existeret, quem prophetali sermone beatus Dauid insinuat dicens: *Veritas de terra orta est.* Verę igitur Deum Verbum Maria concepit, quod incarnatum peperit quem Deum accepit.

Psal. 85.

CAPVT VII.

Quòd beata virgo, Deum & hominē concipere, nō humanis meritis, sed Dei dignatione promeruit.

SEd ipsum Deum hominem factum & concipere & parere, non humanis meritis, sed concepti nascentisq; ex ea summi Dei dignatione ꝓmeruit.

Nisi enim uerbum Deus humanam sibi uniēs singulariter naturam, ex Virgine homo uerus nasceretur, & plenus: nunquam nobis carnaliter natis, spiritualiter nascendi conferretur exortus.

Deus natus est ex homine, vt homines ex Deo nascerētur.

Sed

Sed ut carnalibus donaretur diuina natiuitas, priùs concepta & nata est in ueritate carnis unigeniti Filij diuina maiestas: *Longè enim fuit à peccatoribus salus, & iniquitates nostræ magna nos à Deo separatione disiunxerãt.* Et quia in ipsa natiuitate carnis nostræ, mortis uinculo tenebamur obstricti, à quo solius beneficio spiritualis natiuitatis possemus absolui, Deus natus est ex homine, ut ex Deo homines nascerentur. Ideo nanque Christus Filius Dei: id est, Deus uerus & uita æterna natus & mortuus est in ueritate carnis, ut nos spiritualiter in uno Trinitatis nomine renasceremur in sacramento baptismatis. Hoc docet Apostolus, dicens: *Quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus.*

Esaiæ 59.

Rom. 6.

Christi ergo Filij Dei prima natiuitas ex Deo, secunda ex homine: nostra uerò prima natiuitas ex homine, secunda ex Deo. Et quia Deus nasciturus ex utero ueritatem carnis accepit, ideo nobis renatis in baptismo, spiritum ado-

Pulchra natiuitatis Christi & nostræ antithesis.

 ptio-

ptionis indulsit. Ille quod ex prima natiuitate natura non fuit, secunda natiuitate per gratiam factus est, ut nos quod primæ natiuitatis natura nō fuimus, gratia secūdę natiuitatis essemus. Sed Deus ut ex homine nasceretur, gratiam nobis attulit: nos autem gratiam gratis accipimus, ut diuinæ cōsortes naturæ, Dei ex carne nascentis munere fieremus.

Quia Filius Dei factus est Filius hominis: ideo filij hominum fiūt filij Dei.

Quia ergo Filius Dei, factus Filius hominis, propterea *quotquot receperunt eum* (sicut beatus Iohannes Euangelista testatur) *dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* (*Ioan. 1.*) Si uerò unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, post æternam natiuitatem, quam ex æterno Patre Filius coæternus habet, secundam natiuitatē sanctificandi hominis gratia non susciperet, homo in iniquitatibus conceptus primæ natiuitatis nexibus non careret. Sed quia secundùm beati Iohannis eloquium *in hoc apparuit Filius Dei, vt sol-* (*1. Ioan. 3.*)

nat opera Diaboli, ille qui in prima natiuitate qua de Patris natura uerus Deus est, & uita æterna nullum haberet natiuitatis initium, idem Deus ex Virgine temporaliter sumpsit secundæ natiuitatis exordium,

CAPVT VIII.

Quòd mors Christi secundùm carnem, vtramque mortem in nobis destruxerit.

ILle itaque uiuus sermo Dei, uitæ suæ statu incommutabiliter permanente, post primam natiuitatem cum Patre, de quo natus, una naturaliter uita est: quia sicut habet Pater uitam in semetipso, sic dedit & Filio uitam habere in semetipso. Idem ipse Dei Filius, in natura carnis per gratiā pro mortuis natus est ad mortē, ut nos post mortē primę natiuitatis quā habemus ex carne, in gratia spiritus renasceremur ad uitā. Sed Deus uerus & uiuus, imò Deus ueritas & uita æterna, nisi idē uerus homo fieret, mortem gustare non posset. Et idem homo, qui mortem gustauit, si uerus Deus &

Vita ad mortem nata, vt nos post mortem renasceremur ad vitam.

" *Cur Christus Deus & homo.*

„ uita æterna non eſſet, mortē uincere nō „ ualeret. Excepto illo qui ſic homo eſt, ut idem ſit Deus, quis eſt homo qui deſtruxerit mortē, aut quis eruet animam ſuā de manu inferi? Proinde unigenitus Deus uiuus & uerus, ſecūdùm carnem quam ex nobis accepit, ſicut conceptus & natus eſt, ita etiam mortuus reſurrexit, quia *ueniens quærere & ſaluum facere quod perierat, traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram.*

Luc. 19.
Rom. 4.

Chriſti mors utramq; in nobis mortē deſtruit: eiuſdē reſurrectio utrāq; nobis reſurrectionem attulit.
Epheſ. 2.

Mors autem Filij Dei quam ſola carne ſuſcepit, utramq; in nobis mortem, animæ ſcilicet carnisq; deſtruxit, & reſurrectio carnis eius, gratiam nobis & ſpiritualis & corporalis reſurrectionis attribuit, ut priùs iuſtificati per fidē mortis & reſurrectionis Filij Dei, reſuſcitaremur ab infidelitatis morte, qua cū naturaliter eſſemus filij iræ ſicut & cæteri, tenebamur obſtricti, & poſt primā reſurrectionem, ſcilicet animarū, quæ nobis in fide collata eſt, etiam iſta carne in qua nunc uiuimus reſurgamus, nunquā denuò

nuò morituri. Nec ob aliud Deus uerus, & uita æterna, mortem noſtram dignatus eſt accipere deſtruendam, niſi ut nobis in eius reſurrectione credētibus, uitam ſuam donaret ſine fine manſuram. Dominus quoq; gloriæ, ideo contumeliam ſuſtinuit crucis, ut gloriam ſuam donaret fidelibus ſuis, ſicut ipſe teſtatus eſt, dicens: *Et ego claritatē, quam dediſti mihi, dedi illis.* Ioan. 17.

Verbum igitur caro factum, unus & plenus eſt Chriſtus. Carnis autem nomine, totus hic accipiendus eſt homo, idem anima rationalis & caro. Chriſtus enim Dei Filius, ſicut ueram ſine peccato accepit carnem noſtram: ſic ueram ſine peccato accepit animam ſuam. Et carnem quidem noſtram cum conditione humanæ mortalitatis induit, animam quoque noſtram cum infirmitatibus ſine macula humanæ infirmitatis accepit, ut diuinitas Chriſti per ſuā uirtutem in anima ſua infirmitates noſtras portans, ſine peccato iuſtitiam cuſtodiret, & per eam etiam ab ipſa carne ſua morta-

Verbum caro factum.

„ uita æterna non esset, mortē uincere nō „ ualeret. Excepto illo qui sic homo est, ut idem sit Deus, quis est homo qui destruxerit mortē, aut quis eruet animam suā de manu inferi? Proinde unigenitus Deus uiuus & uerus, secūdùm carnem quam ex nobis accepit, sicut conceptus & natus est, ita etiam mortuus resurrexit, quia *ueniens quærere & saluum facere quod perierat, traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram.*

Luc. 19. Rom. 4.

Christi mors utramq; in nobis mortē destruit: eiusdē resurrectio utrāq; nobis resurrectionem attulit.

Ephes. 2.

Mors autem Filij Dei quam sola carne suscepit, utramq; in nobis mortem, animæ scilicet carnisq; destruxit, & resurrectio carnis eius, gratiam nobis & spiritualis & corporalis resurrectionis attribuit, ut priùs iustificati per fidē mortis & resurrectionis Filij Dei, resuscitaremur ab infidelitatis morte, qua cū naturaliter essemus filij iræ sicut & cæteri, tenebamur obstricti, & post primā resurrectionem, scilicet animarū, quæ nobis in fide collata est, etiam ista carne in qua nunc uiuimus resurgamus, nunquā denuò

nuò morituri. Nec ob aliud Deus uerus, & uita æterna, mortem nostram dignatus est accipere destruendam, nisi ut nobis in eius resurrectione credẽtibus, uitam suam donaret sine fine mansuram. Dominus quoq; gloriæ, ideo contumeliam sustinuit crucis, ut gloriam suam donaret fidelibus suis, sicut ipse testatus est, dicens: *Et ego claritatẽ, quam dedisti mihi, dedi illis.* Ioan. 17.

Verbum igitur caro factum, unus & plenus est Christus. Carnis autem nomine, totus hic accipiendus est homo, idem anima rationalis & caro. Christus enim Dei Filius, sicut ueram sine peccato accepit carnem nostram: sic ueram sine peccato accepit animam suam. Et carnem quidem nostram cum conditione humanæ mortalitatis induit, animam quoque nostram cum infirmitatibus sine macula humanæ infirmitatis accepit, ut diuinitas Christi per suã uirtutem in anima sua infirmitates nostras portans, sine peccato iustitiam custodiret, & per eam etiam ab ipsa carne sua

Verbum caro factum.

morta-

mortalitatis supplicium, dono resurrectionis auferret. Ideo *Christus surgens à mortuis, iam non moritur, & mors illi vltrà non dominabitur.* Rom.6.

CAPVT IX.

Quòd secundùm Scripturæ cõsuetudinem, nomine carnis aut animæ, sæpè totus homo intelligatur.

QVia uerò familiare est diuinis eloquijs, uocabulo carnis simul in homine carnem atq; animam nuncupare, sicut scriptum est: *Effundam de spiritu meo super omnem carnem.* Et: *Videbit omnis caro salutare Dei.* Et: *sicut dedisti ei potestatem omnis carnis.* Et: *Nisi breuiati fuissent dies illi, non salua fieret omnis caro.* Ex hac utiq; consuetudine, sic in Scripturis sanctis totus homo carnis appellatione dicitur, sicut ibidẽ rursus homo totus solius animæ nuncupatione monstratur. Abraham nanq; patriarcha de terra sua, & de cognatione sua, & de domo patris sui, præcepto atq; auxilio Dei uocantis egrediens (neq; enim ille quod Deus iubebat ullatenus implere pos-

Ioël.2.
Ioël.1.
Ioan.17.
Matth.24.

re poſſet, niſi eũ ille, qui præceperat, adiuuiſſet) cùm ſecũ homines, quos amauit, duceret exiturus; Animas quas acquiſierat in Charan ſecũ tuliſſe narratur. Iacob quoq; in Aegyptum deſcendente ſeptuaginta quinq; animas in eius comitatu fuiſſe, ſancta Scriptura cõmemorat. Beatus etiã Petrus octo animas dicit diluuij tempore per aquã fuiſſe ſaluatas. In actibus quoq; Apoſtolorũ, cùm fuiſſent Iudæi repẽtina mirandaq; eiuſdem Beati Petri prędicatione compuncti, & immutatione dexteræ excelſi ad fidem fuiſſent ex infidelitate conuerſi, ſcriptũ eſt: *Quia applicatæ ſunt in illa die, animæ circiter tria millia.* His itaq; teſtimonijs agnoſcimus, & carnis ſolius & animæ nomine, plerunq; naturæ humanæ plenitudinem nuncupari.

Geneſ. 12.

1. Pet. 3.

Geneſ. 46. mentio fit ſaltem animarum ſexaginta ſex, quib. ſi annumeres duos Ioſephi filios, erunt ſeptuaginta tantùm.

Act. 2.

Verbum ergo caro factum, unus & plenus eſt Chriſtus, unus ex utraq; atq; in utraq;: id eſt, in humana diuinaq; natura: in quo ſic utriuſq; naturæ prorſus unitio glorioſa perſiſtit, ut ſiue diuinitati Chriſti humanitatem quis demat, ſiue

Verbum incarnatum unus & plenus eſt Chriſtus.

huma-

humanitati diuinitatem detrahat, Christum sacrilega infidelitate, & blasphema prædicatione dissoluat. Ioannes autem Apostolus, plenus ueritate testatur:
1. Ioan. 4. *Quia omnis spiritus qui soluit Iesum, ex Deo non est: & hic Antichristus.*

CAPVT X.

Quòd Verbum priusquam caro fieret, non erat Christus.

ILlud uerò quis facilè Christianus aut ignoret aut dubitet, quòd uerbũ Deus priusquam caro fieret, non fuit Christus, sed tantũ Deus? Tunc autem idem
Philip. 2. Deus uerbũ, quod semp in forma Dei erat, Christus esse cœpit, cùm Deus semetipsum exinaniens, formã serui absq; diminutione plenitudinis naturalis accepit. Deus ergo factus est Christus, ut Christus esset Deus homoq; perfectus: quia Verbum dignatum est caro fieri, ut caro posset Verbi: hoc est, Dei nomine nuncũpari.

Caro non assumpsit λόγον: sed λόγ & carnem.

Neque enim caro Christi, priusquam Verbo susciperetur eadem caro, Christus fuit. Neq; ipsa caro: id est, ipse homo

mo in se formam Dei uiuentis accepit: sed Deus, qui in forma Dei erat, formã serui accepit. Et Deus æqualis Patri, *in similitudine hominum factus, habitu est inuentus vt homo:* & *qui diues fuit, propter nos pauper factus est, vt illius paupertate nos ditaremur.* Verbum itaque caro factum, unus est Christus. Sed Verbum illud sine carne Deus æternus fuit: caro aũt Christi sine Verbo non solùm Christus aliquando non fuit, sed nec personaliter concepta fuit. Verbum ergo quod caro factum est, antequam caro fieret, mansit æternum: caro autem Verbi, in ipsum Deum Verbum, personale sumpsit initium. Philip. 2. 1. Cor. 8.

Sed quia Verbum caro factum, unus Christus est Dei & hominis Filius, nec alter est Verbũ, alter est caro, sed idẽ unus Verbũ caro, propterea idem unus est, qui initiũ non habet æternus Deus, generatus ex Patre, & q initiũ habet tẽporaliter secundũ carnem idẽ Deus homo, creatꝰ ex Virgine. Vnus unigenitus Dei Filius ex æternitate diuinitatis, & *Verbum & Caro vnus Christus.*

ex

exinitio carnis. Ex æternitate ſcilicet diuinitatis, creator uiſibiliũ inuiſibiliumq́; rerum : exinitio aũt carnis ſaluũ faciens populum ſuum à peccatis eorum. Ex æternitate diuinitatis idem coëternus Patri, de quo natus eſt, ſemper uiuus: exinitio autem carnis idem poſterior matre; de qua temporaliter natus eſt, in tempore moriturus. Teſtatur enim Apoſtolus: quia *Chriſtus ſecundùm tempus pro impijs mortuus eſt.*

Col. 1. *Matth. 1.* *Rom. 5.*

Non Trinitas nec alia perſona, ſed ſolus Filius carne conceptus, natus, paſſus, &c.

Igitur nõ Trinitas: id eſt, nõ ſimul Pater & Filius & Spiritus ſanctus, nec ſolus Pater, aut ſolus Spiritus ſanctus : id eſt, nõ ille qui Filiũ genuit, nec ille q de Patre ꝓcedit: ſed ſolus Filius : id eſt, ille quẽ in unitate naturę Pater coęternũ ſibi Filium & coæqualem genuit: id eſt, una ex Trinitate perſona Chriſtus Dei Filius unicus, ut nos ſaluos faceret, carne cõceptus, & natus eſt de uẽtre Virginis matris. Qui uerus & ſummus Deus eſt ex utero Dei Patris, non Trinitas, ſed unigenitus à Patre Chriſtus Dei Filius, carne paruulus fuit, & carne creuit. Quẽ perſe-

perfectus atq; uniuersus Pater per unitatem diuinitatis, æqualem suæ perfectioni atq; uniuersitati cognoscit. Non Trinitas, sed uia, ueritas, & uita, Christ9 *Ioan. 14.* Dei Filius per curricula temporum ab infantia usq; ad perfectam iuuentutem, humanas ætates carne misericorditer transcurrit, qui permanens in unitate paternæ naturæ sempiternus, secula mirabiliter fecit, & incõmutabilis, temporũ mutabilitates instituit. Nõ Trinitas, sed splendor paternæ gloriæ Christus, est ꝑ nobis passus carne, qui de Patre Deo solus natus est impassibilis Deus. Ipsum utique quod dubitandum non est, Christum Filium Dei pro nobis mortẽ carne gustasse, salua immortalitate diuinitatis eius, ueraciter credimus, quem uerũ Dei Patris Filium, uerumq; Deũ, & uitã ęternam prædicatione ueridica sancti Apostoli Ioannis audimus. Nõ Trinitas, sed *1. Ioan. 5.* Verbum caro factũ, Christus Dei Filius, eadẽ carne qua crucifigi & mori dignatus est, resurrexit, qui de sepulchro eandem carnem suam, uita permanẽs, suscitauit.

Christus in coelum ascēdens suos nō deseruit. tauit. Christus qui est super omnia Deus, uidentib. eū discipulis, carne in cœlum, carne de cœlo uenturus, ascendit:
,, qui nec deseruit cœlum cùm in terra car
,, nem accepit, & carne conscēdens in cœ-
,, lum, suos in terra diuinitate non deserit.
Mat. 28. Hoc enim promisit dicens: *Ecce ego vobiscum omnibus diebus vsq; ad consummationem seculi.*

Christus in forma Dei. Deus ergo ille, qui in forma Dei secundùm Beati Ieremiæ uaticinium, *magnus est & non habet finem, excelsus & vniuersus*, de quo etiam paulò pôst idem Baruch. 3. Propheta dicit: *Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius ad eum: adinuenit omnē viam disciplinæ, & dedit eam Iacob puero suo, & Israël dilecto suo.* Idem in forma serui. Ipse secundùm formam serui, in qua minoratus est paulò minus ab Angelis, post hæc (sicut idē Ibid. Propheta dicit) *in terris visus est, & cum hominibus conuersatus.* Ipsum hominem mortalem atque mutabilem infideles uiderunt, quem Deum naturaliter immortalem atq; incommutabilem, illi mū do corde uisuri sunt, qui nūc in eum ueraciter

taciter credunt. Fides enim uera nunc corda hominum mundat, quæ corda ca paçia uidendo, Deo gloriam futuræ resurrectionis exhibeat.

CAPVT XI.

Quòd vera fides vnum eundemq́; Christum, verum Deum & verum hominem credat.

QVę est autem uera fides, nisi unum eundemq́; Christum, uerũ Deum uerũq́; hominem, sine aliqua hæsitatione credere, unũ eundemq́; de Patre Deo secundũ diuinitatem, & de Virgine Maria secundùm carnem Deum genitum prædicare? Apostolica quippe testatur authoritas: quia unus idemq́; est *Christus ex patribus secundùm carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula.* Vnus idemq́; *crucifixus ex infirmitate, sed viuens ex virtute Dei.* Vnus idemq́; est faciens in hominib. uirtutes, & sustinẽs pro hominib. passiones. Quia, cũ miracula secundũ diuinitatẽ faceret Christus Dei Filius, in eodẽ Deo fuit passibilis hu

Fides recta de Persona Christi, in qua duæ sunt naturæ inconfusæ et indiuisæ.

Rom. 9.

2. Cor. 13.

manitas sua, & cùm pateretur secūdùm carnem idem Christus Dei Filius, in eodem homine fuit impaßibilis diuinitas
„ sua. Quia igitur in Christo Dei unigeni-
„ to Filio, personam nō diuidunt propria
„ naturarum, neq; unitas personæ potest
„ utriusque naturæ propria confundere
„ uel auferre: qa ille qui se esse ueritatē naturaliter dicit utrunque in se uno, manēte naturali ueritate seruauit. Propterea neq; in paßionibus ab illa humanitate Christi, diuinitatem suam impaßibilem seiungimus: neq; ab illa diuinitate humanitatem suam ullatenus separandam in uirtutibus æstimamus. Neq; ergò diuidimus neq; confundimus in uirtutibus & paßionibus Christum, quem Filium Dei uiui reuelante Patre B. Petrus confessus est, cùm se tamen Filium hominis ueraciter Christus ipse dixisset.

Matth. 1. 6.

Personæ unitas diuisionē: Naturarū ueritas cōfusionem respuit.

Ideo uerò Christum in paßionib. atque uirtutibus, nec confundit fides uera nec diuidit: quia personalis unitas in eo diuisionem non recipit, & utriusq; naturæ ueritas inconfusa persistit. *Traditus est*

enim

enim Deus Christus *propter delicta nostra:* quia uerus homo est, *& resurrexit* idem homo Christus *propter iustificationem nostram:* quia Deus uerus est. Nisi enim idem homo uerus esset, tradi morique non posset. Et idem uerus homo, si uerus Deus non esset, resuscitare semetipsum solutis inferni dolorib. nequiuisset. Sed quia non est alter Deus, alter homo, sed idem unus est Christus Deus & homo, profectò idē Deus Christus est, qui mortem sua carne suscepit, & idem homo Christus est, qui mortem sua diuinitate destruxit. Idem quippe Christus Dei Filius qui diuinitate mori non potuit, carne mortuus est, quam mortalem Deus immortalis accepit. Et idem Christus Dei Filius carne mortuus resurrexit: quia immortalitatem suæ diuinitatis carne mortuus non amisit.

Christus cur Deus & homo.

Hinc est, quòd etiam post resurrectionem suam, sicut in cicatricibus ueris, & in uera comestione piscis & mellis, soliditatē in se ueræ carnis edocuit: ita clausis foribus ingrediens, ueram in se uirtu-

Christus etiā post resurrectionem uerā suā ut carnem, ita diuinitatē quoque ostendit.

tem ſempiternæ diuinitatis oſtendit, ut agnoſceretur, & naturalis fuiſſe Chriſti morientis infirmitas, & eidem reſurgenti naturalis ineſſe maieſtas. Inde Thomas dum iniecta manu iubetur in latere mortui ac reſurgentis Chriſti ueritatem uulneris experiri, ueram in illis cicatricibus patientis ac reſurgentis uirtutem diuinitatis agnoſcens, in quo iubetur ut clauorum loca digitis tangat, ipſum Dominum ac Deum ſuum fideli confeſsione
Ioan. 20. pronunciat, dicens: *Dominus meus, & Deus meus*. Agnouit enim non alterum per naturalem diuinitatis ſuæ uirtutem reſurrexiſſe carne ſua, niſi eum qui de natura Dei Patris Deus uerus eſt & uita ęterna. Huius fidei nobis intimans ueritatem, ipſe humani generis conditor & redemptor, opifex, noſtrę particeps & naturæ, poſtquam ueram in ſe carnē cicatricibus ueris, ueramq; diuinitatem uirtute reſurrectionis oſtendit, ut unū eundemq́ue ſe Deum & hominem credendum prædicandumq́ue monſtraret, ſimul in ſe diuinam humanamq; naturam

unius

unius Filij nomine nuncupauit, dicens Apostolis: *Ite docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.* Matt. 28.

Doctor igitur & largitor æternæ salutis, hanc ideo formam sancti baptismatis dedit, ne quis in eodem Dei Filio naturas diuidens, mortifero illaquearetur errore, si aut humanam Filij Dei naturam, ab opere redemptionis humanæ alienam, in Sacramento baptismatis crederet, aut duas in Christo confitendo personas, non iam uerax Trinitatis cultor, sed nefarius esset quaternitatis assertor, ac per hoc cum Patre & Spiritu sancto nõ Filiũ, sed filios coleret, quisquis in Christo unius personæ repudiandam fidem aliquatenus æstimaret: cùm idem sit unus Filius in Trinitate cum Patre, cum Spiritu sancto Christus Iesus, qui mundum creauit, & pro nobis sanguinem fudit.

Naturæ in Christo non diuidendæ.

Propterea omnis q in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti Sacramẽto sanctæ regenerationis abluitur, non nisi in

Qui in nomine Patris, Filij & Spiritus S. baptizatur: in nomine Christi baptizatur.

Christi morte ac nomine baptizatur, ut euidenter appareat, illi nos consepultos esse per baptismum in morte, in cuius uno cũ Patris, & Spiritus sancti constat nomine baptizatos. Quòd duorum magnorum luminarium, Petri scilicet Pauliq; uerbis, tanquam splendentib. radijs illustrata, eorumq; decorata corporibus Romana (quę mũdi cacumen est) tenet & docet Ecclesia, totusq; cum ea Christianus orbis, & ad iustitiam nihil hæsitans credit, & ad salutẽ non dubitat confiteri. Nam B. Petri Iudęis Filiũ Dei prę-
Act. 2. dicantis hæc uerba sunt: *Pænitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrûm in nomine Iesu Christi, in remißionem peccatorũ.* Beatus quoq; Paulus ut in morte nos Christi baptizatos firmissimè crederemus, in ea quam Romanis scribit Epistola hoc salutis nostrę mysteriũ tanquam in eminentissima cunctis uidendum
Rom. 6. specula, collocauit dicens: *Quicunque in Christo baptizati sumus, in morte ipsius baptizati sumus: consepulti enim sumus cum illo per baptismum in morte.*

Quis-

Quiſquis igitur duas aſſerere nititur in Chriſto perſonas, & tamen ſecundũ regulam ore atq; imperio Domini conſtitutam, in uno ſe Patris & Filij & Spiritus ſancti baptizatum nomine confitetur, aut euidentiſsima blaſphemia ſe in morte Chriſti baptizatum neget, ut inimicus Apoſtolicæ prædicationis appareat: aut cultorem ſe non Trinitatis, ſed quaternitatis agnoſcat. Si uerò utriuſq; metuit impietatis abruptum, rectam catholicæ fidei teneat toto corde ſententiam, nec ſe dubitet in Chriſti baptizatũ morte, in cuius baptizatus eſt nomine. Vnum quoq; Patris & Filij & Spiritus ſancti naturale nomen agnoſcens, ſeq; in illius morte ac nomine baptizatum eſſe conſiderans, de cuius latere Sacramentum fontis & calicis manauit, pendentis in cruce, illum pro nobis crucifixum agnoſcat, quẽ Dei uirtutem Deiq; ſapientiam Paulus & credit & prędicat, dicens; *Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam: ipſis autem vocatis Iudæis*

In Chriſto nõ ſunt duæ perſonæ.

1. Cor. 1.

Iudæis atque Græcis, Christum Dei virtutem & Dei sapientiam.

Hoc est magnum pietatis Sacramentum, quo scilicet Vnigenitus Deus uerus, homo uerus dignatus est fieri, & æternus temporaliter nasci, & impaßsibilis pati, & incomprehensibilis crucifigi, & immortalis mori, & immensus nõ solùm præsepis cùm nasceretur, uerumetiam sepulchri cùm moreretur paruitate concludi. Quæ omnia secundùm ueritatem carnis, uera sunt in Dei Filio: quia manẽte in eo incõfusibiliter atque inseparabiliter humana diuinaque natura, una est Filij Dei Iesu Christi in utriusque naturæ ueritate persona.

CAPVT XII.

Quòd per Christum non solùm deletur iniquitas, sed etiam cogitationis sanctæ recipitur facultas, quam Deus primo homini in sua creatione contulerat.

Transit ab Incarnatione ad Gratiã Dei.

SIc humano generi gratuitam gratiã diuina bonitas cõtulit, per quam in homi-

hominibus non solùm propaginis obligatione contracta, & uitio propriæ uoluntatis adiecta, deleretur omnis iniquitas, quin etiã cogitationis sanctæ amissa pridem in homine primo, per hominem secundum reciperetur facultas, ac sic homine Deo, carne pro hominibus mortuo ac resurgente, captiuaretur, quę in nostro corpore regnãte peccato, consueuerat dominari captiuitas, & ubi abundauit peccatum delinquentis hominis, superabundaret gratia redemptoris, atq; ita hominis arbitrium, quod sub ditione peccati malè liberum fuit, ueræ salubrisq; libertatis reciperet denuo statum, præuenientis gratiæ munere liberatum: de qua gratia Dei non qua homines nascimur, sed cuius opere per fidem mediatoris uinculis peccati originalis atq; actualis absoluimur, quantum possumus epistolari breuitate (ut etiam in hac quæstione interrogationi, uel potiùs professioni uestræ responsio non desit) ipsius gratiæ fulti iuuamine disseremus.

Quis-

Homo creatus à Deo nõ tantũ bonus, sed & libero arbitrio præditus.

Quiſquis igitur Chriſtianæ religionis non uult inaniter imò damnabiliter portare uocabulum, credat firmiſsimè Deum noſtrum: id eſt, ſanctam Trinitatem, quę unus ſummus & uerus eſt Deus, primo homini, quem ad ſuam imaginem gratuita bonitate bonum fecit, cui facultatem quoq; ſuę cognitionis ac dilectionis inſeruit, non ſolùm bonæ uoluntatis donum, quin etiam ad habendam cuſtodiendamq; iuſtitiam, integrũ ſanumq; creaſſe libertatis arbitrium, ut facultas atque motus inditæ libertatis, ſi iuuantem ſe gratiam Dei non dereret, præmium uitæ æternę tribueret Dei bonitas homini: ſi autem iuſtitiam diuinam cõtemnens, à gratia excidiſſet, ſupplicia retribueret iuſtitia peccatori.

Vnde etiam illi optio data libera: Vitæ, ſi obediret.

Proinde à bono iuſtoq; creatore illi homini, quem in corpore animali conditum, ditauit intelligentiæ ac iuſtitiæ dono, iuſta eſt utrinq; ſtatuta conditio, ut ſcilicet ſi obedientiam, quæ prima uirtus eſt, cuſtodiret, ex animali in qua creatus erat corporis qualitate, ad ſpiritualẽ

im-

immortalemq; statũ sine corporis morte (quia sine animæ iniquitate) transiret, accepisset q; diuino munere, si præcepta seruasset, non solùm perfectam atq; inamissibilem corporis immortalitatem, uerumetiam in anima talem gratiã sanctè iusteq; uiuendi, ut peccare deinceps omnino non posset, si non peccaret, donec peccare potuisset. Creatus ergo primus homo de terra terrenus, accepit quidem gratiam, qua non posset peccare, si peccare nollet, nondum tamen tantam acceperat gratiam, qua nec peccare uellet omnino nec posset, ut scilicet à bono iustoq; Domino, pòst esset illud munere largiendum, si uoluntariè fuisset, hoc à seruo prius in opere custoditum.

Et mortis si peccaret.

Quod si bono iustoq; neglexisset obedire mandato, post mortem animę, quã delinquendo ipse sibi noxius intulisset, etiam per corporis mortem uitæ præsentis mutaretur incommodo, nec tenere sineretur iugiter in carne peccati damnabilem uitã, qui noluisset in corde seruare iustitiam, essetq; pœnaliter etiã corpore

pore mortis deinceps necessitate constrictus, qui contumaciter salubria iussa transgrediens spirituali morte spōte fuisset obnoxius. Nisi enim præcessisset in peccato mors animæ, nunquam corporis mors in supplicio sequeretur. Hoc Apostolica docet authoritas, quæ ait:
Rom. 8. *Corpus quidem mortuum propter peccatū.* Ideo post peccatum uoluntaria præuaricatione commissum, sententiam Dei punie̋tis hoc audire meruit sermone pec
Gen. 3. cator, *terra es & in terram ibis.* Homo igitur in terram carne non iret, si terra peccando non fieret.

CAPVT XIII.

Quòd homo per peccatum facultatem bonæ cogitationis perdidit, & bonæ voluntatis.

Post lapsum peccati seruus factus est.

PEccans itaq; ille, qui sine peccandi necessitate creatus est, in eo quod animæ sanitatem delinquendo perdidit etiam illa cogitandi, quę ad Deum pertinent, amisit protinus facultatem.
Ps. 102. Oblitus est enim manducare panem suum,

um, & expoliatus uestimento fidei, carnaliumq́; concupiscentiarum uulneribus sauciatus, sic iacuit oppressus ditione peccati, ut nullatenus aliquod bonæ uoluntatis initium habere potuisset, nisi hoc Deo gratis donante sumpsisset, seruus quippe factus peccati, liber factus iustitiæ, & ideo à iustitia factus est alienus, qui sponte dominio est iniquitatis addictus.

Alludit ad Samaritanũ à latronibus spoliatum et uulneratum. Luc. 10.

Rom. 6.

Venũdatus ergo sub peccato, cunctã in se prolem de carnis cõcubitu nasciturã, nexibus mortiferæ seruitutis obstrinxit. Quod B. Paulus euidẽter his uerbis insinuat: *Per vnum hominem peccatũ in hunc mundũ intrauit, & per peccatũ mors & ita in omnes homines mors pertransijt in quo omnes peccauerũt*, hoc in illo qui primus factus est, Patre orbis terrarũ uniuersi ꝑtulimus, in quo omnes peccauerunt, antequã nati essent, q per seipsos peccare nõ potuerunt. Hinc factum est ut iam filios iræ propagaret massa damnata; quæ in illius hominis posteros, & iniquitatem simul transfudit & mortẽ, ut

Et posteritatem suam uniuersam ad mortiferam hanc seruitutem adstrinxit.

Rom. 5.

ut omnis qui per legem peccati, (quam certum est mortalibus usq; ad mortem inesse corporibus) de peccatoris semine nasciturus, in ipso cõceptionis exordio excepisse peccati parentalis maculã, exinde *sub iugo graui, quod est super filios*
Eccl. 40. *Adam, à die exitus de ventre matris eorũ, vsq; in diem sepulturæ in matrem omniũ,* ducturus esset ærumnosam infeliciter uitam, breuitati scilicet, peccato, mortiq;
Iob. 14. subiectam. Scriptum est enim: *Homo natus de muliere breuis vitæ, & plenus iræ:* quæ ad secundam quoq; mortem natũ mortaliter traheret, si quem alienũ à gratia Dei redemptoris uitæ huius miserabilis obitus inueniret.

Vt igitur liberaremur datus nobis est Mediator, qui idem esset Deus & homo.

Vt ergo peccati originalis uinculo, quo per hominem primum tenebamur obstricti, miserantis Dei gratia soluere-mur, *vnus* extitit *mediator Dei & hominũ homo Christus Iesus.* Nam quia Deus immortalis & iustus est, nos autẽ iniquos
1. Tim. 2. & mortales primi hominis transgressio fecerat, ut congrua nostris adhiberetur medela uulneribus: natus est de homine homo,

homo, unigenitus Deus, qui de Patre natus est immortalis & iustus. Hic in humana natura in qua Mediator Dei & hominũ factus est, iustitiam habuit ex Patre, mortem ex matre, ut per ipsum liberaremur ab omni peccato, qui peccatũ nec nascendo, nec uiuendo contraxit, & ab ipso acciperemus iustitiam, per quã mortis æternæ uinculo solueremur, ut per eum & in hac uita iusti, & post hanc uitam immortales esse possemus. Ipse igitur in similitudine carnis peccati mirabiliter: quia singulariter natus, solus est masculus adaperiens uuluam, qui in ueritate sanctus Domino uocaret. Vuluam quippe matris eius, non concupiscentia mariti concũbentis, sed omnipotentia filij nascentis aperuit. Ideo solus est, in quo princeps mundi huius ueniens nihil inuenit: solus homo, sine adiutorio inter mortuos liber: solus qui non nouerat peccatum, & ob hoc sufficit, ut pro nobis peccatũ fieret: id est, sacrificiũ pro peccatis, ut nos essemus iustitia Dei in ipso: solus panis qui de cœlo descẽdit

Christus est masculus adaperiens uuluam.
Exod. 13.
Luc. 2.
Ioan. 14.
Ps. 88.
2. Cor. 5.
Ioan. 6.

& dat uitam mũdo: panis autem quem dat, caro eius pro mundi uita. Caro utique iusti atq; immortalis Dei, cuius acceptione iustitia confertur illi carni, quę nascatur cum pœna mortis & pollutione peccati.

CAPVT XIIII.

Quòd ex peccato primi hominis non tantùm pœnam, sed etiam culpam trahamus.

Argumentũ ab incommodo. Sequeretur enim Deũ esse iniustum qui infantes mori facit.

SI qui ergo mortem solã, ut nõ etiam peccatum ex homine primo transiisse in genus humanum nitũtur asserere: mirũ si non intelligunt, quibus sentẽtiæ suæ laqueis obligentur. Primò q̃a Deũ dicunt iniustũ, in eo quòd mori facit paruulos, quos nulla uolunt isti originalis peccati cõtagione pollutos, quosq; manifestè constat infantili ætate aliquid actualis peccati, propria non posse uolũtate contrahere, cũ mortem stipendium Apostolus esse peccati definiat, & rursum, aculeũ mortis dicat esse peccatum, quo utiq; pungẽte, mors illigata est homini.

Rom. 6.

1. Cor. 15.

mini. Sic enim peccatum aculeus mortis dicitur, non quia peccatum per mortem, sed quia per peccatum mors in mũdum intrauit: sicut uirulentum poculũ mortis poculũ dicimus, nõ quòd à morte poculum detur, sed quòd mors, poculo illi cõparetur. Qua igitur iustitia paruulus subijcitur peccati stipendio, si nulla est in eo peccati pollutio? uel quomodo uidemus morte punctum si non sensit aculeum? Et cùm non sit iniquitas apud Deum, qui fecit hominem ad imaginem suam, quæ iustitia est, ut imago Dei, quæ nihil potuit per seipsam delinquere, si non redimatur sanguine Filij Dei, in regnum Dei nõ permittatur intrare? quo utiq; quisquis non ingreditur, interminabilibus ignis ęterni cruciabitur pœnis. Qua igitur iustitia Deus iustus infantib. sine peccato nascentib. ingerit pœnam, in quibus pœnę non inuenit causam? Hęc ne est creatoris Dei benignitas, ut imaginẽ suam creet, eãq; sine ulla iniquitate cõdemnet, cũ non sit iniquus Deus, qui infert irã? Si ergo no-

Peccatum quomodo aculeus mortis.

sunt, in ipsius Dei contumeliam mortifera impietate uersari, fateantur hominem primum in omnes homines cum morte transmisisse peccatum.

CAPVT XV.

Quæ absurda sequantur eos qui negant, infantes habere peccatum.

Aliud absurdum: sequeretur enim secundò Christum non assumpsisse humanam naturam.

ALiam rursus impietatem debent in hac sua uidere ac uitare sententia. Dicentes enim paruulos ex Adam non trahere originale peccatum, negant eos profectò habere carnem peccati, quos tamen humanam carnem habere non negant. Ex eo uerò quòd eos sic humanam carnem habere non negant, ut eam esse carnem peccati negẽt, consequens est, ut humanam carnẽ negent carnem esse peccati. Fatentur Apostolum compellantem: *quia Deus misit Filium suum similitudine carnis peccati.* (Rom. 8.) Ad hoc igitur istos cæcitas impiæ professionis impellit, ut qui carnem humanam negant, carnem esse peccati, Christum

ſtum autem in ſimilitudinem carnis pec cati ueniſſe nō negant: ipſam Chriſti car nem non humanā eſſe, ſed alterius naturæ ſacrilega infidelitate cōfingant. Iſti enim carnē in qua paruuli naſcuntur, humanā dicūt eſſe carnē, quā tamē eſſe carnem peccati negare contendunt: Chriſtum autem in ſimilitudine carnis pecca ti ueniſſe, pariter nobiſcum profeſsione conſentiunt. Aut igitur carnem Chriſti humanam eſſe non dicant, aut omnium hominum carnē in cuius ſimilitudinem Deus Filium ſuum miſit, carnem peccati eſſe conſentiant. Quod cùm conſenſe rint, nullus remanebit labor, quo eis pec catum carni paruulorum ineſſe monſtretur.

Caro peccati cur dicatur?

Si enim caro peccati non mendaciter dicitur, habet in ſe caro ipſa peccatum: ſi uerò peccatum non habet, falſum portat carnis peccati uocabulum. Sed eam de qua loquimur, carnem peccati uerax diſcipulus ueritatis Paulus appellat. Re ſtat igitur ut ſicut uerè caro eſt, cùm caro dicitur: ita uerè in ſe peccatum habe-

at cùm caro peccati ore Apostolico nuncupatur.

Obiectioni occurrit.

Sed forsitan dicent in illius carnis peccati similitudine missum Filiũ Dei, qualem habent homines, qui propria uoluntate peccare iam possunt, unde caro eorum, caro peccati non immeritò nuncupatur, non in quali carne paruuli sine aliqua peccandi uoluntate nascuntur. Vbi non attendunt: quia si caro paruulorum à carne maiorum diuersa qualitate fuisset, nõ nisi in similitudine carnis paruulorũ, (quos nullũ originaliter dicunt habere peccatũ) Deus aduenisset. Magis enim similis esset caro Christi carni paruulorum, cum qua ueritatem habere, substantiæ qualitatisq́ cõmunem, quã carni hominum maiorum, cũ quib. illi communis esset sola carnis natura, non macula. Sed hoc illi forsitan uolũt, ut caro Christi cũ carne hominum maiorum solam habuerit naturæ similitudinem, cum carne uerò paruulorum, munditiam quoque potuerit habere communem. Fateantur ergo paruulos in simili-

militudine carnis peccati, quos asserunt nasci quidē in carne humana, sed originalis peccati negāt cōtagione pollutos.

Quibus ostendendum est, quāta eos etiam hic sequatur absurditas, negantes enim in paruulis nascentibus originale peccatū, humanā eos carnē habere non negant. Filiū autē Dei carnem humanā de Virgine sine peccato accepisse conce dunt: cōsequens igiť est, ut inter carnem nascētis ex Virgine unigeniti Dei & cuiuslibet alterius paruuli, nihil distare fateātur. Vnde cōficitur, ut omnes paruulos quos nasci asserunt sine peccato, dicant nō egere Saluatoris auxilio, atq; ita laqueū Pelagiani erroris incurrūt, dum fidei catholicæ infideliter contradicunt. Si enim sine peccato infantes nasci asserunt, qd restat, nisi ut dicant, nihil esse in eis, qď debeat spirituali regeneratione mundari? Et si remouēt peccati originalis maculā à nascentib. paruulis, quid aliud nitūtur nisi diuinę ueritati succēsere mendaciū quando eos in remissionem peccatorum uident baptismatis accipe-

Alia absurditas. Sequeretur paruulos non indigere ope Mediatoris nec baptizandos.

re Sacramẽtum? Quod ideo uniformiter infantibus maioribusq; confertur, ut omnibus originalis inesse peccati macula cognoscatur.

Quisquis igitur salutem ueram sempiternamqúe desiderat adipisci, sensum hęreticæ prauitatis abijciens, quos cum pœna peccati natos uidet cum peccato quoque natos non dubitet, audiatqúe beatum Iob dicentem: *Quia non est mundus à sorde, nec infans cuius unius diei uita est super terram.* Beati quoq; Dauid fluctus pij cordis humilitate cõsideret, dicentis: *Ecce in iniquitatib. cõceptus sum, & in delictis peperit me mater mea.* Sancto quoq; Abrahę uideat circuncisionis Sacramentũ, non sine tremenda paruuli cõminatione mandatũ. Ibi quippe Deus fidelis & iustus, qui nõ infert irã, ubi culpã non inuenit, patri nostro Abrahæ sic loquitur: *Masculus qui non fuerit circũcisus carnem præputij sui octauo die, exterminabitur anima illa de populo suo: quia testamentum meum transgressus est.* Quisquis itaq; negat in paruulis secundùm

Infantes peccatum originale habere directè probat testimonijs sacris.

Iob. 15.

Ps. 51.

Gen. 17.

dùm carnem naſcentibus originale peccatum, dicat in quo potuit infans octo dierum teſtamentum Dei tranſgredi, ſi non in illo trangreſſus eſt, in quo omnes peccauerunt? cùm & antequam naſcerentur, aſſerat Apoſtolus infantes nihil egiſſe boni uel mali, & uideamus iã natos non ſolùm intra octauum diem natiuitatis ſuæ: quo tunc tempore circuncidi iubebantur infantes, ſed etiam poſt ipſum diem toto infantiæ ſuæ tempore, intantum non poſſe teſtamentum Dei tranſgredi, ut eis nec eiuſdem teſtamenti cognitio ualeat intimari. *Rom. 9.*

An illo quiſquã B. Pauli ſermone, in paruulis euacuare nititur originale peccatum, quo dicit *regnaſſe mortem ab Adam vſque ad Moyſen, etiam in eos qui non peccauerunt, in ſimilitudinem præuaricationis Adæ?* Cui ſi fuerit illud è contrario replicatum, quod idem Apoſt. ait: *Per vnius delictũ in omnes homines in condemnationem*, quod paulò pòſt exponẽs ait: *Per inobedientiam vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi.* Et cùm de Iu- *Infantes peccarunt & nõ peccarunt. Rom. 5.*

dæis atque Græcis loqueretur generaliter intulit: *Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei, iustificati gratis, per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.* Nonne illicò in magnas trudetur angustias, si non utrunque sensum secundum professionem catholicæ credulitatis acceperit, ut scilicet infantes proprijs quidem operibus nihil deliquisse dicat, in illo autem primo homine omnes homines generaliter peccasse cognoscat?

Rom. 3.

CAPVT XVI.

Quòd à peccato originis non liberet, nisi fides redemptoris.

A peccato originis liberat nos fides Mediatoris qui et naturā nostrā instaurauit & legē impleuit.

AB hoc peccato qd' originaliter carnalis natiuitas trahit, neminem facultas naturalis, neminē litera sanctæ legis, sed sola fides eripit Iesu Christi Filij Dei, *qui venit quærere & saluum facere, quod perierat. Pro impijs mortuus est, offerens semetipsum pro nobis*, sicut Apostolus dicit: *Oblationem & hostiam Deo, in odorem suauitatis.* In hoc Mediatore Dei

Luc. 19.
Ephes. 5.

Dei & hominum, & humanæ naturę status reparatus est, & implendæ legis est consummatus effectus: quia nec sibi ad uirtutem sufficere ullatenus potuit naturalis infirmitas, quæ utique ex quo omnes dies defecerunt, & in ira Dei defecimus, lumine simul & uirtute priuata, intantum natura cæca sine lege peccat, ut peccare se nesciat. Propter quod dicitur: *Concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, non concupisces.* Ps. 90. Rom. 7.

Legalis quoque auditus non solùm neminem de potestate tenebrarum eripuit quin etiam peccatoribus cumulũ præuaricationis adiecit. Sine gratia quippe fidei grauius lex agnita, quam ignota condemnat. Vbi quantum ignorantia peccati minuitur, tantum reatus peccatoris augetur. Ideo Apostolus ait: *Lex enim iram operatur: vbi enim non est lex, nec præuaricatio.* Idem quoque dicit: *Quia lex propter transgreßionem posita est.* Et quia conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut iustificatio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. Non lex. Rom. 4. Gal. 3.

Quo-

Neq; liberũ arbitrium. Quomodo igitur de posſibilitate ſolius liberi arbitrij (ſi nõ præueniatur adiutorio gratiæ Dei, per quam bona uoluntas reparat̃, & ſeruatur in homine natura, tantò magis ſuperbia, quantò magis Domino peccati mortiq; ſubiecta) quantulumcunque ſibi bonæ uoluntatis & operis exordium repromittit, quæ nec ſana potuit Dei ſeruare mandatum, nec uulnerata quantulumcũq; curationis ſumpſit de lege remedium, ſed inſuper auxit peccatum cognitione mandati? *Rom. 5.* *Lex enim ſubintrauit, vt abundaret peccatum*, *Ioan. 1.* de quo liberari nemo poteſt, niſi per agnum Dei, qui tollit peccata mundi. De corpore enim mortis huius, non liberum hominis arbitrium, neque legis ſanctum, iuſtum bonumq; mandatum: ſed ſola nos liberat gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrũ. *Rom. 8.* *Lex enim Spiritus vitæ in Chriſto Ieſu, liberauit nos à lege peccati & mortis.*

CA-

CAPVT XVII.

Quòd Christus hominem liberet, non inueniendo fidem, sed dando.

LIberauit autem non in quolibet hõmine fidem inueniendo, sed dãdo. *Deus iustificat fidem inspirando.* Deus enim qui impium iustificat, ipse in fideli fidem quæ per charitatem operatur, gratia suæ bonæ uolũtatis inspirat. *Gal 5.* Vnde quod ad benè cogitandi attinet facultatem, testatur Apostolus: *Quia nõ sumus idonei cogitare aliqd ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo.* *2. Cor. 3.* Reuera enim secundũ eiusdem Apostoli dictum: *Deus quib. voluerit dat pœnitentiã ad cognoscendã veritatem, vt resipiscant à Diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ad ipsius voluntatem.* *2. Tim. 2.* Vndè ille Apostolorũ primus, & dignè Beatus ueritatis eloquio nuncupatus, de credulitate, gentiũ loquens: *Deum*, dixit, *fide mundasse corda eorum.* *Act. 15.* Rursus ait: *eandem gratiam diuinitùs datam gentibus quam & ipsis, vt crederent,* ubi gratuitum gratiæ donum

Apostoli

Apostoli & maiores natu in doctrina sancti Spiritus agnouerunt, omnesq; unanimes uno ore in Beati Petri sententiam, transierunt, dicentes: *Ergo & gentibus Deus pœnitentiam ad vitam dedit*: *Act. 11.* nēpe cùm ipse Saluator noster propriæ uocis imperio humanam conuertit uoluntatem dicens: *Pœnitemini & credite Euangelio.* *Marc. 1.*

Homò credere nō potest, nisi pœnitentiæ donū acceperit.

Claret tamen quia ut homo in Deum credere incipiat, à Deo accipit pœnitentiam ad uitā, ita ut omnino credere non posſit, niſi pœnitentiam dono Dei miserantis acceperit. Quæ est autē pœnitentia hominis, nisi mutatio uolūtatis? Deus ergo qui homini pœnitentiā dat, ipse mutat hominis uoluntatem.

Qualiter dictum sit: Meum est uelle credere. Dei autē gratiæ est adiuuare.

Proinde si quis dicit, meum est uelle credere: Dei autem gratiæ est adiuuare: mutet igitur dictorū ordinem, imò non mutet, sed seruet, nec quod posterius est in priore loco, nec quod est prius in loco posteriori constituat. Malè enim gratiam Dei suæ uoluntati postponit, cùm ista bona esse non posſit, si illa defuerit.

Non

Non enim dicat meum esse uelle credere: Dei autem gratiæ est adiuuare. Sed dicat, gratiæ Dei est adiuuare, ut sit meum uelle credere. Tunc enim uerè rectéque ait eius hoc uelle, cùm enim gratia præueniens cœperit adiuuare. Fides enim quæ per charitatem operatur, humilem facit eum, cui datur: quia charitas non inflatur. 1. Cor. 13.

Adiutorio igitur atque munere gratiæ sibi fidem dari unusquisque non dubitet, nedum initium sibi fidei nititur assignare. Pœnitentiam quoque quam Deus ad uitam dat, sibi homo non sanitate ualidus, sed infirmitate præiudicatus assignet, tantique medicaminis beneficio careat, cuius gratiam contumax atque ingratus oppugnat, cū cordis humilitas diuinis sit eloquijs admonenda, ubi principaliter ipsa bona uoluntas, qua incipimus uelle credere, à Domino præparari demonstratur ac dirigi, Salomone dicēte: *Præparatur uoluntas à Domino*. Et Dauid canit in Psalmis: *A Domino gressus hominis dirigentur, & viā eius cupiet nimis.*

Fides & Pœnitentia à Deo donantur.

Prouerb. 21.

Ps. 37.

CAPVT XVIII.

Quòd si velle credere ex nobis sit, tunc fidei non est gratia, sed merces bonæ voluntatis.

Gratiam in nobis nõ inuenire bonã uoluntatem ex Scripturis probat.

SI uerò secundũ opinionem illorum, nostrûm est uelle credere, priusquã nos Dei gratia incipiat adiuuare, iniustè gratia dicitur: quia non gratis datur homini, sed bonę retribuitur uoluntati. Hanc enim (sicut illi uolunt) gratia in nobis inuenit, quam ipsa non dedit: Imò si sic est, nos priores Deo uoluntatem damus, atq; ita gratiam non miseratione tribuẽtis, sed ęquitate Dei retribuentis accipimus: *Veruntamen quis prior dedit illi & retribuetur ei?* Nemo utique, quia *non potest homo accipere quicquam nisi datum fuerit de cælo: Quid enim habet, quod non accepit? Si autem accepit, quid gloriatur quasi non acceperit?*

Rom. 11.

Ioan. 3.

1. Cor. 4.

Non autem misericordia Dei aliquando præuenit hominem, si nunquam bonam fecit, sed expectat ut inueniat uoluntatem. Et ubi est, quod Dauid dicit: *Deus meus, misericordia eius præueniet*

Ps. 59.

ueniet me. In quo autem Dei nos misericordia præueniat, uel præueniens quales inueniat, non in quolibet alio, sed in se nobis ipso gẽtium magister ostendit, dicens: *Qui priùs fui blasphemus & persecutor & contumeliosus, sed misericordiam consecutus sum: quia ignorãs feci in incredulitate.* 1.Tim.1. Quomodo ergo aliquam credendi uoluntatem ex seipso Paulus habere poterat, qui blasphemũ se, & persecutorem, & contumeliosum cæcus atque incredulus ignorabat. Quod humili corde considerans, alio loco dicit: *Non sum dignus vocari Apostolus: quia persecutus sum Ecclesiam Dei.* 1.Cor.15. Statimq; fidem suam non propriæ uoluntati, sed gratiæ Dei miserantis assignans, dicit: *Gratia autem Dei sum, id quod sum.* Quid autem iam fuit nisi fidelis? Quod ut esset, misericordiam est utique consecutus sicut ipse testatur, dicens: *Consilium do, tanquam misericordiam consecutus à Domino, ut sim fidelis.* 1.Cor.7. Nam & cũ se priùs blasphemum & persecutorem, & cõtumeliosum fuisse fateretur, fidem suã & chari-

ritatem gratię designare non desistit, statim subijciens: *Superabundauit autem gratia Dei in fide & dilectione, quae est in Christo Iesu Domino nostro.* Si ergo fidem Paulo gratia Dei nō dedit, nec charitatem ei dedisse credenda est. Ergo quod absit mentitus est Paulus, qui ait: *Quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Sed quia Paulus Christo in se loquente mentiri non potuit, ipso spiritu nobis tribui fidem firmissimè fateamur, per quem, charitatem Dei in nostris diffundi cordibus negare nequimus.

1. Tim. 1.

Rom. 5.

Cùm ergo Paulus esset blasphemus, & persecutor, & contumeliosus, non ideo est adiutus Dei gratia: quia credere uoluit: sed ut credere uellet donum gratiae praeuenientis accepit, quę in eius uoluntate non aliquod credulitatis initiū, sed blasphemiam, saeuitiam, contumelias, & ignorantiam in incredulitate reperit. Cuius usq; adeò caeca fuit uoluntas, ut non solùm non posset credere, sed nec ipsum suae credulitatis posset initiū prae-

Gratia in Paulo reperit non tantùm incredulitatem, sed etiam eius ignorantiam.

præuidere. Non enim ignorans fecisset, si suam in se ignorantiã præuidisset. Digne igitur in Paulo assignatur præuenientis misericordiæ dono, non solùm credulitatis initium, sed etiam ipsius incredulitatis agnitio. Quam ei propterea Dei misericordia contulit, ut incredulitatem suam illuminatus atque adiutus & agnosceret & uitaret. Dominus enim est illuminatio nostra, & salus nostra: qui nos illuminat ut peccata nostra cognoscamus, & sanat, ut à peccatis nostris separati cum iustitia uiuamus. Ob hoc ipse, qui ut fidelis esset, fatetur se misericordiam consecutum, salubriter nos instruit, dicens: *Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei.* Quia re uera & ut uelimus misericordiæ præuenientis illuminamur dono, & ut curramus, misericordiæ subsequentis fulcimur auxilio. Vt ergo sibi quisque tribuat bonam uoluntatem, qua uelle incipit credere, non uiuentis animę uigor, sed mortuæ carnis est tumor. Rom. 9.

CAPVT. XIX.

Quòd liberum hominis arbitrium post peccatum, sine adiutorio gratiæ, non nisi ad seruiendum peccato reperitur idoneum.

In homine ante regenerationem arbitrium est seruiliter liberum.

EX quo enim primus homo naturã suam uoluntariè uitiauit, atque oppressit infirmitas, nisi diuinæ gratię medicamento præuentum, in unoquoque homine sanetur atq; adiuuetur liberum indesinenter arbitrium, est quidem liberum non tamen bonum, est liberum non tamen rectum, est liberum non tamen sanum, est liberum non tamen iustum. Et quãto magis à bonitate, rectitudine, sanitate, iustitiaq; liberum, tanto magis malitiæ, peruersitatis, infirmitatis, atque iniquitatis, mortifera seruiture captiuum: *Qui enim facit peccatũ, seruus est peccati,* & *à quo quis deuictus est, huic & seruus addictus est.* Regnante igitur peccato habet liberum arbitrium; sed liberum sine Deo, non liberum sub Deo: id est, liberum iustitia, nõ liberum sub gratia, & ob hoc pessimè atque seruiliter liberum:

Iohan. 8.
2. Pet. 2.

berum: quia non gratuito miserẽtis Dei munere liberatum. Hoc Apostolus euidenter insinuat, dicens: *Cùm enim serui essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ.* Rom. 6. Seruire igitur iustitiæ non potest, qui iustitiæ liber est: quia quãdiu est peccati seruus, non nisi ad seruiendum peccato reperitur idoneus.

Ab ista seruitute peccati nemo liber efficitur, nisi qui liberatoris Christi gratia liberatur, ut scilicet liberatus à peccato, seruus fiat Deo. *Verè autem liberum redditur gratiâ Seruatoris.* Hoc autem quemadmodum fiat, ipse liberator noster ostendit: *Si vos,* inquiens, *Filius liberauerit, verè liberi eritis.* Iohan. 8. Ideo uas electionis beneficium nobis gratiæ liberatricis insinuans, non solùm liberos, sed etiam liberatos nos esse testatur his uerbis: *Nũc autem liberati à peccato, serui facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem: finem verò vitam æternam.* Rom. 6. Hæc uerò libertas quę non ex humano arbitrio nascitur, sed gratuita Dei miseratione confertur, à bona uoluntate sumit exordium, & per fructum sanctifica-

tionis in uita æterna plenum sui sortitur effectum.

In regeneratione nemo habet bonã voluntatem motu proprio.

Sed sicut in natiuitate carnali, omnem nascentis hominis uolũtatem præcedit operis diuini formatio: sic in spirituali natiuitate (qua ueterem hominem qui corrumpitur secundùm desideria erroris, deponere incipimus, ut nouum qui in iustitia & sanctitate ueritatis creatus est induamus) nemo potest habere bonam uoluntatẽ motu proprio, nisi mens ipsa: id est, interior homo noster reformetur ex Deo. Ideo nos beatus Paulus præcipit nõ conformari huic seculo, sed reformari in nouitate sensus nostri.

Rom. 12.

Reformatio nostri nõ ex nobis.

Cuius reformationis initium ne nostræ facultati assignare aliquatenus deberemus, Dominus per Prophetam seipsum formatorem lucis ostendit, dicẽs: *Ego Dominus formans lucem, & creans tenebras*. Quod & beatus Apostolus sua prædicatione confirmat, dicens: *Deus qui dixit de tenebris lucem splendescere, illuxit in cordibus nostris*. Eidem luci, quã iam formauerat Deus, alio loco dicit:

Esaiæ 45.

2. Cor. 4.

Erat u

Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Quibusdam uerò ex illa lucis formatione laudabili, ad uituperabilem tenebrarum informitatē relapsis, affectum piæ mentis ostendens, ita loquitur: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Quomodo autem Christus in suis formari potest, nisi quomodo in eis habitare incipit: id est, per fidem? Quod beatus Paulus ita confirmat: *In interiore*, inquiens, *homine habitare Christum per fidem in cordibus nostris.* Dum ergo reformamur, renouamur, & in eo quo renouamur, uiuificamur.

Ephes. 5.

Gal. 4.

Ephes. 3.

CAPVT XX.

Quòd vita sancta à fide sumit initium.

Vita autē nostra à fide sumit initiū: quia *iustus ex fide viuit.* Quam fidem nō ex uoluntate nostra nasci, sed per Spiritum sanctum unicuiq; dari, beatus Paulus ostendit, d[illegible]ens: *Alij quidem datur per spiritum ser[illegible]o sapientiæ: alij autem sermo scientiæ secundum*

Rom. 1.

Fides Spiritus S. donum.

1. Cor. 12.

eundem spiritum, alteri fides in eodem spiritu. Non ergo Spiritum sanctũ: quia credimus, sed ut crederemus accepimus.

Eodem spiritu formatur Christus secũdùm fidẽ in corde: quo secũdũ carnem in vtero fuit cõceptus.

Forma enim præcessit in carne Christi, quã in nostra fide spiritualiter agnoscamus. Nam Christus Filius Dei secundùm carnem de Spiritu sancto conceptus & natus est: carnem autem illam, nec concipere Virgo posset aliquando nec parere, nisi eiusdem carnis Spiritus sanctus operaretur exortum. Sic ergo in hominis corde nec concipi fides poterit nec augeri, nisi eam Spiritus sanctus effundat & nutriat. Ex eodem nanque Spiritu renati sumus ex quo natus est Christus. Eodem igitur spiritu Christus formatur secundùm fidem in corde uniuscuiusq; credentis, quo spiritu secũdùm carnem formatus est in utero Virginis. Ideo Propheta ex persona fideliũ clamat ad Dominum: *Propter timorem tuum Domine in vtero cõcepimus, & parturiuimus spiritum salutis tuæ: iustitiam non fecimus super terram.*

Esa. 26.

Sicut autem non solùm priusquam

Virgo

Maria Christum conciperet, sed *Gratia donantis homini infunditur priusquã incipiat velle credere.*
iusquam se cõcepturam agno-
ratia plena angeli uoce nuncu-
cùm nulla eius præcederet con-
Filij Dei uel cognitio uel uo-
t agnosceretur ex gratia Dei es-
psa obediens uolũtas Virginis,
ceptio Domini Saluatoris: Sic
riusquàm credere uelle incipe-
a donantis infunditur cordi, ut
in homine per fidem Christus

autem Christus in unoquoque *Christus ipse se format in credentibus.*
r, ipse se format: quia ipse fidem
uniuscuiusq; credentis initiat.
ta in Epistola quæ ad Hebræos
t admonemur, ut aspiciamus
em fidei & consummatorem Ie- *Heb. 12.*
proculdubio sic est author fi-
æ, cùm ipse fidem non haben-
nat, sicut est eiusdem fidei con-
or, cùm eam in habentibus au-
ultiplicat, & sancta operatione
nat. Dicit enim beatus Aposto
us: quia *fides Abrahæ patris no-* *Iacob. 2.*

ſtri ex operibus conſummata eſt. Author eſt ergo fidei noſtræ conſummatorq́ Ieſus: quia ipſe operatur in nobis & uelle & perficere, pro bona uoluntate.

Deus & initium & conſummatio fidei noſtræ in ſolidum.

Quòd ſi in eo tantùm eſt auctor fidei noſtræ: quia noſtram uoluntatem expectat, ut ex nobis eſſe fides incipiat: conſequẽs eſt, ut etiam conſummator fidei noſtræ ideo dicatur: quia expectat ut noſtro tantùm conatu ad conſummationẽ fides, quæ à nobis exorta eſt, perueniat. Ac ſic totum Deo adimitur, ſi & initiũ & conſummatio fidei noſtræ humani arbitrij uirib. applicetur. Quod quia ualde impium eſt, ſi Scripturarum ſanctarum eloquijs ſalutarib. nos reſiſtimus, omnia quæ pertinent ad bonæ uoluntatis initium uel profectum, Deum in nobis & incipere & perficere ſine aliqua hæſitatione credamus. Ipſe eſt enim qui operatur in nobis & uelle & perficere, pro bona uoluntate.

Homo viam ſuam nõ habet nec corrigit.

Ierem. 10.

Clamemus igitur in humilitate cordis & ueritate fidei cum Propheta: *Scio Domine, quia non eſt in homine via eius,*

neq;

eq; viri est, vt corrigat viam suam. Non
st itaq; in homine uia eius, quam habet
x Deo, neque uiri est ut corrigat uiam
uam, quam habet ex seipso. Viam ergo
uam non habet in se, nec uiam suã cor-
igit, nisi cum rectitudine cordis donũ
gratiæ spiritualis acceperit. Ideo Salo-
non dicit: *Dirigit autem corda Dominus.* Prouer. 21.
Beatus quoq; Apostolus Iacobus testa- Iacob. 1.
ur: *Quia omne datum optimum, & omne
lonum perfectum desursum est, descendẽs
à Patre luminum*, eorum scilicet luminũ
quibus per Ezechielem noui cordis gra
iam repromittit, dicens: *Dabo vobis cor* Ezech. 11.
*nouum, & spiritum nouum ponam in me-
lio vestri, & auferetur cor lapideũ de car-
ne vestra, & dabo vobis cor carneum, &
piritum meum dabo in vobis, & faciam
vt in iustificationibus meis ambuletis, &
udicia mea obseruetis & faciatis.* Beatus
quoque Paulus humanæ comprimens
præsumptionis audaciam, dicit: *Quis e-* 1. Cor. 4.
*nim te discernit? Quid autem habes, quod
non accepisti? Si autem accepisti, quid glo-
riaris quasi non acceperis?* Cum quo nos
opor-

oportet humiliter salubriterq; cognosce 1.Cor.15. re pariter & fateri, gratia Dei nos esse quod sumus, si tamen aliquid sumus. Gratia nō tollit humanū arbitrium. „ Qua gratia humanum non aufertur, sed „ sanatur: non adimitur, sed corrigitur: nō „ remouetur, sed illuminatur: non euacua „ tur, sed adiuuatur atq; seruatur arbitriū: „ ut in quo infirmitatem homo habuit, in „ eo habere incipiat sanitatem: quo erra- „ bat, eodem in uia redeat: in quo cæcus „ fuit, in eo accipiat lumen: & ubi fuit ini- „ quus, seruiens immunditiæ & iniquita- „ ti ad iniquitatem, ibi gratia præuentus „ atque adiutus seruiat iustitiæ in sancti- ficationem.

CAPVT XXI.

Quòd Deus non sit acceptor personarum, quos vult credentes faciens.

Obiectio. Deus igitur cùm non omnibus gratiam conferat, est προσωποληπτης. Miramur autem quosdam dicere: Si uolentes Deus facit, ut uelint credere, nullus autem est, qui naturaliter posit credere in Filio Dei, aut aliquid boni uelle, quod pertinet ad uitam ęternā, cur ergo nō facit omnes uelle, cū non sit personarū acceptor Deus?

Ex

Ex quibus uerbis quæ ueſtris literis indita ſunt, apparet eos minus conſiderare quod dicunt: Perſonarum acceptio apud Deum tunc eſſet, ſi (quemadmodum iſti uolunt) in quolibet hominum aliquod inueniret bonæ uoluntatis initium. Cùm autem in nullo bonam uoluntatem inuenit, ſed eam gratis cũ uoluerit ipſe concedit: agnoſcitur nulla eſſe perſonarum acceptio, quãdo gratuita eſt donãtis in unoquoq; largitio. Quod autem dicunt, cur non facit omnes uelle? Itáne uerò in nemine hoc facit: quia nõ in omnibus facit? An non habet poteſtatem figulus luti, ex eadem maſſa facere aliud uas in honorem, aliud; quidẽ in contumeliam? aut culpari poteſt iuſtitia in uaſis iræ, quæ iuſtè pro meritis aptauit in interitũ: uel miſericordia in uaſis miſericordiæ, quæ ſine ullis meritis ſolo gratiæ dono præparauit in gloriam? Quibus ipſam quoque præparari uoluntatem à Domino, Scriptura teſte, docuimus. Quæ ſi non à Deo datur, ſed in homine inuenit, falſum eſt; quòd

Reſpondetur

1. In Deo nõ eſt perſonarum reſpectus.

2. Non ſequitur Deus non omnibus: ergò nemini dõnat fidem.

Rom. 9.

ea in Scriptura præparari dicit à Domino. Omnis aũt Scriptura diuinitùs inspirata, cuncta quæ dicit uera dicit: quia ex
Psal. 11. ueritate sunt uniuersa, quę dicit: *Eloquia enim Domini, eloquia casta.*

Deus ergo qui uolũtatem præparat, ipse donat. Quam si Deus per suam gratiam homini non dederit, nunquam potest homo in Deum uelle credere: quia ipsam uoluntatem gratia non inuenit, sed operatur in homine.

CAPVT XXII.

Quòd credendi facultas humanæ possit inesse naturæ: quia Deus potest eam sanare.

In naturám humanã cadit fides & infidelitás.

CVm autem dicimus neminẽ posse in Deum credere, nisi per gratiam Dei cor illuminetur ut credat, non credendi posibilitatem humanæ naturæ omnino inesse nõ posse dicimus, sed ut habeat ipsum posse, unde debet sperare ac poscere, demõstramus. Nam utique naturaliter homini, cùm cœperit in Dei Filium credere, si posse credere in conditione primi hominis datum non esset,

esset, nunquam peccatum de infidelitate contraheret, necq; ulli naturę credendi facultas insita est, quam rationalem non fecit Deus. *Nunquid* enim *de bobus cura est Deo?* In quibus nec punitur impietas, nec pietas coronatur. De hominibus autem omnibus curam esse Deo cœlestibus eloquijs edocemur. Naturæ igitur humanæ competit fides, cuius tantam curam Creator habere dignatur, ut etiam capillos capitis nostri numeratos ueritas dicat, ut scilicet dum se tantùm à Deo diligi humana natura cognoscit, diligentem se Deum diligat, eiq; per fidem puri cordis inhæreat, cui ad beatitudinem fides est uia, cui est infidelitas magna miseria: & ideo dignè punitur, cùm in Dei Filium non credit: quia uitium eius est, eius infidelitas: sicut uirtus est fides, non qualis in dæmonibus inuenitur, sed qualem Deus sanctis suis donat, quos ex impietate iustificat. 1.Cor.9.

Ipsa est fides, quæ per charitatem operatur. Nam & dæmones credunt & cõtremiscunt, sed non diligunt eum, à quo per Gal.5. Iac.2.

Quomodo homo verã fidem amiserit.

per superbiam recesserunt. In quam superbiam: quia primus homo Diabolica est persuasione deiectus, in quo perdidit humilitatem; perdidit fidem: perdēs autem fidem, perdidit diuinam protectionem. Scriptum est enim: *Qui non credit Deo, à Deo non protegitur*. Exinde cœpit superbire terra & cinis: quia *in vita sua proiecit intima sua*.

Eccli. 20.

Ad ipsa intima ut homines redeant, diuinus non desinit sermo clamare, dicens: *Redite præuaricatores ad cor verum: quia illi caro sunt spiritus vadens & non rediens*, nec unquam redire uelle potest ouis errans, nisi fuerit boni pastoris, inquisitione præuenta, & humeris reportata: Propterea pastor bonus uenit quęrere & saluam facere ouem perditã, quæ pastorem suum quęrere non potest, priusquàm ab eo quæratur, sed à quærente præuenitur, ut quærat: Pastor autem eam frustra quæreret, si quærere ipsa pastorem quæsita non posset. Sed hic ei quærentis pastoris bonitas donat, ut etiam ipsa quærendi pastoris habeat uolunta-

Esa. 46.

Psal. 78.

Homo est ouicula errans.

Luc. 15.

luntatem. Quæritur autem ut quærat, "
quando illuminatur ut credat. "

Hoc igitur in homine diuinitùs agitur, cui fidem Deus infundit, ut gratiæ dono uirtutem credendi natura recipiat quam amisit, & quod non poterat uitiata per culpam, incipiat poscere formata per gratiam, ac sic operante illo medico, qui non est opus sanis, sed malè habentibus, infirmitas expellatur, natura sanetur. Quam sanitatem poscebat qui dicebat: *Ego dixi Domine, miserere mei, sana animam meam: quia peccaui.* Nullus autem sanctorum sanitatem posceret, si humana natura sana esset. Et frustra sanitatem quisque poscere, si sanari humana natura non posset. Natura igitur humana sanari potest: sed illius gratia, sanitatis accipit donum, ex quo creationis sumpsit initium. Nam si homo naturaliter sanari nullatenus posset, ad sanandum eum cœlestis medicus nō uenisset. Rursus si se ipse sanare posset, cœlesti medico non egeret. Sanatur enim per fidem, quam si ex seipso a-

Gratiæ donum sanitatem restituit, quam ex se non habet homo, habere tamen potest.

Luc. 5.

Psal. 41.

liquis habere posset, Deus eam homini non donaret: donat autem quoniam *alteri datur fides in eodem spiritu*, sicut Apostolus dicit: *Deus* ergo *vnicuique diuisit mensuram fidei*.

1. Cor. 12.
Rom. 12.

CAPVT XXIII.

Quòd posit homo naturaliter credere, licet ei diuinitùs donetur vt credat.

NOn ergo propterea non potest homo naturaliter credere: quia diuinitùs ei donatur ut credat, imò in hoc maximè ad habendum fidem homo creatus agnoscitur: quia per fidem humana natura ex uetustate renouatur. Sic enim est omnis uoluntario peccato primi hominis uitiatus, ut Deus uoluntate sua bonam uoluntatem hominis posit sanare, si uelit. *Creauit enim*, sicut scriptum est, *vt essent omnia, & sanabiles fecit nationes orbis terrarum*. Veruntamen ne homini ex seipso putaretur esse sanitatis initium, mox sermo diuinus adiecit: *Et non est in illis medicamentum*

Natura hominis ita est vitiata, vt tamen à Deo posit sanari.
Sap. 1.
Ibid.

mentum exterminij. Quamuis igitur homini primo Diabolus abstulerit fidem, Deo tamen reddendi quod dederat nō abstulit potestatem, nec humanam naturam usque adeò Diabolus uitiare potuit, ut deinceps non posset quod amiserat, Deo rursum largiente recipere. Omnipotens enim qui potuit humanam formare, potest etiam infirmam sanando per gratiam reformare & custodire naturam. A quo ipsa natura sicut in primo homine fidem ad salutem acceperat, ita nunc in singulis munere diuinæ bonitatis accepit, quos idem Deus prædestinatos, & per fidem saluãdos ex parentibus creat.

Potest igitur Deo donante homo in Deum naturaliter credere: contra naturam quippe hominis est quòd in Deum non credit: quia incredulitatem non habet ex creatione Dei, sed ex uoluntaria præuaricatione mandati: per quam sanitate priuatus & lumine, hoc per seipsum potest, ut cæcitatem atque infirmitatem suam proprio arbitrio augere *Contra naturam hominis est incredulitas, cuius remotio non homini, sed Deo possibilis.*

 possit,

poſsit, remouere non poſsit. Cuius tamen illuminatio atque ſanatio intãtum eſt omnipotenti creatori poſsibilis, ut ad gloriam nominis eius ipſo donante, non ſolùm poſsit infidelis credere, uerumetiam ad immortalem atque incorruptibilem uitæ ſtatum, per fidei gratiam peruenire. Vbi accipiens gratiam pro gratia peccare omnino non poſsit, & poſsit fœliciter uidere quod credidit. Vnde uox illa fidei reſultat in Pſalmis:
Pſal. 27. *Credo videre bona Domini in terra viuentium.* „ Deus igitur licet non ad hoc humanam naturam fecerit, ut uitiaretur per culpam: ipſe tamen omnipotenti bonitate poteſt uitiatam ſatiare per gratiam. Arbitrium itaque hominis ſanat Deus atque illuminat, ut homo in Deum naturaliter credat: ita fit ut homo fidem habere poſsit, ſed eam niſi ex dono Dei habere non poſsit.

CAPVT XXIIII.

Quòd non omnia quæ habere poſſumus, ex nobis habere poſſimus.

Non

NOn enim consequens est, ut omnia quæ habere nos possumus, etiam ex nobis habere possimus. Nam & caro nostra sic à Deo facta est, ut possit naturaliter uiuere, hoc ipsum tamen non ex se, sed ex anima possit habere quod uiuit: uita igitur ut inesse carni naturaliter incipiat, manifestum est eam ab anima ministrari. Ac sic quidem potest caro nostra uiuere, sed si in ea sit anima, quæ uita eius est.

Veruntamen in anima nostra & carne, non paruum nobis gratiæ Dei monstratur exemplum: Nam sicut ex seipsa caro uitam non habet, sed ab anima accipit: sic homo non potest habere fidem, nisi munere Dei donantis acceperit. Sicut etiam ut caro uiuat, solius opus est animæ: ita quoquè ut homo credat, solius opus est gratiæ. Et sicut caro nihil operari potest, si eam uiuificare anima desinat: sic homo nihil bene uelle potest, si ab eo gratiæ iuuamen abcedat. Vt ergo caro & uiuere possit & operari, præsentis animæ uiuificatione *Gratiæ Dei exemplum in anima & carne nostra.*

fulcitur, homo quoque ut bonum uelit aut faciat, gratię uiuificantis subsidio iugiter adiuuatur.

Dissimilitudo in praecedente similitudine. Intereſt autem ut caro noſtra, quantum uiuificatur ab anima, non ſolùm benè, ſed etiam malè operandi accipiat facultatem. Cùm autem nos gratia uiuificat, non niſi ad benè uolendum, nec niſi ad benè operandum nobis adiutorium ſubminiſtrat.

Homo quatenus ad fidem idoneus. Agnoſcat igitur homo in eo ſe naturaliter credere poſſe, in quo naturam habet credulitatis ac fidei capacem, quod animalibus irrationabilibus datum diuinitùs non eſt: non tamen ut ſe putet ad habendum fidem uſque adeò eſſe idoneum, ut ex uoluntate ſua conſtare fidei arbitretur exordium. Volens enim homo habet fidem, ſed Deus qui fidem donat, ipſe hominis mutat & dirigit uoluntatem. *Dominus dabit ſuauitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum.* *Pſal. 85.*

CA-

CAPVT XXV.

Quòd gentes quæ naturaliter ea quæ legis sunt, faciunt, non nisi Christiani fideles intelligendi sint.

DE his igitur in quibus natura diuino sanatur munere, ut in Deũ naturaliter credant, quiq; gratis per fidem iustificati etiam ad bene operandum auxilium gratię subsequentis accipiunt, Apostolus dicit: *Cùm enim gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt, eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.* Quẽ quidem Apostoli locum, hi qui gratiæ contradicunt, gentibus incredulis aßignare contendũt, ex hoc uidelicet quod etiam illi, qui fidei gratiam non recipiunt, illa quæ ad honestatem morum & humanę societatis uinculum pertinent, naturali quadã lege sic seruant, ut etiam eos, qui illa uiolare contendunt, iudiciorũ æquitate ac seueritate coërceant. Vbi minus attendunt, Apostolico suam sententiam prorsus eneruari sermone, quẽ superiùs

Rom. 2. *Locus Pauli de gentibus naturaliter quæ legis sunt facientibus, &c. non de incredulis, sed de fidelibus intelligi debet.*

Ibid. præmisit, dicens: *Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur*. Iustificari autem sine fide neminem posse, idem beatus Apo-
Gal. 2. stolus ostendit, dicens: *Scientes autem, quòd non iustificabitur homo ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi, & nos in Christo Iesu credimus, vt iustificemur ex fide Iesu Christi, & non ex operibus legis. Propter quod ex operibus legis non iustificabitur omnis caro*. Et paulò post fidei gratiam commendans, per quam uera
Ibid. confertur unicuiq; iustitia, sic ait: *Non abÿcio gratiam Dei. Si enim per legem iustitia, ergo gratis Christus mortuus est*. Itē, cùm Patrem nostrum Abraham, nō ex operibus legis, sed ex fide iustificatum
Galat. 3. assereret, dicens: *Sicut Abraham credidit Deo, & reputatum est illi ad iustitiam*, ut etiam gentes, quas semini Abrahę diuinus sermo promisit, ex fide iustificari Paulus ostenderet secutus adiunxit: *Co-*
Ibid. *gnoscite ergo: quia qui ex fide sunt, hi sunt filÿ Abrahæ. Prouidens autem Scriptura: quia ex fide iustificantur gentes, Deus præ-*

nun-

nunciauit Abrahæ, dicens: *Quia benedicentur in te omnes gentes. Igitur qui ex fide sunt, benedicētur cum fideli Abraham.* Hunc autem patrem nostrum Abrahã, non ex operibus, sed ex fide iustificatũ esse, confirmans alio loco sic loquitur: *Si enim Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriã, sed non apud Deum. Quid enim Scriptura dicit: Credit Abrahã Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. Ei autem qui operatur, merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum. Ei verò qui non operatur, credenti autem in eum qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam.* Cùm ergo Apostolus de his gentibus loquens, quæ naturaliter ea, quæ legis sunt, facientes ostendunt, opus legis scriptum in cordibus suis, de his se loqui testetur, qui iustificantur: Abraham autem patrem nostrum non ex operibus, sed ex fide iustificatum esse cõmemoret: quis audeat illas in hoc loco gentes accipere, quas constat non esse iustificatas ex fide, cùm ipse testetur Apostolus: *quia*

Rom. 4.

Rom. 14

 omne

Heb. 11. *omne quod non est ex fide, peccatum est.* Et, *Quia sine fide impossibile est placere.* Quòd si Abraham ex fide iustificatum esse constat, cuius seminis gentes Apostolus promissas esse cõmemorat: quisquis asserit gentes, non ex fide, sed ex operibus iustificari posse, quid superest, nisi ut eas neget ad Abrahæ semen, cui gentes promissæ sunt, pertinere? cùm Rom. 4. Abraham (sicut Apostolus dicit) *Pater sit omnium credentium per præputium, vt reputetur & illis ad iustitiam.* Quoniam Rom. 3. igitur *vnus Deus, qui iustificat circuncisionem ex fide, & præputium per fidem,* Apostolus autem de his qui iustificantur se loqui monstrauit, cùm de gentibus naturaliter quæ legis sunt, facientibus, & opus legis in suo corde habentibus disputaret: ille sensus est ueritati conueniens, quòd gentes in eodem loco accipiuntur, quas Deus fidei dono iustificat, & in eo, quod eis gratiam fidei tribuit, opus legis suæ in eorum cordibus donata iustificatione conscripsit, ut sine Testamenti ueteris litera, per noui Te-

ſtamenti gratiam natura renouata, opus legis ad hoc ſcriptum habeat, ut ad populum Dei non operum præcedentium merito, ſed iuſtificationis gratuito munere incipiat pertinere. Quod nobis ore prophetico cœleſtis dignata eſt uulgare doctrina, ſancto Ieremia dicente: *Ecce dies venient, dicit Dominus, & conſummabo ſuper domum Iſraël, & ſuper domum Iuda Teſtamentum nouum.* Et paulò pòſt: *Quia hoc eſt Teſtamentum, quod diſponam domui Iſraël: Poſt dies illos, dicit Dominus, dabo leges meas in corda eorum, & in ſenſibus eorum ſuperſcribam eas, & ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum, & non docebit vnuſquiſque proximum ſuum, & vnuſquiſque fratrem ſuum dicens, cognoſce Deum: quoniam omnes ſcient, me à maiore vſque ad minorem eorum: quia propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum illorum iam non memorabor.* Iere. 31.

CAPVT XXVI.

Quòd cognitio Dei ſine dilectione nihil proſit.

Hæc

Cognitio Dei duplex: alia sine fide, quæ reddit inexcusabiles: alia cum fide quæ reddit inaccusabiles.

Rom. 1.

Rom. 8.

HAec autem sciētia, in qua sic Deus agnoscitur, ut peccatorū remissio diuinæ propitiationis munere tribuat̃, longè aliena est ab illa cognitione illorū, qua *cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerūt, sed euanuerūt in cogitationibus suis, qui dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt, & mutauerunt gloriā incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis*. Isti enim quia sine gratia fidei, quæ per charitatem operatur, Deum cognouerunt, ipsa sua cognitione inexcusabiles facti sunt. Hi uerò qui Deum perceptione fidei cognoscunt, inaccusabiles fiunt. Quis enim accusabit electos Dei? Nemo utiq;, diligentibus enim eis Deū, omnia cooperātur in bonū. Et ideo eos nullus accusat: quia Deus eos secūdùm propositum præscitos & prædestinatos uocatosq; iustificat atque glorificat, ut gloriatione legis factorū, qua se homo superbus extollit, exclusa, per legem fidei, quæ per charitatē operatur, qui gloriatur, in Domino glorietur.

Quòd

Quòd si quibusdam cognoscentibus Deum, nec tamē sicut Deū glorificantibus, cognitio illa nihil profuit ad salutē: quomodo hi potuerunt iusti esse apud Deum, qui sic in suis moribus atq; operibus bonitatis aliquid seruant, ut hoc ad finē Christianę fidei charitatisq; non referant? Quibus aliqua quidem bona, quæ ad societatis humanæ pertinent æquitatem, inesse possunt: sed quia non charitate Dei fiūt, prodesse nō possunt. Etenim fieri potest, ut quisquam Deum esse credat, qui Deum non diligit: ut autem quisquā Deum diligat, qui in Deū non credit, fieri nullatenus potest: quia potest unusquisque credere aliquid esse, quod non diligit: diligere uerò nemo potest, quod esse non credit. Apostolus autem dicit, sine charitate fidem, cæteraq; bona opera cuiquam prodesse non posse, dicit enim: *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, & si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & tradidero corpus meum vt ardeam, charitatem autem non habeam,*

Iusti apud Deum non sunt, qui opera sua quāuis bona nō referunt ad finem fidei & charitatis.

1. Cor. 13.

nihil

nihil mihi prodest. Si ergo opera cum fide, sine charitate prodesse non possunt, quomodo proderunt opera quæ in fide non fiunt? Vnde non immeritò beatus
2.Thes.1. Apostolus pro Thessalonicensibus orat, ut eis *Deus impleat omnem voluntatem bonitatis, & opus fidei in virtute*. Nã & in eodem loco, ubi de gentibus legem naturaliter facientibus loquebatur, antè præmiserat, dicens: *Gloria autem & honor & pax omni operanti, bonũ, Iudæo primum & Græco*. Quomodo autem infidelibus potest esse gloria, quæ
Rom.2.
Rom.8. non datᷓ, nisi iustificatis? *Quos enim Deus*
Rom.3. *iustificauit, illos & glorificauit. Iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi super omnes qui credũt*. At quis honor incredulis dabitur, cùm hunc nõ nisi credentibus tribui, beatus Petrus edoceat, dicens? *Vo-*
1.Pet.2. *bis igitur honor credentibus*. Vel quomodo erit pax ei, qui nõ est redemptus sanguine Iesu Christi, in quo Deus pacificauit, siue quæ in terris sunt, siue quæ in
Ephes.2. cœlis? *Ipse est enim pax nostra, qui fecit vtraq; vnum*. Hæc autem pax sine charitate

ritate & fide Christi non potest possideri: quia *iustificati ex fide, pacem habemus ad Deum per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem & accessum habemus per fidem in gratia ista, in qua stamus & gloriamur, in spe gloriæ filiorũ Dei.* Quos spes ideo non confundit: *quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Accepimus enim *spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater.* Rom. 5. Rom. 8.

Vt igitur homines Filij Dei fiant, Filium Dei unicum per fidem recipiunt, & ipso donante hanc accipiunt à Domino potestatem, ut & in eum credant, & ad numerum filiorum Dei pertineant: *Quotquot enim receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius.* In eorum cordibus dat legem suam, & in sensibus eorum scribit eam: id est, legem fidei, quæ inspirata iustificat, nõ legem factorum, quæ etiam obseruatores suos sine dubitatione condemnat.

Filij Dei fieri qui cupiunt, recipiãt Filium Dei per fidem.

Ioan. 1.

CA-

CAPVT XXVII.

Quòd lex factorum, (quæ naturaliter esse potest in cordibus infidelium) ab impietate non liberat.

Lex factorum non iustificat.

Gal. 2.

NAm illa quæ lex factorum est, quę hominem iustificare non potest, quia *ex operibus legis non iustificabitur omnis caro*, potest quidem naturaliter esse & in corde gentilium, & in corde fidelium Iudæorum: Quæ tamē sine fide Christi nullatenus iustificat sectatores suos, sed eos tenet uinculo impietatis obstrictos. Hæc utiq; fuit in corde Pauli, quando fuit incredulus, secūdùm æmulationem persequēs Ecclesiā Dei, & secundùm iustitiam, quæ in lege est, conuersatus sine querela. Quam tamen quia ex Deo nō habuit, ideo dicit: *Quæ mihi fuerunt lucra; hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta: veruntamē existimo omnia detrimentum esse propter eminentē scientiam Iesu Christi Domini, propter quem omnia detrimentum fecit, & arbitror vt stercora, vt Christum lucrifaciam, & inueniar in illo non habens meā iusti-*

Philip. 3.

iustitiam, quæ ex lege est, sed illam, quæ est ex fide Christi, quæ ex Deo iustitia ex fide ad cognoscendum illum.

Quis non his uerbis Apostolicis uideat, iustitiam quæ ex lege est, esse ex homine: iustitiam uerò quæ ex fide Christi est, non esse nisi ex Deo? Illa est igitur iustitia, per quã impius erigitur, ut cadat in pœnam: ista autẽ est per quã iustificatus humiliatur, ut exaltetur ad gloriam. Ideo cùm in illa, quæ ex lege est, sine querela conuersaretur Apostolus, fuisse se impium non negat, dicens: *Vt quid enim Christus cùm adhuc infirmi essemus secundum tempus, pro impijs mortuus est?* Inimicum quoq; Dei fuisse ueraciter confitetur, dicens: *Si enim cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo, per mortem Filij eius, multò magis reconciliati, salui erimus in vita ipsius ab ira per ipsum.* Quid ergo ꝓdesset Paulo sine cognitione Christi, illam quæ in lege factorum est, seruare iustitiam: cùm ipse saluator noster Iudæis dicat: *Nisi cognoueritis, quia ego sum, moriemini in peccatis vestris.*

Iustitia alia legis: alia fidei.

Rom. 5.

Ibid.

Ioañ. 8.

 Ergo

Lex fidei in cordib. scripta, sine qua nemo saluatur.

Ergo quia iustitiam, quæ est ex fide Christi, ad cognoscendum illum esse testatur Apostolus, manifestum est legem fidei esse, quam se Deus in corde suorum scripturum esse promisit. Quod eiusdem tenor euidenter ostendit. Ibi enim dicit Deus: *Et non docebit vnusquisque proximum suum, & vnusquisque fratrem suum dicens: Cognosce Dominum: quia omnes scient me à minore vsque ad maiorem eorum.* Hæc est lex, quam Deus scribit in cordibus eorum omnium, non per conditionem naturæ, sed per largitatem gratiæ: non per liberum arbitrium hominis, sed per ministerium Euangelicæ prædicationis: non in lapide per literam ueteris Testamenti, sed in corde per Spiritum Dei uiui. Quod Beatus Paulus euidenter insinuat dicens: *Epistola estis Christi, ministrata à nobis, & scripta non atramento, sed Spiritu Dei viui, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus.* Hoc ergo Deus scribit in cordibus hominum per Spiritum suum, quod exinde

Ier. 31.

2. Cor. 3.

de Diaboli deleuit inuidia, per quam mors intrauit in orbem terrarum. Scribit itaque legem fidei per quam iustificat gentes Deus, ut dando gratiam renouet naturam. Charitatem quippe, quæ *plenitudo est legis*, ad hoc per Spiritum suum diffundit, ut faciat impleri quod præcipit: & illuminationis gratiam per Spiritum fidei propterea largitur, ut quod Deo placitum est, fides per charitatem operetur. Quæ quandiu in homine non est, quicquid sine lege fidei per legem naturalem scriptum remansit in homine, operantem nullatenus saluat: quia neminem Deus sine fide iustificat, nec potest operanti salutem acquirere: *quia sine fide impossibile est placere Deo.* Nemo ergo naturali legi conetur assignare legem, quam Deus non condendo naturam, sed donando gratiam in corde gentium scribi. Rom. 13. Heb. 11.

Hæc est enim lex, non qua homo societatis humanę uinculum etiã sinę fide custodit: sed per quam credendo Deum *Lex fidei quæ sit.*

 cogno-

cognoſcit & diligit, non per quam ſibi etiam bona opera uel ipſam fidem quiſquam ſuperbus uendicat, ſed qua Deo in ſe miſericorditer operante, tàm fidem ſuam, quàm bona opera ſubiectus aſsignat. Hæc enim cor hominis ita componit & dirigit, ut cũ homo præcepta Dei audit, id donari ſibi quod præcipitur poſcat, & cùm in fide operatur, gratia Dei ſe iugiter adiuuari non ambigat.

CAPVT XXVIII.

Quòd Deus non faciat omnes velle credere, pertinet ad ſecreta eius iudicia.

Altiora nõbis non quærenda.

QVod autem interrogãt iſti de Deo dicentes, cur ergo nõ fecit omnes homines uelle credere, cùm non ſit perſonarũ acceptio apud Deum? ſcire debent, hoc in illis altiorib. poſitum, à quibus ſancta Scriptura humanę curioſitatis arcet audaciam, dicens: *Altiora te ne quæſieris, fortiora te ne ſcrutatus fueris, ſed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita ſemper.*

Eccl. 3.

Hæc

Hæc altiora ille, qui uſq; in tertium cœlũ raptus eſt, eò magis territus quò magis illuminatus expauit. Vnde magis clamare nõ ceſſat: *O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius. Quis enim cognouit ſenſum Domini? aut quis conſiliarius eius fuit? aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipſo, & per ipſum; & in ipſo ſunt omnia, ipſi gloria in ſecula.* Rom. 11.

Sat eſt ergo nobis, & in his qui ſaluantur, gratuitam Dei miſericordiam & in his qui condemnantur ueram Dei iuſtitiam ſine dubitatione credere, & corde contrito atq; humiliato miſericordiam Domino iudiciumq; cantare, qui & in uaſis iræ atq; aptatis in interitum oſtendit, iuſtitiæ ſuæ nullam iniquitatem placere, & demõſtrat in uaſis miſericordiæ: quia poteſt eius bonitas omnia, quibus uoluerit, peccata dimittere.

In ſaluandis ſuam miſericordiã: in cõdemnandis ſuam iuſtitiã declarat Deus.

CAPVT XXIX.

Quòd fallantur qui existimant diuinam voluntatem, æqualiter se habere erga saluandos & damnandos.

1. Tim. 2. ILlud uerò Apostolicum, ubi dicitur de Deo: *Qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire:* non, sicut oportet, intelligunt, qui hanc Dei uoluntatem sicut in uasis misericordiæ, sic & in uasis iræ accipiendam existimant, minus considerantes ueracißimam Scripturæ sententiam, quę diuinæ commendans omnipotentiam uoluntatis. *Omnia,* inquit, *quæcunque voluit fecit in cælo, & in terra, in mari, & in omnibus abyßis.* Ipsi Deo rursus dicit: *Subest enim tibi cùm voles posse.* Quomodo igitur omnia quæ uult facit, si uolens hominem saluum fieri, cuius salus non nisi à bona incipit uoluntate, ipsum uelle non in homine Deus inchoat, sed ut ab homine nascatur, expectat?

Volũtas Dei quia omnipotens, ideo se non æqualiter habet erga saluãdos & damnandos.

Ps. 135.

Sapien. 7.

O quam

O quàm pessimum nephas asseritur, dum gratiæ Dei contumaciter repugnatur, & homines opere Dei se in bonum mutari negāt, qui homines nō essent, nisi bonitate Dei operantis existerēt. Itâne uerò rerū ordo credi putariue permittitur, ut Deus qui creator est hominis, ualeat hominē facere, nō mutare, & q nullius eget adiutorio, ut hominē faciat, operari tamen quod uult in hominis uoluntate nō possit, priusquā in homine ipsum uelle repererit, & ut sit homo, habeat ex Deo, ut aūt melior sit, habeat ex se ipso, ac sic uoluntatē bonitatis, qua in Deum creditur, non diuina bonitas, sed humana prauitas operetur. Prauus est enim omnis homo priusquā in Deū credat, & quia scriptum est: *Erunt praua in directa*, ex prauo fit homo rectus, ex infideli fidelis efficitur. Igitur si Deus prauę uoluntati bonam non tribuit, sed ut ex se ipsa bona fiat, expectat: potest ergo praua uoluntas ex se bonitatem gignere, ita ut cùm ex Deo habeat ut sit, nō nisi ex se habere possit, ut bona sit, ac sic o-

Deus qui hominem fecit, potest eundē mutare.

Mala uoluntas bonitatē ex se gignere non potest.
Esa. 40.

omnipotens & bonus de uoluntatib. hominum malis, bonum posit operari cũ uelit: ut autem ipsæ uoluntates bonæ sint, uelit quidẽ, facere antè nullatenus posit.

Exemplum Pauli.

Quis enim nesciat malæ uoluntatis fuisse Paulum, cùm persequeretur Ecclesiam Dei, & expugnaret illam? Cuius tamen malitia bene usus est Deus, quando persequente Paulo Beatus Stephanus est martyrio coronatus. Ergóne potuit Deus Stephanũ coronare per Pauli persecutoris infidelitatem, & persecutorem Paulum Deus conuertere nequiuit ad fidem? Ergóne Paulus prior uoluntatem suam Deo dedit, & sic Deus fidem Paulo uolenti retribuit? Et ubi est, quod ipse dicit: *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Quod utique non dixisset, si à se uoluntatem Deo datam, & à Deo sibi fidem cognosceret retributam.

Rom. 11.

Quos igitur uult saluos fieri Deus, eorũ uoluntates mutat.

Hanc itaque amentiam, & à fidelibus suis arceat & ab infidelibus auferat Deus. Ille enim tam prophana cogitatione pollui-

polluitur, cui gratia uel obdurato non datur, uel auferť ingrato. Deus enim cõuertens uiuificat, quos uult saluos fieri, Deus uoluntates hominum mutat, ut esse bonæ incipiant. Ideo scriptum est: *Et dixi, nunc cœpi, hæc est mutatio dexteræ excelsi.* Ps. 77. Prophetæ sensus aperto sermone se præbuit agnoscendum, qui utiq; non postea quã cœpit, sed hoc ipsum quod cœpit mutationem dexteræ excelsi non tacuit. Proinde hi qui uoluntatem Dei qua omnes homines uult saluos fieri, æqualem circa redimendos & damnandos existimant, cùm interrogati fuerint cur uelit Deus omnes homines saluos fieri, nec tamen omnes salui fiant, quid respondebunt?

CAPVT XXX.

Quòd Deus bonam hominis uoluntatem, non expectet, sed tribuat.

Deum non expectare hominis uoluntatẽ probatur ab infantium saluatione & dãnatione.

AN illud: quod uestra eos dicere testatur Epistola: id est, quia Deus expectat hominis uoluntatem, ut æ-

quum sit in uolentibus pręmium, in nolentibus autem iusta damnatio. Sed ut prolixitatē uitantes omittamus alia, quę possunt pro ueritate fidei, huic prauæ sententiæ replicari, interim, testimonio confundantur atque conuincantur non loquentium hominum, sed tacentium paruulorum, in quibus ad euacuādam sapientiā uerbi, multùm resplendet uirtus crucis Christi, quæ gratis in omnib. hominibus, propria utentibus uoluntate, eandē salutem à se ostēdit fieri, quàm in infantibus nullam uoluntatem habētibus dignatur operari. In eis namq; nec bona uoluntas est, ut æquum sit in uolentibus præmium: nec mala, ut sit in nolentibus iusta damnatio. Si ergo ut ad saluandos homines, sicut isti uolunt, nō excitat, neque mutat, sed expectat hominum uoluntates: quomodo infantibus qui baptizantur, & in eadē infantia moriuntur donat æternam salutē, quorum bonam nec expectat, nec inuenit uoluntatem? Item alios, quomodo sine baptismate mortuos, æternis cruciatibus

Paruulorū, quorum nulla est uoluntas, alij saluantur, alij damnantur.

bus damnat, cùm in eis nullam culpam malæ uoluntatis inueniat?

Nónne istos inimicos gratię Dei, nec defensores humani, sed deceptores arbitrij, ad hoc sua peruersitas cogit: ut Deũ putent iniquũ in obitu omniũ paruulorũ, ubi nulla interueniẽte uel bonitate, uel malitia uolũtatis, alios uident potiri, regno, alios interminabili deputatos incendio? Proinde si ita est, ut ipsi sentiunt nullus debet paruulus mori priusquam ad ætatẽ perueniat, in qua posśit uel bonam uoluntatem habere, uel malam, ut Deus nec baptizatos paruulos sine bona uoluntate saluet, neq; non baptizatos sine mala uoluntate condemnet. Si enim Dei bonitas salutem non incipit hominis operari, nisi bonam eius inuenerit uoluntatem: iniquũ erit eum damnari uel redimi, q bene nec uelle nec nolle potuerit. Sed *non est iniquitas apud Deum*, cuius *vniuersæ viæ misericordia & veritas*. Igitur quia Deum iustum bonumquе, catholica ueraciter credit & confitetur Ecclesia: certisśimè

Ergo aut Deus iniustus, quod absurdum.

2. Par. 19. Psal. 25.

Aut Deus nõ expectat uoluntatem hominis saluandi uel damnandi.

creden-

credendum est, & fiducialiter confitendum, unam eandemq; Dei gratiam in maioribus saluandis operari bonæ uoluntatis initium, quę in paruulis sine uoluntate operatus saluationis effectum. Ipsa gratia infantes neq; uolentes neque nolentes redimit, quæ maiores illuminando, uolentes ex nolentibus facit. Et hoc in paruulis salutis opus, sine ꝓpriæ uoluntatis assensu gratia Dei operante perficitur, quod bonæ uoluntatis exordio diuinitùs dato in maioribus inchoatur, ut opere solius gratiæ uoluntas, quę mala fuit, bona fiat, & deinceps gratiæ secum operanti seruitiũ obedientiæ cooperatricis exhibeat.

Deus nõ crudelis in infantibus, nec iniustus in adultis damnandis.

Sic autem Deus crudelis nõ est in infantibus damnandis, quibus baptismatis beneficium non tribuit: sicut iniustus non est in maioribus, cũ bonam nõ donat uoluntatem. Et sicut illos uoluntas sua mala, sic istos iure puniri facit origo damnata. Deus autem in hominib. nec maculam uitiatæ originis, nec malitiam condidit proprię uoluntatis. In hominibus

bus igitur quos ſaluat, uolũtatem bonã non inuenit, ſed ſicut ætatum exigit diuerſitas, aut in maioribus bonam uoluntatem gratis facit quam inuenit malam: aut ſine uolũtate hominis uel bona uel mala, perficit in paruulis gratiam Sacramenti ille, cuius nemo poteſt bonæ reſiſtere uoluntati.

CAPVT XXXI.

Quos omnes homines velit Deus ſaluos fieri.

QVocirca illos omnes quos Deus uult ſaluos fieri, ſic intelligere debemus, ut nec aliquem putemus ſaluari poſſe niſi uolẽte Deo: nec exiſtimemus uoluntatem omnipotentis Dei aut in aliquo non impleri; aut aliquatenus impediri. Omnes enim quos Deus uult ſaluos fieri, ſine dubitatione ſaluantur, nec poſſunt ſaluari, niſi quos Deus uult ſaluos fieri, nec eſt quiſquam quem Deus ſaluari uelit, & non ſaluetur: quia Deus noſter omnia, quæcunq; uoluit, fecit. Ipſi omnes utiq; ſalui fiunt, quos om̃nes uult

Omnes, quos uult Deus ſaluos fieri, ſaluantur.

uult saluos fieri: quia hæc salus non illis ex humana uolũtate nascitur, sed ex Dei bona uoluntate præstatur.

Vox Omnis denotat non singula generum, sed genera singulorum.

Veruntamen in his omnibus hominibus, quos Deus uult saluos facere, nõ totum omnino genus significatur hominum, sed omnium uniuersitas saluandorum. Ideo autem omnes dicti sunt: quia ex omnibus hominibus omnes istos diuina bonitas saluat: id est, ex omni gente, conditione, ætate, ex omni lingua, ex omni prouincia. In his omnibus ille sermo nostri Redemptoris impletur,

Ioan. 12.

quo ait: *Cũ exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum*. Quod non ideo dixit: quia omnes omnino trahit, sed quia nemo saluus fit, nisi quem ipse traxerit.

Ioan. 6.

Nam & alibi dicit: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum*. Item alibi: *Omne quod dedit mihi Pater, ad me veniet*. Hi ergo sunt omnes quos uult Deus saluos fieri, & ad agnitionem ueritatis uenire.

Familiaris est ista signi-

Est autẽ familiare diuinis eloquijs, ut omnes nõnunquam dicant, nec tamen omne

omne humanũ genus, in ipsis omnibus semper intelligi debere commoneāt, sicut est illud, quod dicit Dominus p Prophetam: *In nouißimis diebus effundam de Spiritu meo super omnem carnem.* Quod in centum uiginti hominibus, in quos Spiritus sanctus linguis igneis uenit factũ, Beatus Petrus ostendit. Sic ergo hic omnem carnem, omnes omnino putauerimus homines intelligi, incipiet (qđ absit) mẽdax estimari diuinus sermo. Est autem Deus uerax, & *eloquia Domini eloquia casta.* Super omnem igitur carnẽ sicut se Deus effusurũ de Spiritu suo repromisit, sic fecit, sic facit, sic usq; in finẽ seculi facturus est. Prorsus super omnẽ carnem: id est, super omnes homines effundit de Spiritu suo, scilicet super illos homines, quos uult saluos fieri. Et ut q sint omnes isti, pleniùs nouerimus, eiusdem B. Petri sermonib. auscultemus, qui illam predicationem suam sancto Spiritu repletus, hac exhortatione conclusit: *Pænitentiam* (inquit) *agite, & baptizetur vnusquisque vestrûm in nomine Iesu Christi,*

Sa ficatio cris literis.

Iocl. 2.

Acto. 2.

Psal. 12.

Vniuersalis restringitur.

Acto. 2.

Christi, in remißionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritus sancti. Vobis enim est repromißio, & filijs vestris, & omnibus qui longè sunt, quoscunque aduocauerit Dominus Deus noster. Omnes itaque dixit, sed quoscunque Dominus aduocauerit.

Rom. 8. Quos etiam Beatus Paulus, secundũ propositum uocatos insinuat, qui alio
Ibid. 11. quoque loco ait: *Conclusisse Deum omnia in incredulitate, vt omnium misereatur.* Et tamen Deus non ita omnium omnino miseretur, quos in incredulitate conclusit, ut omnibus infidelibus gratiam fidei misericorditer donet, cùm tamen eandem gratiam fidei non infidelibus Deus misericors donet, sed illis proculdubio de quibus ad Moysen dicit: *Miserebor, cui miserebor, et misericordiam præstabo, cuius miserebor.* Gratiam igitur uoluntariæ donationis ostẽdens, sicut Dominus suis dignatus est loqui discipulis: *Vobis datum est nosse mysterium regni cælorum: illis autem non est datum.* Item dicit: *Qui potest capere, capiat:* Sed ut ipsam

Exod. 9. Matth. 13. Matt. 19.

psam capacitatem diuina doceret largitate concedi, alio loco ait: *Non omnes capiunt verbum, sed quibus datum est*. Cap. eodem. Hi sunt ergo omnes quorum Deus miseretur: quia misericordia ipsius præueniuntur, ut credant & gratis salui fiant per fidem. Eorum namque credulitas non ex humana uoluntate sumit initium, sed ipsi uoluntati fides gratuita Dei miserantis largitate donatur.

Hanc omni discretionem, quam fidelis debet intellectus omnino seruare, B. Paulus uno Epistolæ suæ loco sic posuit, ut omnes homines sine aliqua exceptione dicens, statim quosdam omnes homines exceptis alijs intimare. Ait enim: *Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ*. Rom. 5. Nunquidnam quia in omnes homines in condemnationem, & in omnes homines in iustificationem Apostolus dicit, ideo prorsus omnes homines, quos per peccatũ Adæ originaliter constat esse damnatos, simul omnes eosdẽ

credere debemus iustificatos esse p Christum? cũ innumerabiles infidelium mortes obsistant, qui sine gratia iustificationis de hac uita transeũt, & absque sacramento baptismatis, ad sedem mortis, æternaq; supplicia rapiuntur. Restat ergo ut non omnes omnino, quos in cõdemnationem ponit Apostolus, transire ad iustificationis gratiam sentiamus, sed quosdam ex illis omnibus. Omnes istos itaq;, omnes per Adam in cõdemnationem esse filios iræ, & ex eis quosdã per Christum omnes esse filios gratiæ. Illos ergo esse omnes, quos per primum hominem propago peccatrix carnali generatione condemnat: omnes enim terreni sunt, qui terreni hominis imaginem gerunt: & omnes cœlestes, qui ad æternam uitam imaginem hominis cœlestis accipiunt.

Ps. 86. Iterum dicit Propheta: *Omnes gentes quascunq; fecisti, venient, & adorabunt coram te, & glorificabunt nomen tuum in æternum.* Dominus autem suis fidelibus

Matt. 10. dicit. *Eritis odio omnibus gentibus, propter*

nomen

nomen meum. Nunquid ergo contrarijs ſibi repugnat Scriptura diuina ſentẽtijs? Abſit. Sed & illos omnes & iſtos omnes ueraciter dicit: id eſt, & omnes fideles qui nomen Domini in omnibus gentibus glorificant, & omnes incredulos qui per eaſdem omnes gentes, in odio nominis Chriſti fideliumq́; eius, mortifera impietate perdurant.

Tale quiddam eſt etiam in Epiſtola, quam Coloſſenſibus Beatus Apoſtolus ſcribit, ubi dicit: *Quia in Chriſto condita ſunt vniuerſa in cælis et in terra, viſibilia, & inuiſibilia, ſiue throni, ſiue dominationes, ſiue principatus, ſiue poteſtates. Omnia p ipſum, et in ipſo creata ſunt, et ipſe eſt ante omnes, et omnia in ipſo cõſtant.* Et paulò pòſt ait: *Quia in ipſo cõplacuit omnẽ plenitudinẽ inhabitare, et p eũ recõciliari omnia in ipſum. pacificatis per ſanguinẽ crucis eius, ſiue q̃ in terris ſunt, ſiue q̃ in cælis ſunt.* Nũquid Diabolũ & Angelos eius pacificare credemus? Abſit, q enim ſic ſentire uoluerit, bicipitẽ laqueũ gemine impietatis incurret, ut aut Diabolũ & Cap. 1.

Angelos eius per Spiritum creatos esse neget, aut eos reconciliãdos per sanguinem crucis eius affirmet. Veruntamen quisquis harum sententiarum prauitate qualibet inuoluitur, caueat, ne cum ipso Diabolo atq; Angelis eius æternę combustionis punitione damnetur. Vnius enim eiusdemq; impietatis est reus, si qs Diabolũ aut non à Christo creatum, aut reconciliationi Christi credat quandoq; reddendum. Cùm utiq; si eum Christus Dominus non creasset, eius damnabilis à Christo discessio non esset. Et si eum Christus quandoq; saluaturus esset, nõ ore Christi pronunciaretur eius æterna cõbustio. Omnia ergo per Christũ, & in Christo creata sunt, quia nihil est quòd non per Filiũ & in Filio creauerit Pater. Et omnia per ipsum atq; in ipso reconciliantur: quia nullus est hominum qui sine cruce Christi reconciliationis beneficium consequatur.

Omnes igitur ita uult Deus saluos

Ex hac ergo regula quæ cœlestibus inserta monstratur oraculis, sic intelligamus omnes homines quos uult Deus

us saluos fieri, ut nouerimus omnes qui saluantur, non nisi ex eius gratuita bonitate saluari. Vt enim quisque saluetur, nulla præcedunt humanæ uoluntatis bona merita, sed sola Dei uoluntas humanæ saluationis est causa. *Ira enim in indignatione eius, & vita in voluntate eius.* Ira igitur eius nostræ iniquitatis est meritum, uita uerò nostra uoluntatis eius est donum. *Sicut enim Pater suscitat mortuos & viuificat, sic et Filius quos vult viuificat:* eosdem autem uiuificari uult, quos uult saluos fieri. Sic ergo quos uult saluat, quemadmodum quos uult uiuificat. Nihil nanque uoluit & non fecit, qui, Scriptura teste, *Omnia quæcunque voluit, fecit.* Proinde non indignè dicimus, aliquid Deum nolle quod posit. Nephas est autem siquis omnipotentem dicat, aliquid facere nõ posse, quod uelit: *voluntati enim eius quis resistet?* Nemo utique; quia non est aliqua natura, quæ ab eius creatione sit aliena. Et sicut nihil naturaliter subsistit, quod ille non fecerit: ita nihil prouenit in salutem ho-

fieri, ut nemo nisi ex gratuita eius bonitate saluetur.

Psal. 30.

Ioan. 5.

Ps. 135.

Rom. 9.

,, minum, quod ille nõ in æterna bonę uo
,, luntatis suæ dispositione faciendũ præ-
,, destinauerit, à quo & fides gratis infun-
,, ditur, per quã benè ambulemus: & per-
,, seuerãtia donatur, perquam ad spẽ per-
,, uenire possimus.

Dei dona sunt ἀμετα-μέλητα. Hæc autem dona sua semper Deus in æterna atq; incõmutabili habet uolũtate disposita, in qua præordinauit atque præparauit, & quæ daret, & quibus daret. Ipse enim prædestinando prępárauit gratiæ donum qui gratiam donãdo implet prædestinationis effectum.

Epilogus, quo repetuntur omnia δι' ἀνακεφαλαίωσιν. Habetis dilectissimi fratres, tã de incarnatione Domini nostri Iesu Christi, quàm de gratia, paucis expressam fidei nostrę confessionisq; sententiã, qua certissimè continetur, unigenitũ Deum de Deo Patre naturaliter sine initio natum, ex Virgine naturaliter secundùm carnẽ progenitum. Vnus enim idemq; Deus uerbum, quem prima natiuitate coęternũ sibi genuit æternitas Patris, & quem temporaliter cõceptum secunda natiuitate Filium hominis protulit uterus uirginalis.

ginalis. Cuius gratia nobis & initiũ bonæ uoluntatis donatur ad fidem, & ipsi uolũtati adiutoriũ tribuitur, ut quòd benè uult, benè operetur. Deus enim qui hominem condidit, ipse prædestinatione sua & donum illuminationis ad credendum, & donũ perseuerantię ad proficiendum atq; permanendũ, & donum glorificationis ad regnandum, quibus dare uoluit præparauit, quiq; non aliter perficit in opere, quã in sua sempiterna atq; incommutabili habet uolũtate dispositum. Cuius prædestinationis ueritatem, qua nos ante mundi constitutionem prædestinatos in Christo testatur Apostolus, si quis detrectat cordis credulitate recipere, uel oris cõfessione ꝓferre, si ante ultimum diem uitæ pręsentis, impietatis suę contumaciã, qua Deo uiuo & uero rebellis obsistit, non abiecerit: manifestum est, eum non pertinere ad eorum numerum, quos Deus in Christo ante mundi cõstitutionem, gratis elegit & prędestinauit ad regnũ. Pro quibus tamẽ nec oratio fidelium debet de- *Ephes. 1.*

 sistere,

ſiſtere, nec charitas aliquando torpere, ut Deus eis gratiam ſuæ illuminationis donet, per quam in eis ſemen diuini ſermonis fructificet, qui fruſtra exterioribus auribus ſonat, niſi Deus ſpirituali munere auditum hominis interioris aperiat.

BEA-

Beati Fulgentij

EPISCOPI CARTHAGINENSIS Mythologiarum

LIBRI TRES.

AD

CATVM PRESBYTERUM Carthaginensem.

BEATI FVLGENTII EPISCOPI CARTHAGINENSIS MYTHOLOGIARVM AD *Catum Presbyterum Carthaginensem,*

LIBER I.

Præfatio Poëtica.



Vamuis inefficax petat studium res quæ caret effectu, & ubi emolumentum deest & negocij causa cesset inquiri, hoc uidelicet pacto, quia nostri temporis ærumnosa miseria nõ discendi petit studium, sed uiuendi flet ergastulum, nec famæ assistendum Poëticę, sed fami consulendum domesticæ, citoq; nunc aut quod amiseris fleas, aut quod edas inquiras, quã quod dicas inuenias. Vacat hoc tempore potentibus opprimere, prioribus rapere priuatis perdere miseris flere.

Quia soles Domine meas cachinnãtes sæpiùs nęnias lepore Satyrico litas lubentius affectare, dum ludicro talia uentilans Epigrammate commœdica solita

ſolita eſt uernulitate mulcere. Additur quia & mihi nuper imperaſſe dinoſceris, ut feriatas affatim tuarum aurium ſedes lepido quolibet ſuſurro permulceam.

Parumper ergo auſculta dum tibi rugoſam ſulcis anilibus ordior fabulam, quam nuper Attica ſoporãte ſalſura nocturna præſule lucerna commẽtus ſum, ita ſomniali figmento deluſam, quo nõ Poëtam furentem aſpicias, ſed onirocritem ſoporis nugas ariolãtem aduertas. Neque enim illas Heroidarum arbitreris lucernas meis præſules libris, quibus aut Sulpicillæ procacitas, aut Pſyches curioſitas declarata eſt. Neq; illam maritum † Phedriam in tumulum duxit, aut Leandricus natatus intercepit, ſed quæ noſtrum Academicum Rhetorem ita uſq; ad uitalem circumtulit, quo penè dormientem Scipionem cœli ciuem effecerit. Verùm reſpublica uideat quid Cicero egerit.

† Phædram.

Me interim diſcedentem à te Domine dum quaſi urbanis extorrẽ negocijs,

ruralis

turalis ocij torpor astringeret, euitans ærumnosa calamitatum naufragia, quib. publicè incessabiliter uexãtur actiones, arbitrabar agrestẽ securè adipisci quietem, ut procellis curarũ celantibus, quo in torporem urbana tempestas exciderat, uelut Halcyone niduli placitam serenitatem uillarica semotione tranquillior agitassem, sopitisq́; in fauilla silentij raucisonis iurgiorum clasicis, quib. me Galgatici quassauerant impetus defecatam silentio uitam agere creditabam, ni me illuc quoq; mœrorẽ improbior angina sequeretur felicitatisq́; nouerca fortuna, quæ amarum quoddam humanis interserit semper negocijs, me quasi pedissequa sectaretur.

Nam tributaria indies conuentio, cõpulsantium pedibus limẽ proprium triuerat, noua inditionum ac momentanea proferens genera, quasi Myda rex ex homine uerterer, ut locupletes tactus rigens auri materia sequeretur. Credo etiam Pactoli ipsius fluenta condictis frequentibus desiccasse.

Nec

Nec hoc tantum miſeriarũ ergaſtulũ ſat erat, addebatur his, quod etiam bellici frequenter incurſus pedum domi radicem infigere iuſſerant, quò portarum noſtrarum peſſulos aranearum caſsibus oppletos quiſpiam non uideret. Agrorum enim dominum gentes cœperant, nos domorum. Fructus enim noſtros expectare licuit, non frui. Merces quippe nobis fuerat gentilis, ſi uel ad manendũ clauſos relinquerent. Sed quia nunquam eſt malum immortale mortalibus, tandẽ Domini Regis felicitas aduẽtantis, uelut Solis crepuſculum, mundo tenebris dehiſcentibus pauores abſterſit. Et poſt torpentes inceſſus, quæ tum bellicum profligauerat interdictũ licuit tandẽ arua uiſere, limites circuire. Egredimur nautarum in morem, quos tempeſtatũ flagitamẽto confractos, exoptata reduces excipit ripa, & uelut parietũ indumẽtis exuti poſt domeſticas ſtationes ambulare potiꝰ diſcimus quã ꝓgredimur, & Maronæo uerſui conſimiles:

Tandem liber equus campo potitur aperto.

In-

Intuemur arua, quibus adhuc impressæ bellãtium plantę muricatos (quod aiũt) ſigillauerant greſſus, & formidine menti nõdum exterſa, hoſtes in ueſtigijs pauebamus. Terrorem enim pro ſui memoria miles hoſtis hæredem reliquerat. Sed Troadum in morem oſtentabamus alterutrum loca, quorum recordationẽ aut internecio celebrior faciebat, aut præda, tandẽ inter ſentoſa nemorũ fruteta quæ agreſtis olim deſeruerat manus. Nam intercapedinante pauoris ꝓlixitate, tam largo fumo lurida parietibus aratra pendebant, & laborifera boum colla iugales in uaccinam molliciẽ deduxerant callos. Squalebat uiduus ſulcis ager, & herbidis ſentibus oliuifero uertici minabatur. Ita enim nexili de ſyrmate meãdrico gramini labruſca coibat, quo ſepta herboſis radicibus tellus, triptolemicum contumax abnuerat dentem.

Ergo dum huiuſmodi paliuræa prata incedente premerem planta, & roſcidos florulenti uelleris colles ſpacianti metirem

rem passu, defectum uoluntas peperit egredientis studio, sed utilitas ex labore succeſsit. Diuertor arborei beneficiũ umbraculi præſumens, quo me erranti foliorũ intextu Phœbi à torridis defenſaret obtutibus, & circumfluam ramorum umbram quam proprijs radicibus præberet, mihi etiam concederet eſſe cõmunem. Nam me auium quædam uernulitas, quæ fragili quadam dulcedine criſpantes ſibilos corneis ædunt organulis, ad hoc opus allexerat, & laboris tam ſubita requies quoddam carminis expectabat melos:

THeſpiades, hippocrene
Qua ſpumanti gurgite
Tinctas hauſtu muſico,
Ferte gradum properantes
De uirectis collium,
Vbi guttas florulentæ
Mane rorat purpuræ,
Humor algens cum ſerenis
Aſtra ſudant noctibus,
Verborum canistra plenis
Reſerate floſculis.
Quicquid per uirecta tempe
Rapiat unda proluens

Hinnientis & recursu
Quam produxit ungula.
Quicquid Ascraeus uetemâ
Rupe pastor cecinit.
Quicquid ex Athlantis Gazis
Vestra promunt horrea.
Quod cecinit pastorali
Maro sylua Mantuae.
Quod Maeonius Ranarum
Cachinnauit praelio.
Parrhasia candicanti
Dente lyra concrepet,
Ad meum uetusta carmen
Secla nuper confluant.

Colloquium Calliopes & Fulgentij.

HOc itaque sacrificali carmine Gorgonaei fontis aspergine madidas & praepetis ungulae riuo merulentas Pieridas abstraxi. Astiterant itaque syrmate nebuloso lucidae ternae uiragines, haedera largiore, circumfluae, quarum familiaris Calliope, ludibundo palmulae tactu meum uaporans pectusculum, poëticae pruriginis dulcedine spargit. Erat enim grauido (ut apparebat) pectore, crine neglecto, quem margaritis praenitens diadema con-

constrixerat, talo tenùs bis tinctam recolligens uestem. Quod credo & itineris propter difficultatem, & ne Męandricos tam subtilis elemẽti aliquatenus limbos aculeati herbarum uertices scinderent. Astiti propter ergo erectus in cubitùm, ueneratus sum uerbosam uiraginem; olim mihi poëtico uulgatam euidentius testimonió. Nec immemor cuius uerbosas fabulas propter scholaribus rudimẽtis tùmidas ferulis gestàueram palmas, & quia nón mihi euidenti manifestatione quæ nam esset liquebat, cur uenisset inquiró. Tum illa: Vna (inquit) uirginali sum † Helicónia Deum Curiæ; & Iouis albo conscripta, quam ólim Atheneam ciuem Romanus ordó cólendam exceperat; ubi nouellos ità frutices ædidi, quo eorum cacumina summis astris insererem. Ita uitæ famam linquentes hæredem, quo magis celebriorem obitum protelarẽt. Ast ubi me Rómuleæ arcis conuentu bellicus uiduauit incursus, Alexandrię conciliabula urbis exulata possederam, uarijs do-

† *Heliconiadum.*

gmatum imbutamentis lasciuia Græcorum præstruens corda. Postq; Catonũ rigores, Tullianasq; seueras inuectiones, & Varroniana ingenia, Apelleę gēti enerues sensus aut satyra luseram, aut comœdico phasmate delectabã, aut tragica pietate mulcebam, aut Epigrammatum quoq; breuitate condibam. Libebat me mea captiuitas, & licet nostræ uacuissent industriæ, inueniebat tamen animus quibus inter mala arrideret, nisi me etiam exinde bellis crudelior Galeni curia exclusisset, quę penè cunctis Alexandriæ ita est angiportus, quo Chirurgicæ carnificinæ laniena plurior, habitaculis numeretur. Deniq; certando ita remittunt in mortẽ, quo ferant Charontem citius sopiturum, si collegio nõ donetur. Hanc orationem risus mollior terminauit. Itaque meis quod euerteret culminibus impetraui. Tum illa. Non paues (inquit) musicum tuis receptare dogma penatibus, cùm Barbarorũ morem auscultauerim, ita literarios mercatus penitùs abdicare, ut hos qui primis

ele-

elementorum figuris, uel proprium descripserint, cassata inquisitione in carnificinam raptassent. Tum ego: Non ita est (inquam) ut audieras, sed fama fuit: nam carmina nostra Musæ tantum ualent inter Martia tela, quantum dulcis aquæ salient sitim restinguere riuo. Et ut suum me amplius familiarem resciſset, illud etiam adieci Terentianum: *Olim isti fuit generi quæstus apud seclum prius*. Nunc itaq; literæ suos, quicquid Helicon uerbalibus horreis enthecatũ possederat, in ipsis potestatum culminibus hæreditario iure transferret Catus, extendunt. Illa exhilarata carminibus, utpote quasi Mæonium senem uiseret recitantem, laudatorio palmulæ tactu mulsit meam cæsariem, percussaq; mollius ceruice quàm decuit: Eia, inquit, Fabiana, Creonticis iam dudũ nouus initiatus es mystes sacris. Ne quid ergo meo tibi desit tyrunculo, accipe parem dogmatis gratiã, & quatenus te nostra satyra lasciuienti uerborum rore percusſit, uadatumq; te sui retinet amoris illecebra,

cebra, redde quod ſepioticon debes, & quicquid libet Niliacis exarare papyris, feriatis aurium ſedibus percipe. Nec deerit hiſtoriæ ei quilibet effectus, cuius uiſceribus te inſtringi popoſceris. Tum ego: Iudex libelli te fefellit generoſa loquacitas. Non mihi cornutus adulter arripitur, nec imbre mendaci luſa Danaē Virgo cantatur, dum ſuo iudicio ſibi Deus prætulit pecudem, & hanc auro decepit, quam poteſtate nequiuit. Non ſuillo canimus morſu depaſtum iuuenis femur, nec in libellulis meis ſub falſa alite puerilis pependit laſciuia. Non olorinis reptantem adulterum plumis, oua pulligera uirginibus inculcātem, uel ſemina puerigera uiſceribus infundentem, nec Lichnides puellas inquirimus & Hero atque Pſychen poëticas garrulantes ineptias. Dum hæc lumen quærit extinctum, illa deflet incenſum. Pſyche uidendo perderet & Hero non uidendo periſſet. Nec referam uirginali figmento Aricinam luſam uiraginem, dum quæreret Iupiter quòd magis eſſe uelit

uelit quàm fuerat. Mutatas itaq; uanitates manifestare cupimus, non manifesta mutando fuscamus, ut senior Deus hinnitus exerceat & sol fulgoris igne deposito malit anilibus exarari rugis quàm radijs. Certos itaq; nos præstolamur rerum effectus, quos repulsos mendacis Græciæ fabuloso commento, quid mysticum in his sapere debeat cerebrum agnoscamus. Tum illa: Vnde hęc tibi, inquit, homuncule tanta ignorantiæ scientia? Vnde etiã ratum ordinem ignorandi? Dum enim seculis intacta requiris, ostendis te sapienter scire quod nescis. Cui ego: Si his quibus ignorare aliquid contigit, ne ipsum quidem nescire suum scire contigerit, quanto satius eis erat etiam non nasci contingere, quàm nasci inefficaciter uiuere. Primum itaque ego scientiæ uestibulũ puto, scire quod nescias. Ad hæc illa: Tam secretis mysticisq; rebus uiuaciter pertractandis, ampliora sunt autoritatũ quærendã suffragia. Neque enim quippiam ludicrum quæritur, quo ludibundo pede metrica

uerborum commodo sarciamus, sudor hic, hoc opus est palestrantis ingenij, ne tam magnifici assumpta moles operis ipso ferè medio conaminis impetu, uiuacissimis destituta uanescat tractatib. Ergo erunt nobis Philosophia atq; Vrania cœlestis adiutrices operis asciscendæ. Nec enim deerit tuis lasciuiens amica solatijs ut dum te mysticæ artes anhelum tractando reddiderint, tute tua satyra ludentem excipiat. Quæso, inquã, munifica largitas ne tu istam tuam satyram, cuius me dudum uadatum amore prædixeras temerè credas nostris penatibus. Tam etenim libens zelo sortitus sum ex affectu coniugium, ut hanc suis oblucentem ut pellicem uoluptatibus domo repererit, ita sulcatis ungue genis in Heliconẽ remittat necesse est, quo eius diluendis uulneribus Gorgonei ipsius fontis nequaquam fluenta sufficiant. Tum illa cachinnum quassans fragile, colliso bis terq; pulsu palmulæ femore, nescis (inquit) Fulgenti rudis accola Pieridum: quantũ satyram matro-

næ

næ formident. Licet mulierum uerbalibus undis & causidici cedant, nec grammatici mutiant, rhetor taceat, & clamorem prçco compescat, sola est quæ modum imponat furẽtibus, licet Petroniana subit Albutia, hac etenim alludente, & Plautinæ satyræ dominatus obdormit, & Sulpicillæ Ausonianæ loquacitas deperit, Salustianæq́; Symphonicæ, quamuis præsens sit cantilena, melos cantandi raucesit:

Soluerat igniuomus mundi regione peracta
Quadrupedes, gelidumq́; rotis tepefecerat orbem
Rector, & auratis colla spoliabat habenis.
Iam Phœbus disiungit equos, iam Cinthia iungit,
Quasq́; soror liquit, frater pede temperat undas.
Tum nox stellato mundo circunlita peplo,
Cerula rorigenis pigrescere iusserat alis,
Astrigeroq́; nitens diademate Luna bicornis
Bullatum bijugis conscenderat æthera tauris
Iam simulachra modis mentis fallentia plastis,
Mollia falsidicis replebant stramina signis.

Periphrasis noctis.

Et ut in uerba paucissima conferam, nox erat. Cuius nomen noctis iam dudum oblitus, ut insanus uates uersibus delirabam, dum subito agrestis illa, quã

dudum uideram hoſpita oborto impetu cubicularis impulſu fores irrupit, inopinanterq́ꝫ me iacentem reperiẽs, marcẽtia languore ſomni lepido lumina, rapido atque admodum ſplendificè intermicanti quodam ſui uultus corruſcamine pepulit, Erat enim ultra ſolitum eminens mortalitatisq́ꝫ aſpectum, deniqꝫ pigræ adhuc quietis indicium roratis naribus ructuantem repentina oſtij crepitatione turbauit. Hanc præibat florali laſciuiens uirguncula petulantia, hædera largiore circumflua improbi uultus & ore cõtumeliarum ſarcinis grauido, cuius hyronicum lumen tam rimabunda uernulitate currebat, quo mentes etiam abſtruſas temulentis inſcriptionibus depinxiſſet. Muſę enim latera ſarciebant altrinſecus duę, quarum dexterior uerecunda quadam maieſtate ſubnixa altatæ frontis Polymnia argẽteis aſtrorum purgauerat margaritis, cuius phaleratum exoticis diadema carbunculis corniculata Lunę ſinuatio deprimebat, ac cerulanti peplo circunlita hyalinę cauitatem

Vrania.

uitatem sphæræ osseo fastigatus tigillo uersabat, uisus itaq; luminis. Tam elata contemplatione cœlitus erigebatur intuitus, quo penè foribus superna intuens pollicem illisisset. Leuicomes lateris refugo quodam contemplatu secretior humanos intuitus uelamine quodam arcano uitabat, huius ninguida canis albentibus nitebat cæsaries, rugaq; crispato multiplici supercilio rancidum se quiddam consopire promittebat. Tardior incessus erat, & ipsa ponderationis grauedine uenerandus. Tunc Caliope prouinciam loquacitatis ingressa, his te, inquit, Fulgenti tutricibus spoponderam largitum. Quarum sequax si fueris, celeriter raptũ ex mortali cœlestem efficient, astrisq;, non ut Neronem poëticis laudibus, sed ut Platonẽ mysticis interfererent rationibus. Neq; enim illos de his expectas affectus, quos aut poëma ornat, aut deflet tragœdia, aut spumat oratio, aut cachinnat satyra, aut ludit comœdia, sed in quib. Carneadis resudat elleborũ, & Platonis auratum eloquiũ

Philosophia.

& Ariſtotelis ſyllogiſmaticum uerbiloquium. Nunc itaq; pande mentis cubiculum & aurium fiſtulis, audito nuncio mentibus intromitte, quod excipis, ſed enerua totum mortale, quod tibi eſt, ne tam ſacrati ſeries dogmatis ſcrupuloſis rite non reſideat penetralib. Ergo nunc de deorum primum natura, unde tanta malæ credulitatis lues ſtultis mentibus inoleuerit, edicamus. Quamuis enim quidam ſunt, qui ſpreta capitis generoſitate, eretinis atque archadicis ſenſibus glandium quippiam ſapiant, atque eorum altiori ſtultitiæ nubilo ſoporata caligentur ingenia, tamen nequaquam apud humanos ſenſus niſi fortuitis compulſationibus moti naſcũtur errores, ut etiã Chryſippus de fato ſcribẽs ait: Cõpulſationibus lubricis uoluuntur incurſus: Itaq; primum omiſſo circuitu, unde Idolum tractum ſit, ediſcamus.

Vnde Idolum dicatur.

Origo idolorũ & cultus eorum.

Diophanes Lacedæmonum author libros ſcribit antiquitatum *XIIII.* in quibus ait Syrophanem Aegyptium

ptium familia substantiaq́ꝫ locupletem filium genuisse, quē uelut enormis substantiæ successorē ineffabili ultra quàm paternitas exigebat affectu erga filium deditum. Isqꝫ dum aduersis fortunæ incursibus raperetur, patri crudele geminæ orbitatis dereliquit elogium, & ut posteritati perpetuale suffragium denegasset, & substantiæ propagandæ subitam inceptionem obijceret. Quid igitur faceret aut fœcunda paternitas hac sterilitate damnata, aut felix substantia in successione curata. Parum erat non habere, quod habuit, nisi etiā esset, qui obtineret quod reliquit. Denique doloris angustia, quę semper inquirit necessitatis solatiū, filij sibi simulachrū in ædibus instituit. Dumqꝫ tristitiæ remediū quærit, seminarium potius doloris inuenit, nesciens quod sola sit medicina miseria- " rum obliuio, fecerat enim ille unde lu- " ctus resurrectionis indies adquireret nō in quo luctus solatiū inueniret. Deniqꝫ Idolum dictū est † idodynin, quòd nos Latinè species doloris dicimus. Namqꝫ uni-

† εἶδος ὀδύνης. i. species doloris.

uniuersa familia in domini adulationē, aut coronas plectere, aut flores inferre, aut odoramēta simulachro succendere consueuerat. Nonnulli etiam seruorum culpabiles, domini furiam euitantes, & ad simulachrū profugi ueniā merebantur & quasi salutis certissimo collatori, florum aut thuris offerebant munuscula, timoris potiùs effectu, quàm amoris affectu. Deniq; huius rei immemor & Petronius ait: *Primus in orbe Deos fecit timor*. Nā & Mintanor musicus in Cromatopoion libro musicæ artis quē scripsit, ait: dominum doloris quem prima compunctio humani uinxit generis: exin inueteratus error humanis pedetentim cōsertis disciplinis baratro quodam sæuæ crudelitatis prolabitur.

Mintanor.

Fabula Saturni.

SAturnus Pollucis filius dicitur, Opis maritus senior, uelato capite falcem gerens, cuius uirilia abscissa & in mare proiecta Venerem genuêre. Itaque quid sibi de hac Philosophia sentiat, audiamus.

Tum

Tum illa Saturnus primus in Italia
regnum obtinuit,hicq; per annonę prę-
rogationem ad se populos attrahens à
saturando dictus est Saturnus : Opis
quoq; eius uxor,eò quòd opem esurien
tibus ferret,edicta est.Pollucis etiam fi-
lium siue à pollendo , siue à pollucibili- Pollucibilitas.
tate , quam nos humanitatem dicimus,
unde & Plautus in comœdia Epidici Plaut.
ait: *Bibite,pergræcamini pollucibiliter*.Ve
lato uerò capite ideo fingitur,quòd om
nes fructus foliorum obnupti tegantur
umbraculo . Filios uerò suos comedisse
fertur , quod omne tempus quodcunq;
gignit consumit. Falcem etiam fert non
immeritò,siue quòd omne tempus in se
uergat ut curuamina falciũ,siue propter
fructum . Vnde etiam & castratus dici-
tur,quòd omnes fructuum uires abscis-
sæ,atq; in humoribus uiscerum uelut in
mare proiectę,sicut illic Venerem,ita &
libidinem gignant necesse est.

Nam & Apollophanes in Epico car- Apollophanes.
mine scribit : Saturnum quasi sacrũ *νοῦν*:
νοῦς enim Græcê sensus dicitur , aut sato-
rem

Saturni filij. rem νȣ͂, quasi diuinum sensum creantem omnia, cui etiam quatuor filios subijciunt: id est, primum Iouem: secundum Iunonem: tertium Neptunum: quartum Plutonem, & quasi Poli filium quatuor elementa gignentem: id est, primum Iouem ignem, unde & ζεὺς Græcè dicitur. ζεὺς enim Græca significatione siue uita siue calor dici potest, siue quod igne uitali animata omnia dicerentur, ut Heraclitus uult, siue quòd hoc elementum caleat. Secundum Iunonem quasi aërem, unde ἥρα Græcê dicitur, & quãuis aërem masculum ponere debuerint, tamẽ deo soror est Iouis, quod hæc duo elementa sibi sunt ualde consortia. Ideo Iouis & coniugem quod maritatus aër igne feruescat. Nam & Theopompus in Cypriaco carmine & Hellanicus in Dios Philogia, quam descripsit ait: Iunonem ab Ioue uinctam catenis aureis & deprauatam incudibus ferreis. Illud nihilominus dicere uolentes quod aër igni cœlesti coniunctior duobus deorsum elementis misceatur: id est, aquæ & terræ

Iupiter.

Iuno.

terræ quæ elementa duobus ſuperioribus grauiora ſunt.

Fabula Neptuni.

NEptunum uerò tertium aquarum uoluere elementum, quem ideò Græci etiam Poſidona nuncupãt, quaſi ποιῶν εἴδωλον, quod nos Latinè facientem imaginem dicimus, illa uidelicet ratione quod hoc ſolum imagines in ſe formet ſpectantium, quod nulli alij ex quatuor competat elementis. Tridentẽ uerò ob hanc rem ferre pingitur, quod aquarum natura triplici uirtute fungatur: id eſt, liquida, fœcũda, potabili, hinc & Neptuno Amphitritẽ in coniugium deputant: ἀμφὶ enim Græcè circumcirca dicimus, eò quòd omnibus tribus elementis aqua concluſa ſit: id eſt, ſit in cœlo, ſit in aëre: id eſt, in nubibus, & in terra, ut ſunt fontes & putei. *Amphitrite.*

Fabula Plutonis.

QVartum etiam Plutonem dicunt terrarum præſulem. Plutos enim Græcè diuitiæ dicuntur, ſolis terris credentes diuitias deputati. Hunc etiam

tiam tenebris addictum dixêre, quòd ſola terræ materia ſit cunctis elemētis obſcurior. Sceptrum quoque in manu geſtat, quòd regna ſolis cōpetant terris.

Fabula de Tricerbero.

TRicerberum uerò canem eius ſubijciunt pedibus, quòd mortalium iurgiorum inuidiæ ternario conflentur ſtatu: id eſt, naturali, cauſali, accidentali. Naturale eſt odium; ut canum, & leporum, luporū & pecudum, hominum & ſerpentum. Cauſale eſt, ut amoris zelus atque inuidiæ. Accidens eſt, quod aut uerbis caſualiter oboritur, ut hominib9; aut comeſtiones propter, ut iumentis.

Fabula de Furijs.

HVic quoq; etiam tres furias deſeruire dicunt, quarum prima eſt Alecto. Alecto enim Græcè impauſabilis dicitur. Alia Tiſiphone: Tiſiphone autem quaſi τούτωμ φωνὴ: id eſt, iſtarū uox. Tertia Megera: Megera enim eſt, quaſi μεγάλη ἔρις: id eſt, magna contentio. Primum eſt ergo non pauſando furiam

tiam cõcipere. Secundum est in uocem erumpere. Tertium iurgium protelare.

Fabula de Fatis.

TRia etiam ipsi Plutoni destinant fata, quarum prima Clotho: secunda Lachesis: tertia Atropos: Clotho enim Græcè uocatio dicitur. Lachesis uerò sors nuncupatur. Atropos quoq; sine ordine dicitur. Hoc uidelicet sentire uolentes, quòd prima sit natiuitatis euocatio. Secunda uitæ sors, quemadmodum quis uiuere posit. Tertia mortis conditio, quæ sine lege uenit. *Parcæ.*

Fabula de Harpyÿs.

HArpyias etiam tres inferis Virgilius deputat, quarũ prima Aello: secunda Ocypite: tertia Celæno. Harpyia enim Græcè rapina dicit̃. Ideo uirgines quòd omnis rapina arida sit & sterilis. Ideo plumis circumdatæ: quia quicquid rapina inuaserat celat. Ideo uolatiles, quòd omnis rapina ad uolandũ sit celerrima. Aello enim Græcè, quasi ἐίλον ἄλλο: id est, alienum tollens. Ocypite: id est, citiùs auferens. Celænũ uerò

Græcè nigrum, unde & Homerus prima Iliados rapsodia: *αἶψα τοι αἷμα κελαινὸν ἐρωήσει περὶ δόρυ*: id est, *statim niger tuus sanguis emanabit per meam hastam.* Hoc igitur signare uolentes, quòd primum sit alienum concupisci: secundum cōcupita inuadere: tertium celare quod inuadit.

Fabula de Proserpina.

Ceres. PLutoni quoq; nuptam uolunt Proserpinā Cereris filiam. Ceres enim Græcè dicitur gaudium, & ideò illam frumenti deam esse uoluerūt, quòd ubi plenitudo fructuum sit, gaudia semper superabundent necesse est. Proserpinam uerò quasi segetem uoluerūt: id est, terram radicibus proserpētem, ut &

Hecate. Hecate Græcè dicitur. Hecaton enim Græcè centum sunt, & ideò hoc illi nōmen imponunt: quia centuplicatū Ceres proferat fructum. Hanc etiam mater cum lampadibus raptam quęrere dicitur, unde & lampadū dies Cereri dedicatus est, illa uidelicet ratione quod hoc tempore cum lampadibus: id est,

cum

cum Solis feruore ſeges ad metendum cum gaudio requiratur.

Fabula Apollinis.

APollinem Solem dici uoluerunt. Apollon enim Græcè perdens dicitur, quòd feruore ſuo omnẽ ſuccum uirentium decoquendo perdat herbarum. Hũc etiam diuinationis Deum uoluerunt, ſiue quòd ſol omnia obſcura manifeſtat in lucẽ, ſeu quòd in ſuo proceſſu & occaſu eius orbita, multimodos ſignificationum monſtret effectus. Sol uerò dicitur aut ex eo, quòd ſolus ſit, aut quòd ſolitè per dies ſurgat & occidat. Huic quoq; quadrigam ſcribunt illam ob cauſam, quòd aut quadripartitis tẽporum uarietatibus anni circulum peragat, aut quòd quadrifido limite diei metiatur ſpacium, unde & ipſius equis condigna ſic nomina poſuerunt: id eſt, Erythræus, Acteon, Lãpos, Philogęus. Erythræus Græcè rubens dicitur, quòd à matutino ſol lumine rubicundus exurgat. Acteon ſplendens dicitur, quod tertiæ horæ momentis uehemens inſiſtetur,

Ab Ouidio lib. 2. Metamorph. nominantur hi equi pyrois. i. flãmatus, Eous. i. matutinus: Aethon. i. Ardens: Phlegon. i. vrens. Homer. Odyss. 4. duos numerat Lãpũ & Phaëtontem.

tur, lucidior fulgeat. Lampos uerò cùm ad umbilicum diei centratum conscenderit circulum. Philogæus Græcè terram amans dicitur; quòd hora nona procliuior uergens occasibus pronus incumbat.

Fabula de coruo.

IN huius etiam tutelam coruum ponunt, siue quòd solus contra rerũ naturam, in medijs ipsis æstiuis feruoribus ouiparos pullulet fœtus. Vnde & Petronius:

Sic contrà rerum naturæ munera notæ,
Coruus maturis frugibus oua refert.

Siue quòd in Horoscopicis libris secundùm Anaximandrum, siue etiam secundùm Pindarum solus inter omnes aues, significationes habeat uocum.

Fabula de Lauro.

IN huius etiam tutelam Laurũ ascribunt, unde etiam eum amasse Daphnen dicũt Peni fluminis filiam, & unde laurus nasci posset, nisi de fluuialibus undis? Maximè quia eiusdem Penei fluminis ripæ lauro abundare dicuntur. At uerò

uerò amica Apollinis ob hanc rem uocitata est: quia illi, qui de interpretatione somniorum scripserũt, ut Antiphon Philocrus, & Artemon, & Serapion Ascalonites promittant in libris suis laurũ si dormientibus ad caput posueris, uera somnia esse uisuros.

Fabula de nouem Musis.

HVic etiam Apollini nouem deputant Musas, ipsumq; decimũ Musis adijciũt. Illa uidelicet causa, qđ humanæ uocis decem sint modulamina, unde cum decachorda Apollo pingitur cythara. Sed & lex diuina decachordon dicit Psalterium. Fit ergo uox quatuor dentibus ecõtrà positis, quos lingua percutit, è quib. si unus minus fuerit, sibilũ potiùs quàm uocẽ reddat necesse est: Duo labia uelut cymbala uerborũ cõmoda modulantia. Lingua ut plectrũ quæ curuamine quodam uocalem format spiritum: Palatũ cuius concauitas profert sonum. Gutturis fistula, quæ tereti meatũ spiritalẽ prębet excursu: Et pulmo, q uelut aceruus follis con-

Vox quibus instrumentis formetur.

cepta reddit ac reuocat. Habes ergo nouem Musarum uel Apollinis ipsius redditam rationem, sicut in libris suis Anaximander Lampsacenus, & Leophantes Heracleopolites exponunt, quod & alij firmant, ut Pisander Physicus, & Euxemenes in libro Theologomenon.

Nos uerò nouē Musas doctrinæ atque scientiæ dicimus nodos: hoc est, prima Clio, quasi prima cogitatio discendi: Cleos enim Græcè fama dicitur, unde & Hom. ἡμεῖς δὲ κλέος οἶον ἀκούομεν οὐδέ τι ἴδμεν: id est, *solam famam audiuimus*. Et in alio loco: τοῦ κλέος εὐρὺ καθ' ἑλλάδα καὶ μέσον ἄργος. Et quoniam nullus scientiā quærit nisi in qua famæ suæ protelet dignitatem, ob hanc rem prima Clio appellata est: id est, cogitatio quærendæ scientiæ. Secunda Euterpe, quod nos Latinè benè delectans, dicimus, quòd primum sit scientiam quærere: secundum sit delectari quòd quæras. Tertia Melpomene quasi μελέτην ποιοῦσα: id est, meditationem faciens permanere, ut primum uelle: secundum desiderare

Clio.

Euterpe.

Melpomene.

quod

quod uelis: tertium instare meditando ad id quod desideras. Quarta Thalia: id est, capacitas, uelut si dicat, τιθεὶς θάλεα: id est, ponens germina. Vnde & Epicharmus Comicus in Diphilo comœdia, ait: θάλον ὡς οὐ βλέπει βούλιμος ἐπετάξεν: id est, germen dum non uidet fames consumit. Quinta Polymnia, quasi πολὺ μνήμην: id est, multam memoriam faciens dicimus: quia post capacitatem est necessaria. Sexta Erato, εὑρὼν ὅμοιον, quod nos Latinè inueniens simile dicimus: quia post scientiam & memoriam iustũ est, ut aliquid simile & de suo inueniat. Septima Terpsicore: id est, delectãs instructionem: unde & Hermes in Opimandre libro ait: ἄκουρο τροφῆς καὶ κοῦφο σώματος: id est, absque instructione escę & uacuo corpore, ergo post inuentionẽ oportet te etiam discernere ac dijudicare quid inuenias. Octaua Vrania: id est, cœlestis, post dijudicationem enim est, eligis quid dicas, quid despuas. Eligere enim utile, caducumq; despuere, cœleste ingenium est. Nona Calliope: id est,

Thalia. *Polymnia vel Polyhymnia.* *Erato.* *Terpsicore.* *Vrania.* *Calliope.*

Iliad.β. optimæ uocis, unde & Homerus ait: θεῆς ὄπα φωνησάσης: id est, deæ uocē clamantis. Ergo hic erit ordo. Primum est uelle doctrinam. Secūdum est delectari, quod uelis. Tertium est instare, ad id quo delectatus es. Quartū est capere id quod instas. Quintū est memorari qđ capis. Sextum est inuenire de tuo simile, ad id quod memineris. Septimum est iudicare quod inuenias. Octauum est eligere de quo iudicas. Nonum benè proferre quod elegeris.

Fabula Phaëtontis.

HIc etiā cùm Clymene nympha coiens Phaëtōta dicitur genuisse, qui paternos currus affectans sibi atq; mundo cōcremationis detrimenta conflauit. Semper ergo sol cum aqua coiēs aliquos fructus gignat necesse est, qui eò quòd terris exilientes appareāt Phanontes dicuntur: phænon enim Græcè apparēs dicitur, qui quidem fructus ad maturitatem sui, Solis ardorem quærant necesse est, quo accepto omnia feruoris incendio consumantur. Huius etiam sorores

rores Arethusa, Lampetusa, quæ gemmeis ac translucentibus fraterna deplorant guttis incendia, succinaq́; diruptis iaciunt inaurata corticibus. Soror etiam totius germinis arbor est, quæ una eademq́; feruoris humorisq́; iugalitate gignuntur. Itaq; istæ arbores, quæ succinum sudant, dum maturis frugibus Solis feruor torrentibus ipsis Iunio, Iulioq́; mensibus incendiosior, Cancri atque Leonis tetigerit metas, tunc istę arbores æstu ualido fissis corticibus succum sui liquoris in Eridano flumine aquis durandum emittunt.

Ab Ouid. 2. Metamor. vocantur Phaëthusa & Lampetie.

De Tripho, sagittis & Pythone.

HIs † Triphũ quoq; Apollinis adijciunt, quòd Sol & pręterita nouerit, & præsentia cernat, & uisurus sit futura. Arcũ uerò huic sagittasq́; conscribunt, siue quòd de circulo eius radij in modum sagittarum exiliãt, seu quòd suorũ radiorum manifestatione omnẽ dubietatis scindat caliginem, unde etiã Pythonẽ sagittis interemisse fertur. Pytho enim Græcè credulitas dicitur, &

† f. tripodẽ

quia omnis falsa credulitas, sicut serpentes, luce manifestante deprimit, Pythonem eum interemisse dicunt.

Quare sine barba dicitur Apollo cùm pater dicatur.

Quia occidendo & renascendo semper est iunior, siue quòd nūquam in sua uirtute deficiat, ut Luna, quæ crescit & minuitur.

Fabula Mercurij.

SI furtis præfuêre dij nō erat opus criminib. iudicē, ex quo culpæ habuêre cœlestē authorem. Mercurium dicunt præfuisse negocijs uirgam ferentē serpētibus nexam, pennatis quoq; talaribus præditū. Hunc etiam internunciū furatrinumq; Deum. Quid sibi uerò huius nominis atque imaginis significatio differat, edicamus. Mercurium dici uoluêre quasi mercium curam. Omnis ergo negociator dici potest Mercurius.

Quare pennas.

Pennata uerò talaria quod negociantium pedes, ubiq; pergendo quasi pennati sunt.

Quare

Quare virgam.

Virgam uerò serpentibus nexam ob hoc adijciunt, quòd mercatoribus det aliquando regnum ut sceptrum, & uulnus ut serpentium.

Quare Galerum & Gallum.

Galero enim cooperto capite pingitur, quòd omne negociū sit semper absconsum. Gallum quoq; in eius ponunt tutelam, siue quòd omnis negociator semper inuigilet, seu quòd ab eius cantu surgant ad peragenda negocia.

Quare Hermes.

Hermes quoq; dicitur Græcè ἑρμηνεῦσαι: id est, quod nos Latinè disserere dicimus, illa uidelicet causa, quòd negociatori linguarum sit disertio necessaria: utraq; enim regna permeare dicitur superna atq; inferna, quod modò uentis in altum nauigans curat, modò demersus inferna tempestatibus appetat.

Quare fur, quare celer dicitur.

Hunc etiam Deum furti ac præsulem uolunt, quòd nihil intersit inter negociantis rapinam atq; periurium, furantisq; deiera-

deierationem ac raptum. Stellam uerò quæ Stilbos Græcè nuncupatur, quam ei Pagani aſcribūt, ex quo etiam diei nomen inuenêre, tantum celerior planetis omnibus currit, ut ſeptima die ſuos permeet circulos, quod Saturnus *XXIIII.* annis & Iuppiter *XII.* poſſunt, unde etiam Lucanus ait:

——motuq; celer Cyllenius hæret.

Quare Argum occidiſſe dicatur.

Deniq; etiam Argum luminum populoſitate cōſeptum interemiſſe fertur, dum oculorum immenſam unius corporis ſegetem, ubique uiua circunſpectione florentem ſingularis uulneris recurſum, falcifero meſſuiſſet curuamine. Quid ſibi ergo tam fabuloſum Græciæ commentum uelit? niſi quod etiam centum cuſtodes totidemque aſtutos ſine negociatione uagos, unde & orgas Græcè uagus dicitur, & furantis aſtutia & negociantis circumueniet aſtuta, falſataq; cautela. Solet igitur alludere his ſpeciebus & honeſtè mendax Græcia, & poëtica garrulitas ſemper de falſitate orna-

ornata phaleratior, ut & Danaë, hymbre aurato corrupta est, non pluuia, sed pecunia. *Danaë.*

Fabula de Ganymede.

ET raptum Ganymedem aquila nō uere uolucris, sed bellica præda. Iupiter enim ut Anacreon antiquissimus autor scripsit, dum aduersus Titanas: id est, Titani filios qui frater Saturni fuerat bellum assumeret, & sacrificiū cœlo fecisset in uictoriæ auspicium, aquilæ sibi adesse prosperum uidit uolatum, pro quo tam felici omine, præsertim quia & uictoria consecuta est, in signis bellicis sibi aquilam auream fecit, tutelæq; suæ uirtuti dedicauit, unde & apud Romanos huiuscemodi signa tractata sunt. Ganymedem uerò bellando his signis præeuntibus rapuit, sicut Europam in tauro rapuisse fertur: id est, in nauem tauri picturam habentem, & is idem in uacca similiter nauim huiuscemodi picturæ: denique ut hoc certius esse cognoscas nauigium Isidis Aegyptus colit. *Aquila in signis bellicis.* *Europæ raptus.*

Fabula

Fabula Persei & Gorgonon.

PErseum ferunt Medusæ Gorgones interfectorem. Gorgones uoluêre dici tres, quarum prima Stheno: Secunda Euryale: Tertia Medusa, quarum quia fabulã Lucanus & Liuius scripserunt poëtæ grammaticorũ scholaribus rudimentis admodum celeberrimi, hãc fabulam referre superfluum duximus. Theocritus antiquitatum historiographus refert Phorcum fuisse regem, qui tres filias locupletes dereliquit. Quarũ Medusa maior quæ fuerat locuples, regnumq; in colendo, fructificandoq; amplia uerat, unde & Gorgõ dicta est, quasi Georgon: nam Georgi Græcè agricultores dicuntur. Serpentino uerò capite ideo dicta est quòd astutior fuerit, cuius regnum opimum Perseus inuadens ipsam quidem interemit, ideò uolaticus dicitur, quòd nauibus uenerit. Cuius capite: id est, substantia ablata ditior factus non parua regna obtinuit. Denique & Athlantis regnum inuadens, quasi per Gorgonis caput: id est, per substantiam

eius

eius eum in montem fugere compulit. Vnde in montem conuersus dicitur esse. Tamen quid hac sibi tam subtili sub imagine ornatrix Græcia sentire uoluerit edicamus: Gorgonas dici uoluerunt tres: id est, tria terroris genera. Primus quippe terror est, qui mentem debilitat: secundus qui profundo quodam terrore mentem spargit: tertius qui nõ solùm mentis intentum, uerumetiam caliginẽ ingerit uisus, unde & nomina tres Gorgones accepêre. Stheno enim Græcè debilitas dicitur, unde & Asteniam infirmitatem dicimus. Secunda Euryale: id est, lata profunditas, unde & Homerus πόλιν εὐρυάγυιαν: id est, Troiam latas uias habentem. Itaq; Medusam quasi μὴ ἰδοῦσαν, quòd uideri nõ possit. Hos ergo terrores Perseus adiuuante sapientia interfecit. Ideò auersus uolat quod uirtus terrorem nunquam aspicit. Speculũ ergo ferre dicitur, quòd omnis terror non solùm in corde, sed etiam in figura trãseat. De sanguine eius nasci fertur Pegãsus in figuram famæ constitutus. Virtus *Pegasus.*

enim

enim dum terrorem amputauerit, famã generat, unde uolare dicitur: quia fama est uolucris. Vnde & Tiberianus: Pegasus hinniens transuolat æthram. Ideò & Musis fontẽ ungula sua rupisse fertur, quòd Musæ ad describendum famã heroum, aut sequantur piorum dicta, aut indicent antiquorum gesta.

Fabula Admeti & Alcestes.

Antithesis vxoris bonæ & malæ.

„ SIcut nihil benigna superius cõiuge, „ ita nihil infesta crudelius muliere. „ Quanto enim sapiens pro uiri sui sa„ lute suam opponit animã pignori, tanto „ maligna ad mariti mortem etiam suam „ reputat nihili. Ergo coniux quantum iu„ re coniunctior, tantum est aut morũ dul„ cedine mellea, aut felle malitiæ toxica. „ Est quippe aut perpetuale refugiũ, aut „ perenne tormentum.

Admetus rex Græcię Alcestẽ in cõniugio accepit, cuius pater edictũ proposuerat, ut siquis duas feras sibi dispares suo currui iũgeret, ipse illam in cõiugio accepisset. Is igitur Admetus Apollinẽ atque Herculem petijt, & ei ad currum

leonem

leonem & aprum iunxerunt. Itaque Alcestem in coniugio accepit. Cumq; in infirmitatẽ Admetus decidiſſet, & mori ſe comperiſſet, Apollinẽ deprecatus eſt. Ille uerò dixit, ſe ei aliquid nõ noſſe pręſtare, niſi quis ſe, de eius propinquis ad mortem, pro eo uoluntariè obtuliſſet, quod uxor fecit. Itaq; Hercules, dum ad Tricerberum canem abſtrahendum deſcenderet, etiam ipſam de inferis leuat.

Admetum poſuêre in modum mentis, ideò Admetus nuncupatus eſt, quaſi quem adire poterit metus. Hic itaq; in cõiugio Alceſtem deſiderat. Alce enim Græcè præſumptio dicitur, unde & Homerus ait: ἀλλὰ οὐκ ἔνι βίη φρεσὶν οὐδέ τις ἀλκὴ, non eſt aliqua uirtus in mentibus, neq; aliqua præſumptio. Ergo mẽs pręſumptionem ſperans ſibi cõiungi, duas feras ſuo currui ſubiungat: id eſt, ſuę uigduas uirtutes aſciſcat animi, & corporis. Leonem ut uirtutem animi, aprũ ut uirtutem corporis. Deniq; & Apollinem & Herculem ſibi propiciet: id eſt, ſapientiã & uirtutem. Ergo præſumptio ſemeti-

ipsam ad mortem pro anima obijcit, ut Alceste, quam præsumptionem quamuis in periculo mortis deficientem, uirtus de inferis reuocat, ut Hercules fecit.

BEATI FVLGENTII EPISCOPI CARTHAGINENSIS MYTHOLOGIARVM AD *Catum Presbyterum Carthaginensem,*

LIBER II.


Tudens mi Domine tuo reuerendo imperio, meam stultitiam uelut naufrago commisi, iudicij bifida ambiguitate suspensus, utrúmne lector quilibet laudet constructa, aut destruat laborata. Sed quia nullatenus hæc nostrum aut nomen extollunt, aut crimẽ officiũt, illo uidelicet pacto, quod si ab his lector melius sapit Deum præferat, qui meliora concessit: sin uerò ab his minus aliqd desipit, ipsum præferat, qui ista contribuit. Ergo & hæc non nostra sunt, sed eius

ius donum, & quæ ampliora eueniunt, non hominis, sed diuinum est largimentum. Sicut enim liuoris nota est silere quod noueram, ita crimen est non enarrare, quod senseram, ergo si his amplius sapis, lauda mentem purissimam, quæ quod habuit non negauit, sed si hæc antè nescieras, habes arenam nostri studij ubi tui exerceas palestram ingenij.

Fabula de iudicio Paridis.

PHilosophi tripartitam humanitatis uoluerunt esse uitam, ex quibus primam theoreticam: secundam practicam: tertiam philargicam uoluêre, quas nos Latinè contemplatiuam, actiuam, uoluptariam nuncupamus, ut etiam Propheta ait: *Beatus vir qui non abijt in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit*: id est, non abijt, non stetit, non sedit. Prima igitur contemplatiua est, quæ ad sapientiam, & ueritatis inquisitionem pertinet, quam apud nos Episcopi, sacerdotes, ac monachi, apud illos philosophi gesserunt. Quos nulla furo-

Vita humana trium generum.

Psal. 1.

Contemplatiua.

ris insania, nullum liuoris toxicum, nullus uapor libidinis, sed tantũ indagandæ ueritatis contemplandæq; iustitię cura macerat, fama ornat, pascit spes. Secũda actiua est, quæ tantùm uitæ commodis anxia, ornatus petax, habendi insatiata, rapiendi cauta, seruãdi sollicita geritur, plus enim quod habeat cupit, quã quod sapiat quęrit, nec considerat quod expediat ubi intercedit qđ rapiat. Denique ideo non perstat stabile, quia non uenit hòneste. Hanc enim uitam penes antiquos aliqui Tyrãni, penes nos mundus omnis gerit. Voluptaria uerò uita est, quæ libidini tantũmodo † noxia, nullum honestum reputat bonum, sed solam uitæ appetens corruptelam, aut libidine mollitur, aut homicidijs cruẽtatur, aut rapina succẽditur, aut liuoribus rancitatur. Sed hoc penes illos Epicurei ac uoluptarij, penes uerò nos huiusmodi uita natura non crimen est. Et quia bonum nemo gerit, nec nasci bonum licet.

Actiua.

Voluptaria.

† f. obnoxia.

Id itaq; considerantes Poëtę triũ dearum ponũt certamina: id est, Mineruam, Iuno-

Iunonem & Venerem, de formę qualitate certantes. Ideò uerò Iouem non posse de his iudicare dixêre, siue quod pręfinitum mundi iudicium ignorabant, siue quia in libertate arbitrij constitutum hominem crederent. Quod itaque si uelut Deus Iupiter iudicasset damnando duas, unam tantum modo terris uitam dimitteret. Sed ideò ad hominē iudicium transferunt, cui liberum deligendi debetur arbitrium. Sed benè pastor, quia nō ut sagitta certus, & iaculo bonus, & uultu decorus, & ingenio sagacissimus, deniq; brutum quiddam desipiuit, & ut ferarum ac pecudum mos est ad libidinē limaces uisus intorsit, quam ante uirtutem aut diuitias requisiuit. Sed quid sibi tres Deæ de tribus uitarum ordinibus uendicent, edicamus.

Fabula Mineruæ.

PRimam uitam theoreticam, quam nos in contemplandæ sapientiæ honore dicimus, ideo de Iouis uertice natā dicunt: quia ingeniū in cerebro positū sit. Ideò armatam quod munita sit.

Gorgana etiam huic addunt in pectore quasi terroris imaginem, ut uir sapiens terrorem cōtra aduersarios gestet in pectore. Cristam cum galea ponunt ut sapientis cerebrum & armatum sit & decorū, unde & Plaut. in Trinummo ait:

Plautus. *Fungino genere est, capite se totum tegit.*

Triplici etiam ueste subnixa est, seu quod omnis sapientia sit multiplex, seu etiam quod celata. Longam etiam hastam fert quòd sapientia longo uerbo percutiat. Triplici etiam ueste, quod omnis sapientia tecta extrinsecus rarius agnoscat. In huius tutelam etiā noctuā uolunt quòd sapientia etiam in tenebris proprium fulgorem possideat. Inde etiam & cōditricem Athenarum eam uolunt. Minerua deniq; & ἀθήνη Græcè dicit quasi ἀθάνατος παρθένος: id est, immortalis uirgo: quia sapientia nec mori poterit, nec corrūpi.

Fabula de Iunone.

IVnonem uerò actiuæ proposuerunt uitæ. Iuno enim, quasi à iuuando dicta est, ideo & regnis præesse dicitur, quod hæc uita diuitijs tantū studeat. Ideo etiam

etiam cũ ſceptro pingitur, quòd diuitię regnis ſint proximæ. Velato enim capite Iunonem ponunt, quòd omnes diuitiæ ſint ſemper abſconſæ. Deam etiam partus uolunt, quòd diuitiæ ſint prægnantes ſemper, & nõnunquam abortiant. Huius quoq; in tutelam ponunt pauum, quod omnis uitæ potentia petax in aſpectum ſui ſemper quærat ornatus: ſicut enim pauus ſtellarum caudæ curuamen concauans anterius faciẽ ornet, poſterioraq; turpiter nudat. Vnde & Theophraſtus ait in moralibus, τὰ ἄλλα πόθει γνῶθι: id eſt, reliqua cõſidera, & Salomon: *in obitu hominis nudatio operũ eius*. Huic etiam Irim quaſi arcum pacis adiungunt, quod ſicut etiam ille ornatus uarios pingens arcuato curuamine momentaliter refugit: Ita etiam fortuna quamuis ad pręſens ornata, tamen eſt citius fugitiua. Eccl. 11.

Fabula Veneris.

TErtiam Venerem uoluptariæ uitæ in ſimilitudinem poſuerunt. Venerem dici uoluerunt, aut ſecundùm

Epicureos bonam rem, an ſecundũ Stoicos uanam rem. Epicurei enim uoluptatem laudant. Stoici uoluptatẽ damnãt. Iſti libidinem colunt, iſti libidinem nolunt: unde & ἀφροδίτη dicta eſt: ἀφρὸς enim Græcè ſpuma dicitur, ſiue ergo qđ ſicut ſpuma libido momentaliter ſurgat & in nihilum ueniat, ſiue quod concitatio ipſa ſeminis ſpumoſa ſit. Denique ferunt Poëtæ, quod exectis falce Saturni uirilibus, atq; in mare proiectis, exinde Venus nata ſit. Illud nihilominus reſpõdere uolens, Poëtica uanitas, quod Saturnus Græcè Chronos dicit̃: Chronos enim Græcè tẽpus uocatur. Abſciſſę ergo uires tẽporis: id eſt, fructus falce quã maximè atq; in honoribus uiſcerum uelut in mari proiectæ libidinem gignant, neceſſę eſt. Saturitatis enim abundãtia libidinem creat, unde & Terentius ait:

Terentius in Eunucho.

Sine Cerere & Libero friget Venus.

Hanc etiam nudam pingunt, ſiue quòd nudos ſibi affectatores dimittat, ſiue quòd libidinis crimen nunquam celatũ ſit, ſiue quòd nõ unquam niſi nudis cõueniat.

ueniat. Huic etiam roſas in tutelam adij ciunt: roſæ enim & rubent & pungunt, ut etiam libido rubet uerecũdiæ opprobrio, pungit etiam peccati aculeo, & ſicut roſa delectat quidem, ſed celeri motu tẽporis tollitur, ita & libido libet momentaliter, & fugit perenniter. In huius etiam tutelam columbas ponunt, illa uidelicet cauſa, quod huius generis aues ſint in coitu feruidæ. Huic etiã tres Charites adijciunt duas ad nos conuerſas, unam nobis auerſam, quod omnis gratia neſcit ſubtilem, ſed ornatum. Hanc etiã in mari natantem pingunt, quod omnis libido rerum patiatur naufragia, unde & Porphyrius in Epigrammate ait: *Charites.* *Porphyrius.*

Nudus egens Veneris naufragus in pelago.

Concha etiam marina pingitur portari, quòd huius generis animal toto corpore ſimul aperto in coitu miſceatur, ſicut Iuba in Phyſiologijs refert.

Fabula Herculis & Omphales.

PArcite quæſo iudices humanis ardoribus, quid enim puerilis aut muliebris ſenſus in amore efficiat, ex

quo in libidinis pugna Herculea desudat uirtus. Mulieris enim illecebra maior est mundo: quia quem mundi magnitudo uincere non potuit, libido, cõpressit. Inuasit ergo uirtutem de crimine fœmina quam mereri non potuit de natura. Hercules enim amauit Omphalen, quæ eum persuasit, & coli delicatos eneruare contractus, & lasciuienti pollice fusi teretem rotare uertiginem. Hercules enim ἡρακλῆς Gręcè dicitur: id est, ἀνδρῶν κλέος: quod nos Latinè uirorũ fortium famam dicimus. Vnde & Homerus: κλέος † οἶον ἀκούομεν: id est, solam famam audiuimus. Ideo Alcei nepos dicitur. Alce enim Græcè præsumptio interpretatur. Nam & † Alcemenam matrem habet, quasi ἁλμυώδης ἑταίραν, qd' Gręcè salsugo dicitur. Nam ex igne igneus, ut ex Ioue, & ex præsumptione, ut ex Alceo auo, & ex salsedine Sapientiæ, ut ex Alcmena, quid nascitur nisi fortitudinis gloria? & tamen à libidine superatur: ὀμφαλὸς enim Gręcè dicitur umbilicus. Libido enim in umbilico dominatur mulieribus,

† μόνον

† Alcmenam uel Alcumenam.

lieribus, sicut: *Non est præcisus vmbilicus* Ezech. 16.
tuus: Quasi diceret: Non est peccatum tuum amputatum. Nam & matrix illic catenata constringitur, unde & epinephridia eodẽ loco firmãdis fœtib. opponuntur. Ostendit ergo qđ libido quãuis etiã inuictã posſit superare uirtutẽ.

Fabula Caci & Herculis.

SI fumum fures eructuant, quis inuolantem dũ negat agnoscat? ergo aut caliginẽ aut fumũ obijcit, ne agnosci posſit, aut in fumũ uanescit substãtia, qđ furtiuè succedit. Cacus enim Herculis boues furatus esse dicitur, quos cauda in spelunca tractos abscondit, quẽ Hercules presso gutture interfecit: κακὸν enim Grecè malum dicimus, ergo omnis malitia fumũ eructuat: id est, aut ꝙ cõtraria sit ueritati: id est, luci, aut quòd acerba sit uidẽtibus ut fumus oculis, aut ꝙ semper occultas obscurasq; cauillationes obijciat. Ideò autem & duplex, ꝙ multiformis malitia non simplex sit. Triplici etiam modo nocet malitia, aut in euidẽti ut potẽtior, aut subtiliter ut fal

sus

ſus amicus, aut occultè ut impoſsibilis latro. Ideò etiam ſubtractos boues trãſuerſis ducit ueſtigijs, quòd omnis malignus aliena ut inuadat, tranſuerſa defenſionis utitur uia. Ideo & bona Herculis concupiſcit: quia omnis malignitas contraria eſt uirtuti. Deniq; in ſpelunca abſconditur: quia nunquam aperta malignitas liberiore fronte ſit, ſed uirtus & malos interficit, & ſua uindicat.

Fabula Antæi & Herculis.

ANtæus in modum libidinis ponitur, unde, & ἀντίον, Græcè contrarium dicimus. Ideò & de terra natus, quod ſola libido dę carne concipitur. Deniq; tacta terra ualidior exugebat: Libido enim quanto carni conſenſerit, tanto ſurgit iniquior. Deniq; à uirtute glorię quaſi ab Hercule ſuperatur. Nã denegato ſibi terrę tactu moritur altiúsqúe eleuatus materna nõ potuit mutuari ſuffragia, quo euidentem ſuę rei fabulam demonſtraſſet. Omnem enim mentem dum uirtus in altũ ſuſtulerit, & carnalibus eã etiã denegauerit aſpectibus, uictrix

uictrix ſtatim exurgit. Ideò etiam & diu in certamine dicitur deſudaſſe: quia rara eſt pugna, quæ cum concupiſcentia uitijsq; cōngreditur, ſicut Plato in moralibus ait: Sapientes uiri maiorem cũ uitijs, quàm cum inimicis pugnam gerũt. Plato. Nam & Diogenes Cynicus cum dolore ramicum torqueretur, & uidiſſet homines ad amphitheatrum concurrentes dicebat: Qualis hominum ſtultitia, currunt ſpectare feris homines repugnantes, & me prætereunt cum naturali dolore certantem. Diogenes.

Fabula Tireſiæ.

TIreſias duos ſerpentes concumbentes uidit, quos cùm uirga percuſsiſſet in fœminam conuerſus eſt. Iterũ poſt temporis ſeriem eos concumbẽtes uidit, ſimiliterq; percuſsis iterum eſt in priſtinam naturam conuerſus. Ideoq; dum de amoris qualitate certamẽ Iuno & Iupiter habuiſſent, eum iudicem quęſierunt. Ille dixit tres uncias habere uirũ amoris, & nouẽ fœminam. Iuno irata ei lumen ademit. Iupiter uerò ei diuinitatẽ

concef-

concesſit. Græcia enim quãtum ſtupenda mendacio, tantum eſt admiranda cõmento. Tireſiam enim in modum temporis poſuêre, quaſi θερινaέων, id eſt, ęſtiua perẽnitas: θέρος enim dicitur ęſtas, ergo ex uerno tẽpore, quod maſculinum, quia eodẽ tempore clauſura ſoliditasq; eſt germinum, dũ coëuntia ſibi affectu animalia uiderit, eaq; uirga: id eſt, feruoris æſtu percuſſerit in fœmineum ſexum conuertitur: id eſt, æſtatis feruorem. Ideò uerò æſtatem poſuêre in modum fœminæ, quòd omnia patefacta eodẽ tempore ſuis emergant folliculis, & quia cõcipiendi duo ſunt tempora, ueris & autumni, iterum cõceptu prohibito ad priſtinam redit imaginẽ. Autumnus enim ita maſculino corpore omnia conſtringit, quo conſtrictis arborum uenis uitalis ſucci cõmertiales tranſennas interius ſtringens, foliorum marculentam detundat caluitatem. Deniq; duobus dijs: id eſt, duobus elementis arbiter quæritur, igni atq; aëri, de genuina amoris ratione certantibus. Deniq; iuſtũ profert iudicium:

dicium. In fructificādis enim germinib. dupla aëri quàm igni materia suppetit. Aër enim maritat in glebis, & ꝓducit in folijs, & grauidat in folliculis: Sol enim maturare tantū nouit in granis. Nam ut hoc certū sit, cæcatur à Iunone illa uidelicet causa, quòd hyemis tempus aëris nubilo caligante nigrescat. Iupiter uerò occultis uaporis cōceptionem statim ei futuri germinis subministrat: id est, quasi præscientiam. Nam ob hanc rem Ianus bifrons pingitur, quòd & prę terita, & futura respiciat. *Ianus bifrons.*

Fabula Promethei.

NVlla quærantur ultra terris munimina, dū usq; in cœlū peruenerint furta, aut quę securitas erit argenti & auri, ubi flamma potuit inuolari. Prometheum aiūt hominē ex luto finxisse, quem quidem inanimatum atq; insensibilem fecerat, cuius opus Minerua mirata spopōdit ei, ut si quid uellet de cœlestib. donis ad suū opus adiuuandū inquireret. Ipse nihil se scire ait, quæ bona in cœlestib. haberentur, sed si fieri posset se

usq;

usq; ad superos eleuaret, atque exinde si quid figulinæ congruum cerneret melius inire: id est, propter septem liberales artes, uel propter septem planetas, quæ in aëre currunt oculatus arbiter præsum psisset. Illa inter oras septẽplicis Clypei sublatum, cœlo opificẽ detulit. Dumq; uideret omnia cœlestia flãmatis animata uegetare uaporibus, clam ferulã Phœbeacis applicans rotis, ignẽ furatus est, quem pectusculo hominis applicans animatum reddit corpus. Itaq; ligatum eum uulturi ferè iecur perẽne prębentẽ: ut Nicogoras in disthemithea, libro quem scripsit, primum illum formasse Idolum refert, ex eo quòd uulturi iecur prębeat, liuoris quasi pingat imaginem. Vnde & Petronius Arbiter ait:

Cui uultur iecur ultimum pererrat,
Et pectus trahit, intimasq; fibras:
Non est quem tepidi uocant Poëtæ,
Sed cordis mala, liuor atq; luxus.

Nam & Aristoxenes in Epimetheiorum libro, quem scripsit, similia, profert. Enimuerò Prometheũ quasi προμήθειαν, quod

quod nos Latinè prouidentiã dicimus, ex Dei prouidentia & Minerua quasi cœlesti sapientia hominem factum. Diuinum uerò ignem, quem uoluere, animam monstrant diuinitùs inspiratam, quæ apud Paganos dicitur de cœlis tracta. Iecur uerò Prometheũ uulturi præbentem, quod nos cor dicimus, quia in corde aliquanti philosophorum dixerũt esse sapientiã. Vnde & Iuuenalis ait:

–si læua in parte pupillæ Nil salit Arcadico iuueni.–

Denique uulturem in modum mundi posuêre, quòd mundus celeri quadam uolucritate uersetur, & cadauerum nascentium occidentiũq; perennitate depascitur. Itaque alitur ac sustentatur diuinæ sapientiæ prouidentia, quæ nec ipsa finiri nouit, nec mundus cessare ab eius elementis aliquatenus possit. Deniq; Pandoram dicitur formasse. Pandora enim Grçcè omnium munus dicitur, quòd anima munus sit omniũ generale. *Pandora.*

Fabula de adulterio Veneris.

IVstè uel Sol Veneris depalat adulterium, quatenus solet Luna eius cela-

re secretum. Venus enim cum Marte cõcubuit, quam Sol inueniens Vulcano prodidit. Ille adamante catenas effecit, ambosq; religans, dijs turpiter iacentes, ostendit: illa dolens quinq; filias Solis amore succẽdit, id est enim Pasiphaën, Medeam, Phædram, Circem, Dircẽ. Quid sibi de hoc Poëtica alludat garrulitas, inquiramus. Perstant nunc in nostra de hac fabula uita, certa admodum testimonia. Nam uirtus corrupta libidine, Sole teste apparet. Vnde Ouidius in Metamorphoseon ait:

Metamorph. 4.

—uidet hic Deus omnia primus.

Quæ quidem uirtus corrupta libidine turpiter catenata feruoris constrictione tenetur. Hęc itaq; quinq; Solis, filias: id est, quinq; humanos sensus luci ac ueritati deditos, quasi Solis fœtus hac corruptela fuscat, ob hanc rem etiam huiuscemodi nomina quinq; ipsis Solis filiabus uoluere, primam Pasiphaën, ut uisum quasi πᾶσι φανόν, quod nos Latinè omnibus apparentem dicimus. Visus

enim

enim reliquos quatuor ſenſus inſpicit, quia & eum, qui clamat uidet, & palpando notat, & deguſtando aſpicit, & odorando intendit. Secundam Medeā quaſi auditum, hoc eſt, † μηδὲν ἴδειαν, quod nos Latinè nullam uiſionem dicimus. Tertia Phædra, quaſi odoratus, uelut ſi dicat * φέρων ἥδων, quaſi afferens ſuauitatem. Quarta Circe, quaſi tactus uelut ſi dicas † χερῶν κριτὴ, qđ Latinè manus dijudicationē dicimus. Quinta Dirce ſaporis iudex, quaſi * δεινὰ κρινή, quod nos Latinè acre iudicans dicimus.

† μηδ᾽ ἰδέαν, i. nullā ſpeciem.

* φέρων ἡδονήν

† χειρὸς κρίσις ἢ κριτὴς

* δεινὰ κρίνων

Fabula Vlyßis & Syrenum.

SYrenes Grecè tractatoriæ dicuntur. Tribus enim modis illecebra amoris trahitur, aut cātu, aut uiſu, aut cōſuetudine. Amātur enim quædā ſpeciei uenuſtate, quędam etiā lenocināte conſuetudine. Quas Vlyſsis ſocij obturatis auribus tranſeunt. Ipſe uerò religatus tranſit. Vlyſſes enim Græcè quaſi ὅλων ξένος, omniū peregrinus dicitur. Et quia ſapientia ab omnibus mundi rebus peregrina eſt, ideò aſtutior Vlyſſes dictus

est. Deniqꝫ Syrenas: id est, delectationũ illecebras & audiuit & uidit: id est, agnouit & iudicauit, & tamen transit nihilominus. Ideò quia auditæ sunt, mortuæ sunt. In sensu enim sapientis omnis uoluptatis affectus moritur. Ideò uolatiles: quia mentes amantium permeant celeriter: inde gallinaceos pedes, quia libidinis affectus omnia, quæ habet, spargit. Denique & Syrenes directæ sunt: σύρω enim Græcè traho dicitur.

Fabula Scyllæ.

SCyllam ferunt uirginẽ pulcherrimã, quam Glaucus Anthedonis Filius amauit, quem Circe Solis filia diligebat, irataqꝫ Scyllæ, fontem in quo lauari solita erat uenenis infecit. Vbi illa descẽdens ab inguine lupis canibusqꝫ marinis inserta est. Scylla enim Græcè, quasi σκύλμων, dicta est, quod nos Latinè cõfusionem dicimus. Et quid confusio nisi libido est? Quam libidinẽ amat Glaucus. Glaucus enim Gręcè luscitiosus dicitur unde & glaucomata dicimus cęcitatem: ergo omnis qui luxuriã amat, cęcus

ὁ σκυλμὸς uel τὸ σκύλμα uexationem significat.

cus est. Nam & Anthedonis filius dictus est: Anthedon enim Græcè quasi † antidon, quod nos Latinè contraria ui dens, ergo lippitudo ex contraria uisione nascitur. Scylla enim in modum ponitur meretricis: quia omnis libidinosa canibus lupisque inguina sua necesse est misceat. Iustè ergo lupis & canibus mixta: quia nescit sua alienigenis deuorationibus saturare secreta. Sed hanc Circe odisse dicitur. Circe ut antè dictum est, manus diiudicatio uel operatio nuncupatur, † χειρῶν κρίσις, laborem enim manuum & operationem libidinosa mulier non diligit, sicut Terentius ait: † ἀντία εἴδων † χειρὸς κρίσις

A labore procliue ad libidinem,
Accepit conditionem, de hinc quæstum occipit.

Terentius in Andria.

Hanc etiam Vlysses innocuus transit: quia libidinem sapientia contemnit.

Fabula Mydæ Regis & Pactoli Fluuij.

MYda rex Apollinem petiit ut quicquid tetigisset, aurũ fieret. Cumque promeruisset, munus in ultionẽ cõuersum est, cœpitque sui uoti effectu torqueri. Nam quicquid tetigerat aurũ sta-

tim efficiebatur. Erat ergo necessitas aurea locuplesq; penuria. Nam & cibus & potus rigens auri materia marmorabat. Itaq; Apollinem petijt, ut mala desiderata cōuerteret. Responsoq; accepto, ut tertio caput sub Pactoli fluminis undas subderet. Quo facto, Pactolus deinceps aureas arenas trahere dicitur. Sed euidenter Poëtæ alluserunt argutiam, illa uidelicet causa, quod omnis appetitor auaritiæ, cùm omnia precio destinat, fame moritur, quod & Myda rex erat, sed collecta pecuniarum summa, ut Sosicrates Cizicenus in libris historiæ scribit, quod omni censu suo Myda rex Pactoli fluuium, qui in mare currere solitus erat per innumerabiles meatus ad irrigandam prouinciam deriuauit, suaq; expensa auaritia fluuium fertilē reddidit: Myda enim Græcè quasi μηδὲν εἴδων: id est, nihil sciēs. Auarus enim tantum stultus est, ut sibi prodesse non norit.

Fabula Vulcani & Mineruæ.

VVlcanus cùm Ioui fulmen efficeret ab Ioue promissum accepit, ut quic-

quicquid uellet præſumeret. Ille Mineruam in coniugium petijt. Iupiter impetrauit ut Minerua armis uirginitatē defendiſſet: Dumq; cubiculum introirent certando, Vulcanus ſemen in pauimentum eiecit, unde natus eſt Erichthonius. Ἔρις enim Græcè certamen dicitur χθὼν, χθονὸς uerò terra nuncupatur, quem Minerua in ciſta abſcondit, draconeq; cuſtode appoſito, Aglauro & Pandorę cōmendauit, qui primus currum reperit. Vulcanū dici uoluêre quaſi furiæ ignē: unde & Vulcanus dicitur, ueluti uoluntatis calor, quaſi † βυλίκαπνος. Denique Ioui facit fulgura: id eſt, furorem concitat, ideò uerò eum Mineruæ coniungi uoluerunt, quod furor etiam ſapientib. ſubrepat. Illa uerò armis uirginitatē defendit: hoc eſt, omnis ſapientia integritatem morum contra furiam uirtute animi uindicat, unde quidē Erichthonius naſcitur. Ἔρις enim Grecè certamen dicitur: χθὼν uerò non ſolum terra quantum etiā inuidia dici poteſt, unde & Thales Mileſius ait: ὦ χθὼν δ' ὀξῆς κοσμικῆς σύρησις:

Erichthonius.

† βυλῆς καπνός.

Thales Mileſius.

 id eſt,

id eſt, inuidia mundanæ gloriæ cõſumptio, & quid nam aliud ſurripiens ſapiẽtiæ furor generare poterat niſi certamen inuidiæ? Quod quidem ſapientia: id eſt, Minerua abſcondit in ciſta: id eſt, in corde celat, ergo Minerua draconem cuſtodem apponit: id eſt, perniciem, quẽ quidem duabus commendat uirginibus: id eſt, Aglauro & Pandorę. Pandora enim uniuerſale dicitur munus. Aglauro uerò ἀχόληρον: id eſt, triſtitiæ obliuio. Sapiens enim dolorem ſuum, aut benignitati commendat, quæ omnium munus eſt, aut obliuioni, ſicut de Cæſare dictũ eſt: Qui obliuiſci nihil amplius quã iniurias ſoles. Denique cùm Erichthonius adoleſceret, quid inueniſſe dicitur? nihilominus currum, ubi inuidiæ ſemper certamen eſt. Vnde Virgilius:

ἄχολος mœroris expers.

Primus Erichthonius currus & quatuor auſus
Iungere equos —

Inſpicite quantum ualeat cum ſapientia iuncta caſtitas, cui flammarum nõ Deus ualuit.

Fabula

Fabula Dionysij.

IVpiter cum Semele cõcubuit, de qua natus est Liber pater ad quam cũ fulmine ueniẽs crepuit, unde pater puerũ tollẽs in femore suo misit. Maroni postea nutriendum dedit, hic Indiã debellauit, & inter Deos deputatus est. Itaq; cũ Semele quatuor sorores appellatę sunt, Ino, Autonoë, Semele, & Agaue. Quid sibi hęc fabula sentiat, exquiram9. Quatuor sunt ebrietatis genera: id est, prima uinolentia: secũda rerum obliuio: tertia libido: quarta insania, unde & nomina hæc quatuor Bacchæ acceperunt. Bacchæ dictæ sunt, quasi uino uacantes. Prima Ino, οἶνος Gręcè, Latinè uinum dicimus. Secunda Autonoë. quasi αὐτονοὴ: id est, se ipsam non cognoscens. Tertia Semele quasi σῶμα λύων, quòd nos Latinè corpus soluẽs dicimus. Vnde & ipsa genuisse Liberum patrem dicitur: id est, de libidine nata ebrietas. Quarta Agaue, quæ ideò insaniæ comparatur, quod caput filij uiolenter abscidit. Liber uerò pater dictus est, quia uini paßio liberas Quatuor genera ebrietatis.

mentes faciat. Indos uerò uiciſſe, quòd hæc gens ualde ſit uino dedita, duobus ſcilicet modis, ſiue qa feruor Solis eos faciat potare, ſiue quia ibi ſit Seraptenum uinũ uel Meroitanum: Cuius uini tanta uirtus eſt, quod uix quilibet ebrioſus ſextarium toto mẽſe bibat, unde & Lucanus ait:

Indomitum Meroē cogens ſpumare Falernũm.

Aqua enim omnino domari non poteſt. Maroni etiam Dionyſius nutriendus datur, quaſi Meroni. Mero enim omnis nutritur uinolentia, hic etiam tigribus dicitur ſedere, quòd omnis uinolentia feritati ſemper inſiſtat. Siue etiã quia uino efferatæ mentes mulceantur, unde & Lyæus dicitur quaſi lenitatem præſtans. Iuuenis uerò gignitur Dionyſius, quia nunquam ebrietas matura eſt. Ideò etiam nudus: quia omnis ebrioſus interuertendo nudus remaneat, aut mẽtis ſuæ ſecreta ebrioſus nudet.

Fabula de Cygno & Læda.

QVamuis in omnibus libidinis amor

turpior

turpior sit, nunquam tamen deterior erit, quàm cum se honorato miscuerit. Libido enim honestatis nouerca, dum quid expediat nescit, semper est maiestati contraria. Qualis enim diuinitas eius, qui sit, quod esse uelit, ne quidem quod fuerat esset, conuersus in Cygnum cum Læda concubuit, quę peperit ouum, unde nati sunt tres: Castor, Pollux & Helene. Sed hæc fabula mystici saporem cerebri concipit. Iupiter enim in modum potentiæ ponitur: Læda uerò dicta est, quasi λοιδὴ quòd Latine aut iniuriã aut conuitium dicimus: ergo omnis potentia iniuriæ mixta speciem suæ generositatis mutat. Ideò in Cygnum conuersus dicitur, quod ferunt physiologi quã maximè Melissus Euboicus, quod omniũ physiologorum sententias disputauit, huius generis auem conuitijs ita esse plenam, ut ipsa aue clamante reliquæ aues taceant, quæ præsto fuerint. Vnde & olor dictus est, quasi ab ὀλιγωρίᾳ tractum, quod nos Latinè iniuriam dicimus: ergo quotiescunque nobilitas in iniuriam

λοιδορία, cõuitium.

riam uergit, conuitijs misceatur necesse est. Sed quid ex hac re cõcipitur uideamus. Nihilominus ouum: quia sicut in ouo omnis sordities, quę purgari potest in ignem continetur intrinsecus : ita etiam in effectu iniuriæ omnis est immũditia. Sed ex hoc ouo generantur tres. Castor, Pollux, & Helene. Nihilominus seminarium scandali & discordiæ, sicut antea diximus:

Et geminum luctum concussit adultera mundo.

Castorem uerò & Pollucẽ, quasi in modum perditionis ponunt, unde & in mari castorum signa dixerunt, quæ periculum creant. Nã ob hanc rem etiã ambos alternatim resurgere, atq; occidere dicũt quòd superbia nonnunquam uiuat nõnunquam occidat, unde & Græcè ὑπερηφανία superbia dicitur. Sed ὑπερηφανία propriè superapparitio dicitur: quia in istis duobus signis quæ eorum uocabulo fratrum nuncupauêre, unus super appareat, alter uergat, sicut Lucifer & Antifer. Nam Græcè Pollux ἀπὸ τοῦ ἀπολλεῖν, id est, à perdendo, & Castor quasi κα-

κακόμυστερον, id eſt, malum extremum.

Fabula Ixionis.

QVi plus quærit, quã liceat eſſe, minus erit quàm eſt. Ixion igitur cõiugiũ Iunonis affectãs, illa nubem ornauit in ſpeciẽ ſuam, cũ qua Ixion coiẽs centauros genuit. Sicut nihil Latina gratioſius ueritate, ita nihil Gręca falſitate ornatius. Deniq; Ixionem dici uoluêre quaſi axionem: ἀξιότης enim Græcè dignitas dicitur. Dea uerò regnorum Iuno eſt, ut pridem diximus, ergo dignitas regnum affectãs nubem meretur: id eſt, ſimilitudinem regni. Regnum enim illud eſt, quod perẽniter duraturum eſt. At uerò cui tẽporis fugitiua uis inuidet, pinnatisq; celerrima raptibus momentaneę felicitatis figuras potiùs quàm ueritatem oſtendens, uẽtoſitatem inanem ſpeciem pręſumit. Deniq; Beatinius augur dicere ſolitus erat diuerſarũ urbium honores, ſomnialiter peragi urbicatio mimologo, & quamuis utraq; nihil agere dixerit, tamen hoc Romæ præſtare uiſus eſt, quod ex parte quidem ueros honores,

nores, sed risorios, sed citius fugitiuos. Credo enim quod de Theophili philosophi sententia legeret dicentis μῖμος ὁ βίος: id est, mimus uita. Nunc ergo fabulam repetamus. Dromocrides in Theogonia scripsit Ixionem in Græcia primũ regni gloriam affectasse qui centum equites primus omniũ acquisiuit, unde
Centauri. & Centauri dicti sunt, quasi centum armati. Deniq; Centhippi dici debuêre, ex quo etiam equis mixti pinguntur. Qui quidem Ixion paruo tempore celebre regnum adeptus, dehinc regno expulsus est, unde & eum ad rotam damnatum dicunt, quòd omnis rotæ uertigo, quæ superiora habet, modò deijciat. Ergo ostendere hîc uoluerunt, quod omnes, qui per arma atque uiolentiam regnum affectant, subitò erectiones, subitò elisiones sustineant, sicut rota, quæ stabile non habet aliquando cacumen.

Tantali Fabula.

TAntalum dicunt in lacum inferni depositum, cui fallax aqua gulosis labia

labia titillamentis attingit, poma quoq; fugitiuus cinerescẽtia tactibus desuper facietenùs apparent pendula. Ergo hic locuples uisus & pauper effectus ita se illi unda fallax præbet ut sitiat, ita se poma ingerunt ut esuriat. Hanc fabulam Petronius breuiter exponit dicens.

Nec bibit inter aquas, nec poma natantia carpit,
Tantalus infelix, quem sua uota premunt.
Diuitis hæc magni facies erit, omnia latè
Qui tenet, & sicco concoquit ore famem.

Fabula Proserpinæ & Endymionis.

LVnam ideò ipsam uoluerunt etiam apud inferos Proserpinã, seu quòd nocte luceat, seu ꝙ humilior currat & terris præsit, illo uidelicet pacto, quod detrimenta eius & augmenta, nõ solùm terra, sed & lapides, uel cerebra animantium, & quod magis incredibile sit etiam lætamina sentiant, quæ in Lunæ crementis eiecta uermiculos parturiunt. Ortis ipsam etiam Dianam memoribus uolunt simili modo, quod arborum & fruticum succo augmenta inculcet.

culcet. Deniq; cremẽtis Lunæ abſciſa ligna furfuraceis tinearum terebraminibus fiſtuleſcunt. Nemoribusq́; adeſſe dicitur: quia omnis uenatio plus nocte paſcatur, dieq́; dormiat. Endymionem uerò paſtorem amaſſe dicitur duplo ſcilicet modo, ſeu quòd primus hominum Endymion curſum Lunæ inuenerit: Vnde & triginta annis dormiſſe dicitur, qui nihil aliud in uita ſua niſi huic repertioni ſtuduit, ſicut Mnaſeas in primo libro de Europa ſcribens tradidit, ſiue paſtorem Endymionam amaſſe fertur, quia nocturni roris humor, quem apporia ſyderum atque ipſius Lunæ animantis herbarum ſuccis inſudant, paſtoralibus proſit ſucceſsibus.

BEA-

BEATI FVLGENTII EPISCOPI CARTHAGINENSIS MYTHOLOGIARVM AD *Catum Presbyterum Carthaginensem,*

LIBER III.



INſcientię formidoloſa ſuſpectio ſemper excuſandi quærit ſuffragia. Quo quicquid ignorantia incurſionum mater peccauerit, id uenię abſoluat petitio, quæ culpas ueſtire conſueuit. Sed quia nunquā de ſe malè exiſtimat ſermo, qui ad amantem iudicem mittitur, idcirco meæ ſimplicitatis negocium tuo Domine puriſsimo quidem commiſi iudicio, fretus quia quicquid abſurdè digeſtum eſt, ut non inuidus detrahis, ſed ut doctiſsimus corrigis.

Fabula Bellerophontis.

PRœtus rex uxorem habet Antiam nomine, quæ amauit Bellerophontem, cui dum ob ſtupri cauſam mandaſſet, ille noluit, quem marito criminata eſt.

ta est. Ille eum ad Chymærã interficiendam misit prosocero suo. Quam Bellerophon equo Pegaso residens interfecit, qui de Gorgonis sanguine natus fuerat. Bellerophonta posuerũt quasi βουληφορόντα, quod nos Latinè sapientiæ consiliatorem dicimus, Homerus ait in β Iliados:

ου χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα:

Id est, *nec decet tota nocte dormire cõsiliatorem virum.* Nam & Menander similiter in disexapoto comœdia ita ait:

Βουλήφορε ὑμῶν ἐξ μοῦ πρόλαβες ὅρασιν:

Id est, *consiliarie nostram de mea præoccupasti visionem.* Nam ut hoc certum sit, Homerus in fabulam eiusdem Bellerophontis ita ait:

ποιθ' ἀγαθὰ φρονέον τὰ δαίφρονα βελλεροφόντην:

Id est, *bona cogitantum sapientissimũ consilium spernit, libidinem:* id est, Antium. Antio enim Græcè contrarium dicitur, sicut Antichristũ dicimus, quasi ἀντίον τοῦ χριστοῦ: id est, cõtrarius Christo. Vide itaq; cuius uxor Antia dicatur nihilominus Præti. Prætos Pamphila lingua sordidus

didus dicitur, ſicut Heſiodus in Bucolico ludicro ſcribit dicens: id eſt, ſordidus uuarum benè rore, & cuius uxor eſt libido niſi ſordidi? At uerò Bellerophon: id eſt, bona conſultatio, qualem equum ſedet niſi Pegaſum, quaſi pegaſcon: id eſt, fontem ęternum. Sapientia enim bonæ conſultationis ęternus fons eſt. Ideò pennatus: quia uniuerſam mundi naturam celeri cogitationum theoria collustrat. Ideò & Muſarũ fontẽ ungula ſua rupiſſe dicitur. Sapientia enim dat Muſis fontem. Ob hãc rem etiam ſanguine gorgonio naſcit̃: Gorgõ enim ꝑ terrore ponit̃. Ideò & Mineruæ pectore fixa eſt, ſicut Homerus in tertio decimo ait:

πρόσθε λέων ὄπισθε δὲ δράκων μέσση δὲ χίμαιρα.

Ergo hîc duplex aſſertio eſt. Aut enim terrore finito ſapientia naſcitur, ſicut de ſanguine: id eſt, de morte Gorgonis Pegaſus: quia ſtultitia ſempꝛ eſt timida, aut initium ſapientiæ timor eſt: quia & magiſtri timore ſapientia creſcit, & dum quis famam timuerit, ſapiens erit, unde & Chymæram occidit. Chymæra enim

κυματερῶτος quasi κυμέρωτος: id est, fluctuatio amoris. Ideò etiam triceps Chymæra pingitur: quia amoris tres modi sunt: hoc est, incipere, perficere & finire. Dum enim amor nouiter uenit, ut leo feraliter inuadit, unde & Epicharmus comicus ait:

Δομάστης ἔρως λεοντείᾳ δυνάμει θάλλερος:

Id est, *domitor cupido laötea virtute præsumptior.* Nam & Virgilius in Georgicis tetigit, dicens:

——Catulorum oblita leæna
Sæuior errauit campis.——

At uerò capra quę in medio pingit̃, pfectio libidinis est, illa causa uidelicet, qđ huius generis animal sit in libidinē ualde procliuũ. Vnde Virgilius in Bucolicis ait: *—hædiq; petulci.* Ideò & Satyri cum caprinis cornib. depinguntur: quia nunquam nouere saturari libidine. At uerò quod dicitur postremũ draco illa ratione ponit̃: quia post perfectionē, uulnus det pœnitentiæ, uenenumq; peccati. Erit enim hic ordo dicendi, quòd primus sit in amore inchoare: secundum perficere: tertium uerò pœnitere de perfecto uulnere.

Fabu-

Fabula Perdicis.

SEmper delicata cõsuetudo laborioso fert præiudicium operi, & mollitur educatu, dum quod non optat euenerit, pœnitentiam creat. Melius est enim laborare partiliter, securius edoceri quàm ex necessitate ueniente repẽtaliter perterreri. Perdicem ferunt uenatorem esse, qui quidem matris amore correptus, dum utrinq; & immodestia libido ferueret, & uerecundia noui facinoris reluctaretur, consumptus atq; ad extremam labem deductus esse dicitur. Primus etiam serram inuenit, sicut Virgilius ait;

Nam primi cuneis scindebant fissile lignum.

Sed ut Fenestella, Martialis, ait uel scribit, hic primùm uenator fuit, cui cùm ferme cædis cruenta uastatio, & solitudinẽ uagabunda errando cursilitas displiceret, plusquàm etiam uidens Conthyroletas suos: id est, Actęonẽ, Adonin, Hyppolitum, miserandæ necis functos interitu, artis pristinę affectui mittens repudium agriculturã est affectatus, ob quã

rem matrem quasi terram omniũ genetricem amasse dicitur. Quo labore consumptus etiã ad maciem peruenisse dicitur: quia cunctis uenatoribus de pristinæ artis opprobrio detrahebat, serram quasi maliloquium fertur reperisse. Matrem etiam Polycarpem, quod nos Latinè multifructã dicimus: id est, terram.

Fabula Actæonis.

CVriositas semper periculorum germana, detrimenta suis amatoribus nouit parturire quàm gaudia. Actæon deniq; uenator Dianam lauantẽ uidisse dicitur, qui in ceruum conuersus à canibus suis non agnitus eorum morsibus deuoratus est. Anasimenes, qui de picturis antiquis disseruit in libro secundo, ait uenationem Actæonem dilexisse, qui cùm ad maturam peruenisset ętatem desideratis uenationum periculis: id est, quasi nudã artis suæ rationẽ uidẽs timidus factus est. Vnde & cor cerui habere dicitur, unde & Homerus ait:

οἰνοβαρὴς κυνὸς ὄμματ' ἔχων κραδίην δ' ἐλάφοιο:

Id est, *ebriose oculos canis habens & cor cerui.*

cerui. Sed dum periculum uenandi fugeret, affectum tamē canū non dimisit, quos inaniter pascendo penè omnem substantiam perdidit, ob hanc rem à canibus suis deuoratus dicitur esse.

Fabula Hero & Leandri.

AMor cum periculo sæpe concordat, & dum ad illud solum natat quod diligit, nunquā uidet, quod expedit: ἔρως enim Græcè amor dicitur. Leandron uerò dici uoluerūt quasi λύσιν ἀνδρῶν: id est, uirorū solutio. Solutio enim uiri amorē parturit. Sed natat nocte: id est, obscuro tempore tentat pericula. Hero quoq; in amoris similitudine fingitur lucernam ferre, & quid aliud amor nisi flammam fert, & desiderāti periculosam uiam ostendit. Citò tamē extinguitur; quia iuuenilis amor non diu perdurat. Deniq; nudus natat, illa uidelicet causa, quòd suos assectatores amor & nudare nouerit, & periculis, sicut in mari iactare. Nā extincta lucerna utriusque mors est procurata maritima, hoc in euidenti significans, quod in utroq;

ſexu uapore ætatis extincto libido commoritur. In mari uerò mortui ferunt, uelut in humore frigidæ ſenectutis. Omnis enim coloratæ iuuentutis igniculus tepidæ ueternoſitatis algeſcit in ſenio.

Fabula Berecyntiæ & Attis.

DEcepta Græcia credulitate dęmonum potiùs quàm deorum, nunquam deterius ſuis dijs reponeret, quàm ut eorum matrẽ ueternoſam anũ non ſolũ puerilem amatu, quantũ etiam fingerẽt Zelotypam. Tantum enim zeli ſuccenſa anus inuidioſa flagrauit, quę nec ſuis utilitatibus furioſa pepercit, & unde fructũ ſperabat libidinis, illud ueterana ſuccideret meretrix. Et quamuis apud muliebres animos libido obtineat regnum, tamẽ etiam inuicta libidine zelus obtinet dominatum. Berecyntia enim mater deorum Attin puerum formoſiſsimum amaſſe dicitur, quem zelo ſuccenſa caſtrando ſemimaſculum fecit. Quid ergo ſibi in his Græcia ſentire uoluerit, edicamus. Berecyntiam dici uoluêre quaſi mortuam dominã. Ideò matrem

trem deorum, quod Deos nũcupari per ſuperbiam uoluêre. Ideò eos in Olympo habitantes quaſi excelſos & ſuperbos. Ideò & dęmonas nuncupant ſecundùm Homerum, qui dicit: μετὰ δαίμονας ἄλλους: id eſt, cum † Deos alios: δῆμος enim Græcè populus dicitur, is dicitur unus, & quia populos ſubderę cupiebant, & ſoli ſuper populos eſſe, dæmones dicti ſunt, ideò & apud Romanos indigetes. Ergo Berecyntiam montibus præeſſe dixerũt bernicinthos. Cynthos enim Attica lingua flos nuncupatur, unde & Iacinthus dicitur quaſi ἰκινθος, quod nos Latinè ſolus flos dicim9, quaſi omnibus perfectior. Nam & Epicharmus ita ait: παγκαρπίος στέφανος καὶ περὶ ἀκτῶν πρόβατιν χρύσαλος: Id eſt, *florigera corona, atque è littoribus procedit Chryſalus.* Itaq; florem quamuis quilibet amet tamen abſcindit, ut Berecyntia in Attin fecit. Attis enim Græcè flos dicit̃, ut Soſides Atticus in libro Theologumenõ, quem appellauit ſcribit, matrem Deûm in modum potentiæ uoluit

† Dijs alijs

poni, unde Cybele dicitur, quaſi Cedos baleon: id eſt, gloriæ firmitas, unde & Homerus ait, quod eſt, cui Iupiter gloriam donauerat, ergo ideò turrida pingitur, quòd omnis potentiæ elatio ſit in capite. Ideò Leonum currui præſidens: quia omnis potentia regno ornata ſit. Sceptrum etiã fert, quòd omnis potentia uicina regno ſit, ob hanc rem etiã mater Deûm dicta eſt, illud nihilominus oſtendere uolentes quod ſiue indigetes, ſiue dij, ſiue dæmones apud antiquos à diuitijs dicti ſunt. Ergo potentia diuitũ mater eſt, unde & Homerus Agamemnonem conſiderans ait:

ἀτρεΐδη τέο δ' αὖτε πιτεμφέαι ἠδὲ χατίζεις.

Nec non, etiam Euripides conſimilans Tantalum Ioui in tragœdia Electræ ait: quod eſt Beatus ille, nec inuideo fortunas eius, Iouis ęqualis, ut dicitur Tantalus: ergo potẽtiæ gloria ſemper & amore torretur, & liuore torquetur, citoq; abſcindit quod diligit, dum tamen amputet illud, quod odit. Denique omnis nunc uſq; potentia neſcit circa ſuos diuturnum

turnum ſeruare affectum, & quod amauerit citò aut zelando amputat, aut faſtidiendo horreſcit, & Attin dici uoluerũt quaſi ἔθος: ἔθος enim Græcè conſuetudo dicitur: ergo quantuſcunq; amor ſit, potentibus ſtabilis eſſe non nouit.

Fabula Pſyches & Cupidinis.

APuleius in libris Metamorphoſeõ hãc fabulam planiſsimè deſignauit, dicens, eſſe in quadam ciuitate regem, & reginã habere tres filias, duas natu maiores eſſe temperata ſpecie, iuniorem non tam magnificæ eſſe figuræ, quæ crederetᷣ Venus eſſe terreſtris. Deniq; duabus maioribus, quæ erant temperata ſpecie, connubia uenere, illam uerò ueluti deam nõ quiſquam amare auſus, quam uenerari pronus, atq; hoſtijs ſibimet deprecari. Cõtaminata ergo honoris maieſtate, Venus ſuccenſa inuidia Cupidinem petit, ut in contumacem formam ſeueriter uindicaret. Ille ad matris ultionem aduentus, uiſam puellam adamauit: pœna enim in affectu cõuerſa eſt, ut magnificus iaculator ipſe ſe ſuo telo

per-

percuſsit. Itaq; Apollinis denũciatione iubetur puella in montis cacumine ſola dimitti, uelut feralib. deducta exequijs pennato ſerpenti ſponſo deſtinari, perfecto nanq; choragio, puella per montis decliuia Zephyri flãtis leni uectura delapſa, in quandam domum auream rapitur, quæ pretioſa ſine pretio, ſola conſideratione laude difficiẽte poterat existimari. Ibiq; uocibus tantũmodo ſeruientibus ignota, atq; manſionario utebatur coniugio. Nocte enim adueniẽs maritus Veneris prælijs obſcurè peractis, ut inuiſè ueſpertinus aduenerat, ita crepuſculo incognitus etiam diſcedebat. Habuit ergo uocale ſeruitium, uentoſum Dominum, nocturnum commentum, ignotum coniugium. Sed ad huius mortem deflendam ſorores adueniunt, montisq; conſcenſo cacumine germanum lugubri uoce flagitabant uocabulum, & quamuis illi coniunx lucifuga ſororios ei cõminando uetaret aſpectus, tamen conſanguineę charitatis inuincibilis ardor maritale obũbrauit imperium.

perium. Zephyri ergo flagrantis auræ anhelāte uectura ad ſemet ſororios perducit aſpectus, earumq́; uenenoſis conſilijs de mariti forma quęrenda conſentiens, curioſitatem ſuę ſalutis nouercam arripuit, & facillimā credulitatem, quæ ſemper deceptionum mater eſt, poſtpoſito cautelæ ſuffragio, arripuit. Denique credens ſororib. ſe marito ſerpenti coniunctam, uelut beſtiam interfectura nouaculam ſub puluinari abſcōdit, lucernamq́; modio contegit: Cumq́; altum ſoporē maritus extenderet, illa ferro armata lucernaq́; modio cuſtodita eruta, Cupidine cognito, dum immodeſto amoris torretur affectu, olei ſcintillantis deſputamento maritum ſuccendit, fugiensq́; Cupido multa ſuper curioſitate puellæ increpitans domo extorrem ac profugam dereliquit. Tandem multis iactata uenereis perſecutionibus poſtea Ioue petente in coniugio Cupidinem accepit.

Poteram quidem totius fabulæ ordinem hoc libello percurrere, qualiter &

ad

ad infernũ descenderit, & Stygijs aquis undam delibauerit, & Solis armẽta uellere spoliauerit, & seminũ germina confusa discreuerit, & de Proserpinæ pulchritudine particulã moritura præsumpserit. Sed quia hæc Saturantius & Apuleius penè duorum cõtinentia librorum tantam falsitatum congeriem enarrauerit, & Aristophanes Athenæus in libris, qui Dysérestia nũcupantur, hanc fabulam enormi uerborũ circuitu discere cupientibus prodit, ob hanc rem superuacuum duximus ab alijs digesta nostris inserere libris, ne nostra opera aut proprijs exularemus officijs, aut alienis addiceremur negocijs. Sed dum is qui fabulam leget, in nostra hęc transeat, sciturus quid sibi illorũ falsitas sentire uoluerit. Ciuitatem posuerunt quasi in modum mundi, in qua regem & reginã uelut deam & materiam posuerũt, quibus tres addunt, carmẽ ultrò metantẽ, quam libertatem arbitrij dicimus, & animam: ψυχὴ enim Græcè anima dicitur, quam ideò iuniorem uoluerũt, quod corpori
iam

ſam facto poſtea inditam eſſe dicebant. Hanc igitur ideò pulchriorem quod & à libertate ſuperior, & à carne nobilior. Huic inuidet Venus quaſi libido, ad quam perdendam cupidinē mittit. Sed quia cupiditas eſt boni & mali, cupiditas animam diligit & ei uelut in coniunctionem miſcetur, quam perſuadet ne ſuam faciē uideat: id eſt, cupiditatis delectamenta diſcat: unde & Adam quāuis uideat, nudum ſe non uidet, donec de cōcupiſcentiæ arbore comedat. Néue ſuis ſororibus: id eſt, carni & libertati de ſuæ formæ curioſitate perdiſcenda conſentiat. Sed illorum compulſamento percita, lucernam de ſuo modio eiecit: id eſt, deſiderij flammam in pectore abſcōſam depalat, uiſam taliter dulcem amat ac diligit quam ideò lucernę ebullitione dicitur incendiſſe: quia omnis cupiditas quantum diligitur, tantum ardeſcit, & peccatricem ſuæ carni confingit maculam, ergo quaſi cupiditate nudata ex potenti fortuna eruitur & periculis iactatur & regia domo expellitur. Sed

nos quia lōgum est (ut dixi) omnia persequi tenorem delemus sentiēdi. Si quis uerò, in Apuleio ipsam fabulam legerit, nostra expositionis materia, quæ nō diximus, ipse reliqua cognoscat.

Fabula Pelei & Thetidis.

THetidem dici uoluerunt aquam. Iupiter quasi Deus coniungit Peleo. πηλὸς enim Græcè lutū dicitur, ergo terram cum aqua cōmixtam uolunt homines genuisse, unde & Iouem cum Thetide uoluisse cōcumbere dicunt, & prohibitum esse, ne maiorem se genuisset, qui eum de regno expelleret. Ignis enim: id est, Iupiter si cum aqua coëat, aquæ uirtute extinguitur, ergo in coniunctione aquæ & terræ: id est, Thetidis, & Pelei discordia sola non petitur, illa uidelicet causa, ut concordia utrorumque elementorum homo gignatur. Nam & incompetētia illa indicat, quod Peleus ut terra: id est, caro, Thetis ut aqua: id est, humor. Iupiter, qui utraq; gignit ut ignis: id est, anima, ergo in conceptione hominis & elementorū iugalitates tres, ut su-

ut ſuprà diximus, uitæ certantur. Nam & diſcordia malum aureum iecisse dicitur: id eſt, cupiditatem, illa uidelicet cauſa quòd in malo aureo eſt quòd uideas, non eſt quòd comedas. Sicut cupiditas nouit habere, non nouit frui. Omnes enim Deos Iupiter ad nuptias dicit̃ conuocasse, illa de cauſa, quòd putarẽt Ethnici ſingulas partes in homine Deos ſingulos obtinere, ut Iouem caput, Mineruam oculos, Iunonem brachia, pectus Neptunum, cinctum Martem, renes & inguina Venerem, pedes Mercurium: ſicut Democrites in Phyſiologumenon ſcripſit, unde & Homerus ait:

Singulæ partes in homine ſingulos Deos obtinent apud Ethnicos.

ὄμματα καὶ κεφαλὴν ἴκελος διὶ τερπικεραύνῳ:
ἄρεϊ δὲ ζώνην, στέρνον δὲ ποσειδάωνι:

Id eſt, *caput & oculos ſimiles Ioui fulmine delectanti, Marti cingulum, & pectus Neptuno*. Nam & Tiberianus in Prometheo ait: Deos ſingula ſua homini tribuiſſe. Deniq; natũ Achillem uelut hominem perfectum, mater in aquas intingit ſtygias: id eſt, durum contra omnes labores munit, ſolum ei talum non teti-

git, nihilominus illud physicum significare uolentes, quòd uenæ quæ in talo sunt ad renum, femorũ atque uirilium rationem pertineant, unde aliquæ uenæ usque ad pollicem tendunt, quod tractantes & physici & mulieres ad obtinẽdos partus & ischiacos eodẽ phlebotomant loco, & emplastro mentaticum, quem Stisidẽ Affricanus in Astrosophiste uocauit, pollici, & talo imponendum præcepit. Nam & Orpheus illum esse principalem libidinis indicat locum. Nam denique in entherocælicis & ijsdem locis cauteria ponenda præcipiũt. Ergo monstrat quòd humana uirtus quamuis ad omnia munita, tamen libidinis ictibus subiacet patula, unde ad Lycomedis regiam datur ut nutriretur, quasi ad luxuriæ regnum. Lycomeden enim Græcè quasi † γλυκομήδην: id est, dulce nihilũ. Omnis enim libido & dulcis & nihil est, denique & amore Polyxene perijt & pro libidine per Talum occiditur. Polyxene enim Græcè multorum peregrina dicitur, seu quòd amor peregrinari faciat

† γλυκὺ μηδὲν

ciat mentes ab ingenio ſuo, ſeu quòd apud multos libido ut peregrinabunda uagetur.

Fabula Myrrhæ & Adonis.

MYrrha patrem ſuum amaſſe dicitur, cum quo ebriato concubuit; cumq; eam pater utero plenã reſciſſet, cognito crimine, euaginato eam perſequi cœpit gladio. Illa in arborem myrrham conuerſa eſt, quam arborem pater gladio percutiens, Adon exindè natus eſt: quid uerò ſibi hæc fabula ſentiat, edicamus. Myrrha genus eſt arboris, de qua ſuccus ipſe exudat. Hæc patrem amaſſe dicitur. Iſtæ enim arbores in India ſunt, quæ Solis caloribus cremantur, & quia patrem omnium rerum Solẽ eſſe dicebant, cuius opitulatu cuncta germinum adoleſcit natiuitas, ideò & patrem amaſſe dicitur, quæ dũ grandioris fuerit roboris Solis ardoribus crepans rhagades efficit, per quas ſuccum deſudat, qui Myrrha dicitur, & redolentibus lachrymoſa guttulis fletus ſuaues ſciſſuris hiantibus iaculatur, unde Ado-

nem genuisse fertur: Adon Græcè suauitas dicitur, & quia hæc species odore suauis est Adonē dicitur genuisse. Ideò aūt Venerem amasse dicūt, quòd genus pigmenti sit ualde feruidum: unde Petronius Arbiter ad libidinis cōcitamentum myrrhinū se poculum bibisse refert. Nam & Sutrius Comœdiarum scriptor introducit Glyceriū meretricē dicentē:

Myrrhinum mihi adfers, quo virilibus armis occursem fortiuscula.

Fabula Apollinis & Marsiæ.

MInerua tibias ex osse inuenit, de quibus cùm in cōuiuio deorū cecinisset, cumq; eius tumentes buccas dij omnes irrisissent, illa ad Tritonē paludem pergens, in aqua faciem suam speculatur, dum turpia adiudicasset buccarum inflamina, tibias eiecit, quibus Marsya repertis doctior factus prouocauit Apollinem concertaturum de cantibus, sibiq; Mydam regem iudicem deligunt, quem Apollo cùm non rectè iudicasset, asininis auribus deprauauit. Ille criminis sui notam tonsori tantū ostendit,

dit, præcipiens ei ut si crimen eius celaret, eum participẽ regni efficere. Ille secretum Domini sui in terram fodit, & in defosso terrę duxit & operuit, In eodem loco calamus natus est, unde sibi pastor tibiam faciens, quæ cùm percutiebatur dicebat: Myda rex aures asinales habet, nihil minus quàm quod ex terra conceperat, unde & Petronius Arbiter:

Sic commissa ferens auidus reserare minister
Fodit humum, regisq; latentes prodidit aures.
Concepit nam terra sonum, calamiq; loquentes
Inuenêre Mydam qualem conceperat index.

Nunc ergo huius mysticę fabulę interius cerebrum inquiramus. A' Musicis hęc reperta fabula, ut Orpheus in Theogonia scribit. Musici enim duos artis suæ posuerũt ordines: Tertiũ uerò quasi ex necessitate adijcientes, ut Hermes Trimegistus ait: ἀνδῶν, ψαλλομένων, αὐλομένων: hoc est, *cantantiũ, aut cytharizantium, aut tibicinantium*. Prima est ergo uiua uox, quæ sibi in omnibus Musicis necessitatibus celerrimà subuenit, potest etiam limmata subrigere, & paralle-

Musicorum tria genera.

los concordare, & distonias mollire & phtongos iuuare & ornare chromata. Sequitur secunda cythara quãuis enim de his rebus, desexaphesis dicunt, sicut Mariandes scribit, multa de his faciat, tãmen aliqua non implet, quæ uiua uox potest. Limmata enim facta non erigit, quilismata in se catenata non implet. At uerò tibia artis Musicæ partem extremam poterit adimplere. Cythara enim Symphoniarum gradus habet quinq;, secundùm quod Pythagòras ait dũ numerorũ rhythmicos modulos ad Symphoniarum adduxisset cõcordiam. Prima enim Symphonia est diapason, qđ est in Arithmeticis diplasion, quod nos in Latinis *vnum ad secundum* dicimus. Secunda Symphonia diapẽte, quod est in Arithmeticis hemiolius, quod nos in Latinis *duo ad tertiũ* nuncupamus. Tertia Symphonia diatesseron, quod est in Arithmeticis epitritos: id est, *tertius ad quartum*. Quarta Symphonia dicitur tonus, q apud Arithmeticos Epogdous uocatur, apud nos *quintum ad quartũ*, &

Cythara habet quinque gradus Symphoniarum.

& quoniã ultra Arithmeticus ordo progreditur, non patitur propter nouenarium limitem: quia dicimus alterius ordinis primus gradus est. Contigit ergo ut habeat quintam Symphoniam, quæ harmonia nuncupatur: id est, *octo ad nouem*: nullam enim ultra numerum coniunctionem inuenies. Habet igitur Musica partes septem: id est, genera, diastemata, systemata, phthongos, tonos, metabolas & melumpæas, unde & Virgilius in sexto ait:

Nec non Threitius longa cum veste sacerdos
Obloquitur numeris septem discrimina vocum.

In Arithmeticis enim plenitudo formulæ est, ut est in Geometricis tonus. Vox uerò habet gradus Symphoniarum in numeris, quantum natura dotauerit ipsam uocem ut habeat arses, & ut theses quas nos Latinè elationes & deiectiones dicimus. Tibia uerò uix unam & dimidiam perficit Symphoniã: una enim Symphonia quinq; Symphonias habet, ergo post artem Musicam Minerua reperit tibias, quas omnis doctus in Mu-

ſicis ſonet, has propter ſonorum deſpuit paupertatem. Inflatas uerò buccas ideo riſiſſe dicuntur, quòd tibia uentoſè in Muſicis ſonet, & idiomatum proprietate amiſſa, ſibilet potiùs rem quam enunciet. Ideò illam iniuſtè ſufflantem omnis quicunq; eſt doctior ridet, unde eas & Minerua: id eſt, ſapientia exprobans proijcit, quas Marſya aſſumit. Marſya enim Græcè quaſi moros: id eſt, ſtultus, ſolus qui in arte Muſica tibiam proponere uoluit cytharæ, unde & cum porcina pingitur cauda. Sed his duobus certantibus. Myda rex reſidet. Myda enim Gręcè quaſi μηδὲν εἰδὼν dicit, quod nos Latinè nihil ſciens dicimus, ideò etiam aſininis auribus dicitur: quia omnis diſcernendi ignarus nihil differt ab aſino, ob hanc rem & ſeruũ eius auriculas referunt prodidiſſe. Ingenium enim noſtrum ſeruum habere demus ad omnia quæ uolumus obſequentem & noſtra ſecreta celantem. Quod autem per cannam perdidit, per fiſtulam gutturis loquẽdo ſignificat, quòd uerò paſtor audit,

dit, paſtores ſunt illi, qui aliena ſulcando ſubtiliùs paſcunt,

Fabula Orphei.

ORpheus Eurydicem Nymphã amauit, quam ſono cytharæ mulcens uxorẽ duxit. Hanc Ariſtæus paſtor dum amans ſequitur, illa fugiens in ſerpentem incidit & mortua eſt. Poſtquam maritus ad inferos deſcẽdit & legem accepit, ne eam conuerſus aſpiceret. Quam conuerſus aſpiciens iterum perdidit. Hęc igitur Fabula artis eſt Muſicæ deſignatio. Orpheus dicitur ὡραιοφωνὴ: id eſt, optima uox. Eurydice uerò profunda dijudicatio. In omnibus igitur artibus ſunt primæ artes, ſunt ſecundæ, ut in puerilibus literis prima abecedaria, ſecunda nota. In grammaticis, prima lectio, ſecunda articulatio. In Rhetoricis prima Rhetorica, ſecũda Dialectica. In Geometricis, prima Geometria, ſecũda Arithmetica. In Aſtrologis, prima Matheſis, ſecunda Aſtronomia. In Medicinis, prima gnoſtice, ſecunda uerò mantice. In aruſpicinis, prima aruſpicina,

In omnibus artibus ſunt primæ artes & ſecundæ.

na,ſecunda paralyſis. In Muſicis, prima Muſica, ſecunda apoteleſmate, de quibus omnibus breuiter rationẽ perſtringã neceſſe eſt. Aliud eſt enim apud grãmaticos aliena cognoſcere, aliud eſt ſua efficere. Apud rhetores uerò aliud profuſo & libero curſu effrenata loquacitas, aliud conſtricta uirtutis indagandæ curioſa nexilitas. Apud Aſtrologos aliud eſt aſtrorum ac ſyderum curſus effectusq; cognoſcere, aliud ſignificata traducere. In medicinis aliud eſt morborũ agnoſcere meritũ, aliud infirmitatis uenientem concurſum mederi. In geometricis aliud formulas lineasq; depingere, aliud numeros formulis coaptare. In aruſpicinis aliud eſt fibrarum † particula, cumq; inſpectio: aliud ſecũdum Battiadem euẽtuum immutatio. In Muſicis aliud uerò eſt harmonia phtongorum, ſyſtematum, & diaſtematum, aliud effectus tonorum, uirtusq; uerborum. Vocis ergo pulchritudo interna artis ſecreta uirtutem etiam myſticam uerborum attingit. Sed hæc quantum ab optimis ama-

† particularumq; inſpectio.

amatur sicut ab Aristęo: ἄριστον enim Grę cè optimũ dicitur: Tantum ipsa ars coniunctionem hominum uitat, quæ quidem serpētis ictu moritur, quasi astutiæ interceptu secretis uelut inferis trãsmigratur. Sed post hanc artem exquirendam, atq; eleuandam uox canora descēdit, & quæ apotelesmatica, phantastica, omnia prębet, & modulis tantum in secreto latitantibus, uoluptatũ reddit effectus: dicere enim possumus quod Dorius tonus, ut coiens Phrygius torrens, Saturno feras mulcens, si Ioui aues oblectet. At uerò si rei expositio quæritur, cur hoc uestigãdę rationis caput immoritur. Ideò ergo & ne eam respiciat prohibetur, & dum uidet amittit. Nam perfectissimus Pythagoras dum modulos numeris coaptaret, symphoniarũq; ponderat terminis Arithmeticis p melos & rhythmos, & modulos sequeretur, effectus uerò rationẽ reddere non potuit.

Fabula Phinei.

PHineus enim in modũ auaritiæ ponitur & à fœnerando Phineus dictus

ctus est.Ideò cæcus quòd omnis auaritia cæca sit, quæ sua non uidet, ideò ei Harpyiæ cibos arripiunt.At uerò quod eius prandia stercoribus fœdant, ostendit fœnerantium uitam rapinę ingluuiē esse sordidam, sed has à conspectu eius Zetes & Calais fugant: quia rapina ei aliquid de suo comesse nō permittit: Gręcè enim ζῆ τῶν καλὸν inquirens bonū dicitur. Ideò uolatici: quia omnis inquisitio boni nunquam terrenis rebus miscetur. Ideò Aquilonis uenti filij: quia bona inquisitio spiritalis est, non carnalis: ergo uenienti bonitate omnis rapina fugatur.

Fabula Alphei & Arethusæ.

ALpheus fluuius Arethusam nympham amauit, quam cùm sequeretur in fontem conuersa est: Ille in medijs undis ambulans non immixtus, in sinū eius immergitur. Vnde & apud inferos obliuionē animarū trahere dicit ἀληθείας φῶς: id est, ueritatis lux. Arethusa uerò quasi ἀρετίσα: id est, nobilitas æquitatis. Ergo quid amare poterat ueritas,

tas, niſi æquitatem? quid lux, niſi nobilitatem? & ideò in mari ambulans nec miſcetur: quia lucidi ueritas omni malorum falſitudine morum circumdata, pollui aliqua commixtione non nouit. Sed tamen in ſinu æquiſsimę poteſtatis omnis lux ueritatis dilabitur. Nam & deſcendens in infernum: id eſt, ſecreta conſcientiæ ueritatis lux malarum rerum ſemper in obliuionem importat.

F I N I S.



A
910

911
4-3-5







na, ſecunda paralyſis. In Muſicis, prima Muſica, ſecunda apotelesmate, de quibus omnibus breuiter rationē perſtringā neceſſe eſt. Aliud eſt enim apud grāmaticos aliena cognoſcere, aliud eſt ſua efficere. Apud rhetores uerò aliud profuſo & libero curſu effrenata loquacitas, aliud conſtricta uirtutis indagandæ curioſa nexilitas. Apud Aſtrologos aliud eſt aſtrorum ac ſyderum curſus effectusq́ꝫ cognoſcere, aliud ſignificata traducere. In medicinis aliud eſt morborū agnoſcere meritū, aliud infirmitatis uenientem concurſum mederi. In geometricis aliud formulas lineasq́ꝫ depingere, aliud numeros formulis coaptare. In aruſpicinis aliud eſt fibrarum † particula, cumq́ꝫ inſpectio: aliud ſecūdum Battiadem euētuum immutatio. In Muſicis aliud uerò eſt harmonia phtongorum, ſyſtematum, & diaſtematum, aliud effectus tonorum, uirtusq́ꝫ uerborum. Vocis ergo pulchritudo interna artis ſecreta uirtutem etiam myſticam uerborum attingit. Sed hæc quantum ab optimis ama-

† particularumq́ꝫ inſpectio.

amatur sicut ab Aristęo: ἄριστον enim Gręcè optimū dicitur: Tantum ipsa ars coniunctionem hominum uitat, quæ quidem serpētis ictu moritur, quasi astutiæ interceptu secretis uelut inferis trāsmigratur. Sed post hanc artem exquirendam, atq; eleuandam uox canora descēdit, & quæ apotelesmatica, phantastica, omnia prębet, & modulis tantum in secreto latitantibus, uoluptatū reddit effectus: dicere enim possumus quod Dorius tonus, ut coiens Phrygius torrens, Saturno feras mulcens, si Ioui aues oblectet. At uerò si rei expositio quæritur, cur hoc uestigādę rationis caput immoritur. Ideò ergo & ne eam respiciat prohibetur, & dum uidet amittit. Nam perfectissimus Pythagoras dum modulos numeris coaptaret, symphoniarūq; ponderat terminis Arithmeticis ꝑ melos & rhythmos, & modulos sequeretur, effectus uerò rationē reddere non potuit.

Fabula Phinei.

PHineus enim in modū auaritiæ ponitur & à fœnerando Phineus di-

ctus

ctus est. Ideò cæcus quòd omnis auaritia cæca sit, quæ sua non uidet, ideò ei Harpyiæ cibos arripiunt. At uerò quod eius prandia stercoribus fœdant, ostendit fœnerantium uitam rapinę ingluuiē esse sordidam, sed has à conspectu eius Zetes & Calais fugant: quia rapina ei aliquid de suo comesse nō permittit: Gręcè enim ζῆ τῶν καλὸν inquirens bonū dicitur. Ideò uolatici: quia omnis inquisitio boni nunquam terrenis rebus miscebitur. Ideò Aquilonis uenti filij: quia bona inquisitio spiritalis est, non carnalis: ergo uenienti bonitate omnis rapina fugatur.


Fabula Alphei & Arethusæ.

ALpheus fluuius Arethusam nympham amauit, quam cùm sequeretur in fontem conuersa est: Ille in medijs undis ambulans non immixtus, in sinū eius immergitur. Vnde & apud inferos obliuionē animarū trahere dicit ἀληθείας φῶς: id est, ueritatis lux. Arethusa uerò quasi ἀρετίσα: id est, nobilitas æquitatis. Ergo quid amare poterat ueri-

tas,

tas, nisi æquitatem? quid lux, nisi nobilitatem? & ideò in mari ambulans nec miscetur: quia lucidi ueritas omni malorum falsitudine morum circumdata, pollui aliqua commixtione non nouit. Sed tamen in sinu æquissimę potestatis omnis lux ueritatis dilabitur. Nam & descendens in infernum: id est, secreta conscientiæ ueritatis lux malarum rerum semper in obliuionem importat.

F I N I S.



910

911

4-3-5





Digitized by Google

Digitized by Google

B. FVLGENT.
OPERA.



Digitized by Google

Digitized by Google